



U A N

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LUGDUNE

Theologia

. 6 .

BX1750

.V35

1784

v.6

c.1

132733



1080045122



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ.

TOMUS SEXTUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CAMPUS SAN ANTONIO
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

70110-36 MICROFILMADO 9/2/83

46453[®]

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ,

AUCTORITATE

D. D. ARCHIEPISCOPI
LUGDUNENSIS,

*Ad usum Scholarum suæ Diœcesis
editæ.*

TOMUS SEXTUS.



LUGDUNI,

Apud FRATRES PERISSE, Scholarum Lugdunen-
sium Bibliopolas, in vico majori Mercatorio.

M. DCC. LXXXIV.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL



INSTITUTIONES THEOLOGICÆ.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

LEX, juxta S. Thomam, à ligando dicitur, (1. 2. q. 90. art. 1.) quia proprius ejus effectus est subditos obligare. Generatim definiri vel describi potest. *Præceptum commune, justum, ad bonum publicum spectans, ab eo qui communitatis curam habet promulgatum poenis vel præmiis sancitum.*


Dicitur 1^o. *præceptum*, quæ vox tenet locum generis, quia præceptum latius patet quam Lex; qualibet enim Lex præceptum est, sed non vice versa; sic, v. g. mandatum olim Abrahamo datum de occidendo ejus filio, præceptum fuit, non Lex, quia homini privato tantum, non verò communitati fuit impositum: præterea Lex, quatenus importat præceptum, differt à consilio quod per se non obligat.

Tom. VI.

A



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



INSTITUTIONES THEOLOGICÆ.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

LEX, juxta S. Thomam, à ligando dicitur, (1. 2. q. 90. art. 1.) quia proprius ejus effectus est subditos obligare. Generatim definiri vel describi potest. *Præceptum commune, justum, ad bonum publicum spectans, ab eo qui communitatis curam habet promulgatum poenis vel præmiis sancitum.*

Dicitur 1^o *præceptum*, quæ vox tenet locum generis, quia præceptum latius patet quam Lex; qualibet enim Lex præceptum est, sed non vice versa; sic, v. g. mandatum olim Abrahamo datum de occidendo ejus filio, præceptum fuit, non Lex, quia homini privato tantum, non verò communitati fuit impositum: præterea Lex, quatenus importat præceptum, differt à consilio quod per se non obligat.

Tom. VI.

A

Dicitur 2^o. *præceptum commune*, quia præceptum quidam privato datum, propriè non est Lex; ad rationem tamen Legis non requiritur, ut pertineat ad omnes Reipublicæ partes; sed aliquando non spectat nisi omnes & singulos alicujus conditionis, vel officii, vel loci homines, v. g. Clericos, Magistratus, Nobiles, Plebeios.

Dicitur 3^o. *justum*, ut sic testatur Augustinus: *Mihi Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* (Lib. 1. de libero arbit. cap. 5. n. 11. tom. 1. pag. 573.) Illius autem justitia triplici ex capite reperenda est; 1^o. ex parte objecti quod honestum, licitum, rationi & legi divinæ consentaneum esse oportet; 2^o. ex parte Legislatoris qui non debet potestatis suæ limites prætergredi; 3^o. ex parte Subditorum quibus ita distribuenda sunt Reipublicæ onera, ut cujusque facultatum ratio habeatur.

Dicitur 4^o. *ad bonum publicum spectans*: Legislatores enim id tantum habent potestatis, quod ipsis à Deo concessum est. Porro suam Principes à Deo potestatem non accepere, ut privatis servirent commodis; sed potius ut Subditorum, quos pro filiis habere debent, utilitati consulerent.

Dicitur 5^o. *ab eo qui curam habet communitatis*; cum enim totam pro qua fertur societatem obliget, certè fieri debet à legitimo Superiore, ab eo scilicet qui Reipublicæ curam gerit, ipsique præest.

Dicitur 6^o. *promulgatum*; ut enim Lex obliget, debet innotescere: atqui id fieri non potest nisi promulgatione, quâ solâ Lex eo denuntiat modo qui parendi obligationem inducat. Præterea Lex imponitur instar regula, ad cujus normam suas actiones exigere debent Subditi; atqui regula iis declaratur necesse est, qui ad eam sese debent componere. Quandiu enim in Legislatoris mente latet recondita, nullius actionis regula esse potest.

Annotandum est autem, ut Lex obliget, necessarium non esse eam omnibus & singulis innotescere: alioquin omnes ferè Leges irritæ fierent;

vix enim aliqua est quæ ad singulorum notitiam perveniat. Sed ea sufficit promulgatio, quâ solemniter & juxta morem patriæ Lex ita publicetur, ut cuilibet subdito facillè possit innotescere. Quo posito, omnes Lege constringuntur, sive qui eam norunt, sive qui ignorant.

Dicitur tandem *pænis vel præmiis sancitum* quod appellatur *Legum sanctio*: alioqui Legislator non satis Legum observationi consuleret.

Lex generatim dividitur in æternam, naturalem & positivam: de quibus duplici in dissertatione agemus.



DISSERTATIO I.

De Lege æterna & naturali.

LEX æterna est summa & immutabilis ratio, in Deo ab æterno existens, quæ dicat quid bonum & justum, quid malum sit & injustum; S. Augustinus eam sic definit: *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans;* (Lib. 22. contra Faustum, cap. 27. tom. 8. pag. 378.) id est ordinem generalem ad quem res sunt institutæ: *Ut breviter, ait idem Doctor, æternæ Legis notionem, . . . quantum valere, verbis explicem, ea est quæ justum est, ut omnia sint ordinatissima.* (Lib. 1. de libero arbit. cap. 6. n. 15. tom. 1. pag. 575.)

Lex naturalis nihil aliud est, juxta S. Thomam, quàm participatio Legis æternæ, in rationali creatura, dicans & præscribens illud esse agendum,

quod est intrinsecè bonum & per se necessarium ad finem naturæ rationalis, & illud fugiendum quod est intrinsecè malum. (I. 2. q. 91. art. 2.)

Dicitur autem, 1^o. participatio Legis æternæ, quia Lex naturalis à Lege æternæ non diverfa est. Utraque idem jubet & vetat, utraque præcipit ut omnia sint ordinatissima, & prohibet quicquid ab ordine deficiat.

2^o. In rationali creatura, cui scilicet ab Autore naturæ imprimitur; sicque differt Lex naturalis à Legibus positivis, quæ in cordibus nostris non ita inscriptæ sunt: à libera enim Legislatoris voluntate pendent.

3^o. Prescribens illud esse agendum aut fugiendum, quod est intrinsecè bonum vel malum. Quæ enim præcipit aut vetat Lex naturalis, non ideo sunt bona quia præcipiuntur, aut mala quia prohibentur: sed idcirco præcipiuntur, quia ex se bona; aut prohibentur, quia ex se mala sunt, & naturam rationalem dedecent.

4^o. Et per se necessarium ad finem naturæ rationalis; quia, licet nihil præcipiat Lex naturalis, nisi quod ex se bonum & honestum sit, minime tamen jubet fieri quicquid ex se bonum & honestum est; sed illud tantummodo quod sine naturæ rationalis vitio & dedecore omitti non potest.

De Lege naturali tria sunt inquirenda: primum, utrum existat; secundum, an mutationem & dispensationem admittat; tertium, utrum ita semper obliget, ut illius ignorantia nunquam à peccato excuset.

CAPUT PRIMUM.

Utrum existat Lex naturalis.

CUM Lex naturalis id præcipiat quod ex se bonum, idque vetet quod ex se malum est, eam sustulere nonnulli Veteres, qui nihil ex natura sua bonum aut malum, nihil honestum aut turpe, justum vel injustum docuere. Boni scilicet & mali moralis discrimen omnino repetendum esse contendebant ex hominum opinione, consuetudine, & conventis arbitrariis, quibus sese invicem obtinuerunt, ut sive privatorum, sive societatis utilitati consulere; hinc juxta eos sola utilitas est justæ mater & æqui, sublatique hujusmodi pactis & legibus arbitrariis, nihil honestum esset aut turpe, nihil laudandum aut vituperandum. Horrendam hanc doctrinam renovavit postremis hæcæ temporibus Hobbes; (Lib. de Cive.) eandem etiam defendunt recentiores quidam Deistæ. Cum autem hoc opinionis monstro concutiantur firmissima disciplinæ moralis, religionis & societatis fundamenta, sit

PROPOSITIO I.

Bonum & malum morale ex natura sua differunt. ®

Prob. 1^o. quia plurima sunt principia morum practica, quæ sine ullis hominum conventis, & necessariò vera sunt, qualia sunt ista: Deus est diligendus: Suum cuique tribuendum: Alteri re feceris, quod tibi fieri nolis. Illarum enim propositionum veritas non minus necessaria est, nec magis pendet ab hominum conventis, quàm veritas istarum quæ sunt speculativæ: Totum est majus

sua parte: Impossibile est idem esse simul & non esse: Fulget hinc & inde par evidentia; consensum nostrum non minus rapiunt priores propositiones, quam posteriores; ergo quaedam sunt principia morum practica, quorum veritas ita necessaria est, ut neque ab hominum pactis, neque à Principum, Magistratumve Legibus pendeat; ergo bonum & malum morale ex natura sua differunt.

Prob. 2^o. Boni & mali moralis discrimen, non ab hominum conventis aut Legibus, sed ab ipsa natura repetendum est, si omnes omnium temporum gentes, alias actiones ut bonas, & alias ut malas agnoverint; tùm quia populorum omnium consensus manifesta natura vox est; tùm quia universali de qua agitur persuasioni adversantur, quæ apud homines vim habent maximam, cupiditates nempe, vitæque liberioris desiderium; atqui in eo consentiant omnes omnium temporum gentes, quòd actiones quaedam bonæ sint, quaedam vero malæ; alias approbant, alias autem vituperant & detestantur. *Quæ natio, inquit Tullius, non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit? (Lib. I. de Legibus.)* Ergo boni & mali moralis distinctio, non ab hominum conventis & Legibus, sed ab ipsa natura petenda est.

Prob. 3^o. Si nullæ sint actiones ex natura sua bonæ vel malæ, omnes erunt ex se prorsus indifferentes, ac proinde potuit Deus furta, latrocinia, homicidia, adulteria, imò sui ipsius contemptum & odium præcipere: atqui horrendum illud confectarium refugit & detestatur sensus communis, inlitaque omnium animis ratio; ergo, &c.



PROPOSITIO II.

In omnium mentibus existit Lex naturalis.

Prob. 1^o. Legis naturalis nomine intelligitur lumen quoddam nobis insitum, quo bonum & malum, iustum & iniustum fecerimus: atqui, in omnium animis ea lux emicat, suamque non à Legibus civilibus, sed ab ipsa natura ducit originem: quaedam sunt enim boni & mali, iusti & iniusti, honesti & turpis principia, omnibus omnium temporum ac regionum hominibus notissima, v. g. *Deo imperanti obtemperandum esse, parentes honorandos, patriæ serviendum, alteri non faciendum quod nobis factum noluerimus.* Inde fit ut quisquis aliquid gesserit primariis illis notionibus contrarium, intus conscientia stimulis, etiam invitus, exagitetur: atqui huiusmodi principia cupiditatibus ingrata, non potuerunt omnium populorum animos occupare, & quasi orbem universum invadere, quin tuum ex ipsa natura ortum habeant, & quibuslibet hominum pactis sint prævia; ergo existit in omnibus hominibus lumen naturale, quo discernimus quid bonum, quidve malum sit; ergo viget in omnium animis Lex naturalis, quæ scilicet non scripta, sed nata; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arruimus, hausimus, expressimus; ad quam non docemur, sed facti sumus, inquit Tullius pro Milone, n. 19.

Prob. 2^o. ex Patribus quorum in re tam perspicua sufficient pauca testimonia. *Dux generatim sunt Leges, inquit Origenes, naturæ altera cuius Deus autor; altera urbibus scripto data. (Lib. 5. contra Celsum, n. 37. tom. I. pag. 605. edit. BB.)* Sanctus Ambrosius de Lege naturali ita scribit: *Ez Lex non scribitur; sed innascitur: nec aliquis percipitur lectione; sed profuso quodam naturæ fonte in singulis exprimitur: . . . cuius testis conscientia*

nostra. (Epist. 73. n. 3. tom. 2. pag. 1078.) S. Augustinus Deum sic alloquitur: *Furtum certe punit Lex tua, Domine, & Lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.* (Lib. 2. confess. cap. 4. n. 9. tom. 1. pag. 84.) Porro Lex quæ nobiscum nascitur, & quæ scripta est in cordibus hominum, non alia est quàm Lex naturalis: atqui huiusmodi Legem nobis inesse asserunt SS. Patres; ergo, &c.

Prob. 3^o. Non censendus est Deus homini minus providisse, quàm brutis animalibus; atqui tamen Deus res ipsa minus homini providisset, quàm beluis, nisi Legem naturalem nobis inferuisset, cujus ope bonum a malo discernere valeamus. Nam sine ea nec sese dirigere, nec ab aliis dirigi posset ad finem suum, qui est summi boni sive Dei possessio, hanc enim obtinere non potest, nisi bonum proficquendo & malum fugiendo; Deus autem bellis instinctum quemdam indidit, vi cujus suos in fines dirigantur & impelluntur; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Si existeret in omnibus hominibus Lex naturalis, eadem essent apud varios populos morum principia, sicut eadem est natura: atqui varia sunt apud varios populos morum principia: etenim apud Lacedæmonios, furati; apud Scythas, hospites suos trucidare; apud Massagetæ, parentes senio confectos occidere licitum erat; ergo, &c.

Resp. 1^o. Neg. maj. Etiam si enim nonnulli homines primaria quadam morum principia non admitterent, inde minimè sequeretur non existere Legem naturalem; sed illum unum colligi posset, nempe huiusmodi homines præiudiciis excæcatis, cupiditatibus distractos, paradoxorum prurigne abreptos, vocem naturæ non audisse, nec ad eam attendisse. Sic quamvis Philosophi quidam de omnibus dubitaverint, nihilominus in disciplinis

philosophicis adsunt veritates necessariae & rerum naturæ fundatae. Præterea non ex unius vel alterius populi institutis iudicandum est de jure naturæ quod; licet ab ipsis violetur, tamen existit.

Resp. 2^o. Neg. min. Primaria enim morum principia luce adeò splendidâ animum percellunt, ut in iis admittendis non potuerint non consentire omnes homines ratione utentes; sed in iis ad quosdam casus accommodandis aliquando errarunt. Sic Lacedæmonii, nec omnium promiscuè rerum, sed edulium duntaxat furta, nec omnibus, ad junioribus tantum permiscere, modo solerter subriperent; qui enim deprehendebantur, pœnas dabant. Huiusmodi autem sorta permitti posse existimarent, ut juniores Lacedæmonii tuam acuerent industriam, & à pueritia discerent noctu vigilare, insidias struere, & deinceps in bello fierent Reipublicæ utiliores. Scythæ putabant licitè occidi patriæ hostes & insidiosos exploratores, quod verum est; sed in eo errabant quod advenas omnes pro hostibus & exploratoribus haberent; sicque principium verum malè applicabant.

Massagetæ non ignorarunt colendos esse ac diligendos parentes; huic autem naturæ præcepto sese obtemperare credebant, cum parentes senio confectos, varisque morbis laborantes interficerent, ut eos à tantis malis liberarent. Id unum igitur probant objecta exempla, nempe quosdam populos in applicandis morum principiiis interdum hallucinatos esse, non verò ea rejecisse: ex eo quod enim quidam homines nonnullis circumstantiis primarias scientiarum veritates *speculativas* malè accommodent, non idcirco eas rejiciunt; idem ergo sentiendum de practicis morum principiiis.

Obj. 2^o. Si existeret in hominibus Lex naturalis quæ bonum à malo distingueretur, tunc faciliè discernerentur boni mali que fines: atqui tamen illud non ita facile est, ut colligitur ex

diversis Casuistarum de eorumdem actionum bonitate & pravitare sententiis ; ergo , &c.

Resp. Dist. maj. Facile secernerentur boni malique fines plurimis in casibus, conc. in omnibus, neg.

Pateor equidem nonnullos esse casus difficiles & impeditos, in quibus discrepantes sunt Casuistarum sententiæ, quia non ita manifesti sunt boni & mali limites ; sed plures alii casus occurrunt in quibus utriusque distantia statim fit obvia, & oculos percellit. Quis, v. g. primo intuitu non videat amorem Dei & proximi bonum esse, malum verò utriusque odium ? Quis statim non intelligat gratum & beneficiorum memorem animum, fidemque in promissis, totidem esse actus laudabiles ; ingratum autem animum, malamque fidem esse vitia execratione dignissima ? Porro ex eo quòd nonnullis in conclusionibus remotioribus non facile sit bonum à malo secerne, non sequitur nullam esse Legem naturalem, nec immortam stare boni & mali distantiam ; sunt enim pariter nonnullæ conclusiones à primis scientiarum principiis longius disjunctæ, in quibus non facile est verum à falso discernere ; numquid inde sequitur verum à falso ex natura sua non differre ?

Obj. 30. Si in omnium animis existeret Lex naturalis, supervacaneæ & inutiles forent Leges positivæ ; omnes enim quæ sui essent officii, naturâ duce cognoscerent : atqui inutiles esse Leges positivas nemo dixerit ; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. 10. Quia Leges positivæ, dum bonis præmia, & malis pœnas constituunt, plurimos homines deterrent ab infringenda Lege naturali, extra quam libidinum & cupiditatum impetu abriperentur, 20. quia, licet in omnium animis inesset Lex naturalis, plerique variis causis distracti, in seipso non descendebant ut eam consularent ; oportuit igitur ut Lex positiva veluti sub oculos poneret Legis naturalis officia : *Ne sibi*

hominem aliquid desuisse quærentur, ait Augustinus, scriptum est in tabulis quòd in cordibus non legébant ; non enim scriptum non habebant, sed legere volebant. (In Psalm. 57. n. 1. tom. 4. pag. 540.)

Alias difficultates plurimas solvimus in morali Philosophiæ parte.

CAPUT II.

Utrum Lex naturalis mutationem & dispensationem admittat.

LEX propriè mutari dicitur, quando vel partim vel omnino solvit. Per dispensationem verò intelligitur relaxatio Legis, à Superiore in alicujus gratiam concessa, qui aliter Lege constringeretur. Quæstio est igitur an, sicut Legislator à Lege positiva quam tulit, aliquem eximere potest, ita saltem Deus possit hominem à Legis naturalis vinculo solvere, adeò ut ille non peccet sive ea faciendo quæ prohibet Lex naturalis, sive ea prætermittendo quæ fieri jubet.

PROPOSITIO.

Lex naturalis nullam mutationem, nullamque dispensationem admittit.

Prob. prima pars. Fa Lex nullam prorsus mutationem patitur, quæ id unum præcipit aut vetat, quòd ex natura sua bonum est vel malum : atqui Lex naturalis nihil præcipit aut vetat, quòd ex natura sua non sit bonum vel malum, honestum vel turpe. Quòd enim cum Lege, eum ratione æterna & immutabili consonat, necessariò bonum est ; quòd verò eidem repugnat, necessariò

est malum : atqui Lex naturalis nihil præcipit aut vetat, quod Legi & rationi æternæ & immutabili non consentiat aut dissentiat, cum sit ipsius participatio, expressio, manatio. *Lex naturalis*, inquit S. Thomas, *est participatio Legis æternæ in rationali creatura.* (I. 2. quæst. 19. art. 2.) Teste Augustino, *est ipsius æternæ Legis, atque ad eam summa & immutabilis rationis divinæ, in mentibus hominum facta transcriptio ;* (Lib. 83. quæst. q. 53.) ergo, &c.

Prob. secunda pars. Dispensare sive eximere aliquem à Lege naturali, nihil aliud est quam ei permittere ut faciat aliquid Lege naturali prohibitam : atqui Deus id permittere nequaquam potest : quidquid enim vetat Lex naturalis, ex se malum est, ac Legi, sive rationi æternæ & immutabili dissentaneum : atqui Deus nemini permittere potest ut id faciat, quod ex natura sua malum est, & Legi æternæ ac immutabili adversatur, alioqui Deus secum ipse pugnaret ; ergo, &c.

Obj. Illud potest Deus quod non semel fecit : atqui Deus & præceptis Legis naturalis hominem non semel liberum fecit. Homicidium, v. g. Lege naturali prohibetur : atqui Deus ab eo præcepto solvit Abrahamum, cum scilicet ipsi imperavit ut filium suum innocentem immolaret ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. prioris syllogismi, & dist. maj. posterioris. Homicidium privatâ autoritate susceptum Lege naturali prohibetur, conc. homicidium autoritate divinâ commissum, neg.

Porrò homicidium Legi naturali non opponitur, nisi quando fit contra justitiam & rectam rationem, id est, autoritate privatâ : idcirco contra Legem naturalem non peccant, quicumque hominem publicâ autoritate occidunt, ut carnifex quando reum aliquem, vel miles eum in bello justo alium militem interficit ; quia nempe hujusmodi homicidium, nec injustè, nec contra rectam rationem committitur. Cum autem Deus sit vitæ & necis

supremus dominus, nihil adversus rectam rationem, nec proinde contra legem naturalem, imperavit, ubi præcepit Abrahamo ut filium suum sibi in holocaustum offerret. Nonne poterat erga Isaacum executioni mandare sententiam mortis, quam adversus genus humanum in Adami persona semel pronuntiaverat ? Nonne eam potuit per manus Abrahami exequi, sicut potuisset per immissam ægritudinem ? Nondum Legem naturalem violaverit Abrahamus, ipsi contra obtemperavit. Præcipit enim jus naturale ut jubenti Deo semper pareamus, qui nihil nisi justum imperare potest.

Inst. 1^o. Furum prohibet Lex naturalis : atqui ab eo præcepto Deus Hebræos fecit immunes, cum ipsis permisit ut quæ ab Ægyptiis utenda acceperunt vasa argentea secum auferrent ; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. quia in facto quod objicitur nullum fuit furtum. Quid enim est furtum, nisi rei alienæ ablatio ? Atqui Israëlitarum, dum Ægyptios spoliarunt, non rem alienam, sed suam abstulere : Deus enim qui honorum temporalium supremus dominus, ea singulis prout vult dividit, ab aliisque in alios transmittit ; Deus, inquam, in Hebræos transfulerat earum rerum dominium quas Ægyptiis abstulerunt. Quia in re Deus æquitatis regulas servavit : per multos enim annos, Israëlitas duris laboribus oppresserant Ægyptii, eosque debita mercede crudeliter fraudaverunt. Hoc vero populi sui damnum compensavit Deus, dum ipsi permisit ut Ægyptiorum vasa secum asportaret.

Inst. 2^o. fornicatio jure naturali vetita est, atqui ab eo præcepto Deus liberum fecit Oseam Prophetam, dum illi præcipit ut ad mulierem meretricem accederet ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. In eo quippè quod objicitur facto nulla est fornicatio ; illud enim crimen in eo situm est, quod accedat aliquis ad mulierem, in cujus corpus verum propriumque non habet do-

minium: atqui Oseas verum habuit dominium in corpus ejus meretricis; liquidem ad illam accessit tum ex Dei voluntate cujus sunt omnia; tum ex mulieris consensu, unde verum extitit conjugium. Quid inimicum fidei christiana, inquit Augullius, si meretrix, relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur? (*Lib. 22. contra Faustum, c. 80. tom. 8. p. 410.*)

At, inquit, Propheta sic Deus precipit: *Fac tibi filios fornicationum.* (*Ose. 1. 2.*) Quo nomine appellari non potuissent filii ex legitimo conjugio procreati; ibi ergo non agitur de vero Matrimonio.

Resp. eos ita appellari quia nati erant ex muliere quae prius fuerat meretrix. Non infrequenter enim scriptura res eo nomine exprimit, quod ipsis non convenit, nisi propter aliquid praeteritum. Ita serpens ex Moyſis virgâ procreatus, dicitur adhuc *virga.* (*Exod. 7.*) Sic corpus Christi, etiam post consecrationem, appellatur *panis*; pariter ergo filii Oseae, licet ex vero conjugio incepti, dici poterunt *filii fornicationum*, quia eorum mater antea meretrix fuerat. In hoc Matrimonio SS. Patres typum & prophetiam agnoscunt, quâ significare voluit Deus fore ut populum gentilem ab idololatria, quae in scripturis *fornicatio* dicitur, revocatum sibi colligaret vinculis caritatis, quibus Deo junguntur animae fideles.

Praeterea in his Vulgatae nostrae verbis sita est tota difficultas: *Fac tibi filios fornicationum.* (*Ose. 1. 2.*) Atque aliud hebraico textu exprimi testantur interpretes peritissimi, qualis est *Houbigan*; sic enim vertit: *Sume tibi uxorem meretricem filiosque ejus adulterinos.* Notat eruditus ille scriptor nullum proferri posse antiquum interpretem, in quo reperiuntur haec verba, *fac tibi*, quae difficultati locum praebent. Ipsum audiamus: *Vulgatus addit, fac tibi, quasi juberetur Oseae adiri ad mulierem meretricem, & suscipere ex ea filios adulte-*

rinis; sed mandatum accipit Oseae accipere pro uxore mulierem quam noverit fuisse meretricem, & ducere domum suam, non modò uxorem, sed etiam ejus filios adulterinos, ut per Matrimonium tam singulare demonstraret, non Dei esse filios Regni Israel cives, quomodo non erant Oseae filii, spuria hæc soboles quam uxor ejus domum suam introducebat. Textum hebraicum eodem modo reddit, omisso nempe his verbis, *fac tibi*, doctissimas *Balles* in opere gallico cui titulus: *réponses critiques à plusieurs difficultés, proposées par les nouveaux incrédules.* &c. (*tom. 1. pag. 281.*) Quâ interpretatione semel admittâ, nullus superest difficultati locus.

CAPUT III.

Utrum Lex naturalis ita semper obliget, ut illius ignorantia nunquam à peccato excuset.

CIRCA istam gravissimi momenti quaestionem dissident Theologi. Unanimi consensu docent antiquiores, juris naturalis ignorantiam à peccato nunquam excusare. Inter recentiores verò plurimi sentiunt, à peccato non eximere Legis naturalis ignorantiam, quæ citra prima illius principia, & conclusiones iis viciniores versatur; sed putant conclusionum remotiorum ignorantiam à culpa liberare. Quanam autem conclusiones sint proximæ, quanam remotæ, alii latius, alii strictius definiunt. Qua de controversia sit

minium: atqui Oseas verum habuit dominium in corpus ejus meretricis; liquidem ad illam accessit tum ex Dei voluntate cujus sunt omnia; tum ex mulieris consensu, unde verum extitit conjugium. Quid inimicum fidei christiana, inquit Augullinus, si meretrix, relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur? (Lib. 22. contra Faustum, c. 80. tom. 8. p. 410.)

At, inquit, Propheta sic Deus precipit: *Fac tibi filios fornicationum.* (Ose. 1. 2.) Quo nomine appellari non potuissent filii ex legitimo conjugio procreati; ibi ergo non agitur de vero Matrimonio.

Resp. eos ita appellari quia nati erant ex muliere quae prius fuerat meretrix. Non infrequenter enim scriptura res eo nomine exprimit, quod ipsis non convenit, nisi propter aliquid praeteritum. Ita serpens ex Moyſis virga procreatus, dicitur adhuc *virga.* (Exod. 7.) Sic corpus Christi, etiam post consecrationem, appellatur *panis*; pariter ergo filii Oseae, licet ex vero conjugio incepti, dici poterunt *filii fornicationum*, quia eorum mater antea meretrix fuerat. In hoc Matrimonio SS. Patres typum & prophetiam agnoscunt, qua significare voluit Deus fore ut populum gentilem ab idololatria, quae in scripturis *fornicatio* dicitur, revocatum sibi colligaret vinculis caritatis, quibus Deo junguntur animae fideles.

Praeterea in his Vulgatae nostrae verbis sita est tota difficultas: *Fac tibi filios fornicationum.* (Ose. 1. 2.) Atque aliud hebraico textu exprimi testantur interpretes peritissimi, qualis est *Houbigan*; sic enim vertit: *Sume tibi uxorem meretricem filiosque ejus adulterinos.* Notat eruditus ille scriptor nullum proferri posse antiquum interpretem, in quo reperiuntur haec verba, *fac tibi*, quae difficultati locum praebent. Ipsum audiamus: *Vulgatus addit, fac tibi, quasi juberetur Oseae adiri ad mulierem meretricem, & suscipere ex ea filios adulte-*

rinis; sed mandatum accipit Oseae accipere pro uxore mulierem quam noverit fuisse meretricem, & ducere domum suam, non modò uxorem, sed etiam ejus filios adulterinos, ut per Matrimonium tam singulare demonstraret, non Dei esse filios Regni Israel cives, quomodo non erant Oseae filii, spuria hæc soboles quam uxor ejus domum suam introducebat. Textum hebraicum eodem modo reddit, omisso nempe his verbis, *fac tibi*, doctissimas *Balles* in opere gallico cui titulus: *réponses critiques à plusieurs difficultés, proposées par les nouveaux incrédules.* &c. (tom. 1. pag. 281.) Quam interpretatione semel admisa, nullus superest difficultati locus.

CAPUT III.

Utrum Lex naturalis ita semper obliget, ut illius ignorantia nunquam à peccato excuset.

CIRCA istam gravissimi momenti quaestionem disident Theologi. Unanimi consensu docent antiquiores, juris naturalis ignorantiam à peccato nunquam excusare. Inter recentiores verò plurimi sentiunt, à peccato non eximere Legis naturalis ignorantiam, quæ circa prima illius principia, & conclusiones iis viciniores versatur; sed putant conclusionum remotiorum ignorantiam à culpa liberare. Quanam autem conclusiones sint proximæ, quanam remotæ, alii latius, alii strictius definiunt. Qua de controversia sit

PROPOSITIO.

Juris naturalis ignorantia à peccato nunquam penitus excusat, quamvis illius gravitatem aliquandò imminuat.

ARG. I. Ex Scriptura.

10. Sic jubet Deus Levit. cap. 5. v. 17: *Anima quæ peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex eis quæ Domini Legge prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret agnum immaculatum de gregibus Sacerdoti, . . . qui orabit per eum quod nesciens fecerit, & dimittetur ei quia per errorem deliquit in Dominum.* Ignorantiæ igitur peccata sunt veri nominis delicta, siquidem pro ipsis venia debet à Deo postulari.

Nec dixeris ibi sermonem non esse de jure naturali, sed de ceremoniis judaicis quæ nobis ipsis factentibus, invicte ignorari poterant, ut potè positivâ tantum Legè præscriptâ. Etiam si enim id concederemus, quamvis tamen generalium in ignorantia Legis divinæ in eo textu agitur, nihilominus totam vim suam retineret quod proponimus argumentum. Si enim culpâ non vacaret, & sacrificiis purgari oportuit, quod contra Legem ceremonialem per ignorantiam factum fuerat; quanto magis à culpa non liber est, qui contra Legem naturalem, omnium animis inscriptam agit ignorans!

2º. Ille servus, ait Christus, qui cognovit voluntatem Domini sui, . . . & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. (Luc. 12. v. 47 & 48.) Pro voluntas divina de qua hic agitur, non est Lex merè positivâ, cum illius ignorantia quandoque excuset, sic testante Christo: *Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent.* (Joan. 15. 22.) Ipsa est igitur vo-

luntas divina in Lege naturali consignata: qui autem eam non cognovit, vapulabit paucis quidem; sed tamen vapulabit. Quare verò? quia fecit digna plagis.

3º. Quamvis gratia quæ ignorantie tenebras depellit, homini sit indebita, & gratuitam divinæ misericordie donum, hanc tamen iis non defutura esse, qui eam sincerè expetunt &, ut par est, postulant, sacra passim testantur oracula. *Si sapientiam invocaveris, . . . si quaesieris eam quasi pecuniam, . . . tunc scientiam Dei invenies, . . . tunc intelliges justitiam & judicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam.* (Prov. cap. 2. v. 3. 4. 5. 9.) *Sapientia invenitur ab his qui quaerunt illam.* (Sap. 6. 13.) Similia sexcentis in locis occurrunt.

Porro ea ignorantia nunquam à peccato excusat, quæ hominis vitio semper imputari debet: atqui Legis naturalis ignorantia semper hominis culpæ tribuenda est; siquidem, testè Scripturâ, Deus sapientiam Legemque æternatâ; cujus participatio quædam est Lex naturalis, iis revelat qui eam, quantum satis est: diligunt, quaerunt, postulant. Si quis igitur Legem naturalem ex aliqua parte ignoraverit & offenderit, seipsum accuset, quod cœlesti lumini aditam suâ culpâ præcluserit. *Ut innotescat quod latebat, inquit Augustinus, . . . gratia Dei est quæ hominum adjuvat voluntates; quâ ut non adjuventur, in ipsis causa est.* (Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 17. n. 26. tom. 10. p. 54.)

ART. II. Ex Ecclesiâ contra Pelagianos judicio.

Synodus Diospolitana, post recitatum istud Cœlestii capitulum, oblivionem & ignorantiam non subjacere delicto, quia non secundum voluntatem eveniant, sed secundum necessitatem, dixit: *Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula dicit præfens Pelagius Monachus! Huc enim reprobatur sancta Synodus,*

& Sancta Dei Catholica Ecclesia. Ita refert S. Augustinus, *Lib. de gestis Pelagii, cap. 18 & 19.* nec respondeas ideo damnatos fuisse Pelagianos, quod ignorantiam ipsam affectam à peccato excusarent. Quis enim non videat ejusmodi ignorantiam evenire secundum voluntatem, non vero secundum necessitatem? Fatebatur ipse Pelagius hominem praevidere debere ne ignoret, ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia sua, quod, auctentia diligentia, scire debuisset: sic testatur Augustinus, (*Lib. de nat. & grat. cap. 17. n. 19.*) Apertum est igitur Pelagianos ea tantum excusasse peccata, quae sunt ex ignorantia quam nonnulli appellant invincibilem; ac proinde à Synodo Diospolitana definitum fuit nullam Legis naturalis ignorantiam à peccato excusare.

ARG. III. Ex Patribus.

S. Augustinus: Si quis bonum putaverit esse quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccatum est. (*Epist. 47. n. 4. tom. 2. pag. 112.*)

S. Bernardus: Sive malum putes bonum quod fortasse agis, sive bonum, malum quod operaris, utrumque peccatum est. (*Lib. de præcepta & dispensatione, cap. 14. n. 40. tom. 1. ult. edit. Mabil. pag. 516.*)

S. Thomas: Ad hoc quod dicatur malum, id in quod fertur voluntas, sufficit sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum. 1. 2. quæst. 19. art. 6. ad 1.

Alia longè plura Patrum testimonia reperire est apud Henricum à S. Ignatio. (*Ethic. amoris, tom. 1. pag. 677. & seq.*)

Itaque generatim pronuntiant SS. Patres semper eum peccare, qui rem ex se malam agit, quamvis eam bonam esse ex ignorantia putaverit: atqui fatentibus adversariis, ex natura sua malum

est quidquid prohibet Lex naturalis; ergo, juxta SS. Patres, peccat quisquis rem jure naturali vetitam agit, quamvis eam licitam esse ignorantia deceptus arbitretur.

ARG. IV. Ex Theologis.

Theologorum qui docent juris naturalis ignorantiam nunquam à peccato excusare, nec esse omnino invincibilem, tanta est multitudo, ut singulorum testimonia exscribere non sinant hujus operis limites.

1^o. Alexander Aletensis sic habet: Ignorantia juris naturalis neminem excusat, qui usum potest habere sciendi. (*Edit. Venet. an. 1575. tom. 2. pag. 293. fol. rect. col. 1. & pag. 375. fol. rect. col. 1.*)

2^o. Gratianus: Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est. (*Decret. part. 2. pag. 587.*)

3^o. Alphonsus de Castro: Theologi omnes concorditer docent ignorantiam Legis naturæ neminem excusare transgressione illius Legis. (*Lib. 2. de potestate Legis pœnalis, cap. 2.*)

4^o. Gerlonius: Concors est sententia nullam in his quæ juris divini sunt, cadere ignorantiam invincibilem. (*Lib. de vita spirit. lect. 4. corol. 3. t. 3. pag. 40. nov. edit.*) Hic autem agitur de Lege divina quæ continetur in Decalogo, cujus præcepta ad jus naturale pertinent.

5^o. S. Bernardinus Senensis: Jus naturæ omnes obligat, & nullum adultum excusat, cum sit scriptum in cordibus nostris. (*Tom. 2. pag. 564.*)

6^o. Molanus, agens de ignorantia juris naturalis: Nec ignorantia, inquit, nec prava consuetudo, nec contraria Lex positiva excusat. (*Compend. Theolog. Tract. 5. cap. 6. n. 13.*)

7^o. Martinus Steyaert, Doctor Lovaniensis: Hujus Scolæ (Lovaniensis), inquit, sententia jam pridem fuit & adhuc est, quam ejus nomine à de-

cennio Romæ sumus Professi, sicut omnis concupiscentia est superabilis divino saltem auxilio, ita omnem ignorantiam juris naturæ esse vincibilem, idèoque peccare cum quicumque ex illa agit aliquid quod revera est contra jus naturæ. (Append. ad Aphorismos, quæst. 2. p. 177.)

8°. Estius: Jus naturale obligat omnem hominem, quatenus rationalis usum participat, absque alia ulteriori promulgatione. Ex quibus patet ignorantiam legis naturalis semper peccatum esse, sive externa accesserit doctrina & instructio, sive non. (In 2. dist. 22. §. 10 & 14.)

9°. Contensonius: Juxta doctrinam Patrum, Augustini, Bernardi, Aquinatis, sole ipso clariorem, dicendum est omnem juris naturalis ignorantiam esse vincibilem & culpabilem. Id pluribus demonstravimus. (Tom. 3. dissert. 6. cap. 1. p. 605. edit. in-12. Lugd. an. 1675.)

10°. Sanbovius: La raison pour laquelle l'ignorance du droit naturel n'exuse point, c'est ou parce que, dans le sentiment de S. Thomas & des principaux Théologiens, on n'ignore point invinciblement ce qui est du droit naturel, ou bien parce qu'elle est la peine du péché. (Tom. 2. cas. 194. p. 522.)

11°. Henricus à S. Ignatio qui eandem doctrinam omni argumentorum genere confirmat. (Ethic. amoris, tom. 1. p. 676. & seq.)

12°. D. Genet Episcopus Vascensis, (de Vafson,) illustrissimus ille Autor Theologiæ Moralis Gratianop. quæ à multis Præsulibus approbata fuit. Sic enim docet: L'ignorance du droit naturel est péché dans tous ceux qui ont l'usage de la raison, c'est-à-dire, qu'on peut établir pour règle générale, que l'ignorance de ceux qui agissent contre ce droit naturel, ne les excuse pas entièrement de péché, quoiqu'elle le diminue. (Tom. 1. p. 37.)

13°. Havermans: Secundum veritatem & in SS. Patribus fundatam sententiam, nulla datur ignorantia juris naturæ, quæ sit invincibilis & inculpabilis.

(Tyrocin. Theolog. moral. Tract. 1. cap. 8. §. 13. tom. 1. pag. 353. edit. Antwerp. an. 1678.)

14°. Florentius le Cocq: Dicendum primò nullam ignorantiam juris naturæ esse invincibilem (Princip. totius Theolog. tom. 1. Tract. 2. cap. 2. sect. 11. p. 200. & seq.)

15°. Obstræet: Si quis peccat contra Legem æternam ex ignorantia juris naturæ, videtur ea ignorantia semper illi voluntaria in causa, vel quòd impedimenta non remiserit, vel quòd quæ adhibenda erant media non adhibuerit. (De act. human. tom. 1. dissert. 5. §. 3.)

ARG. V. Ex Censura apologiæ Casuistarum.

Infelicis illius operis autor Pater Piroi, inter alios errores asserbat absque libertate nullum esse peccatum; ad vitandam autem peccati libertatem opus esse, ut cognoscatur malum esse quod faciendum proponitur. Doctrinam hanc profligârunt Gallicani quidam Præsules. Tous les vrais Théologiens, inquit D. Godeau, Episcopus Vincienlis, enseignent que la loi de Dieu est la règle immuable de nos actions, & qu'une action qui lui est contraire, ne peut être que mauvaise. Tous ces mêmes Théologiens conviennent que la conscience erronée n'exuse point entièrement du péché dans les choses du droit naturel.

Toute la théologie, inquit D. de Ventadour Archiepiscopus Bituricensis, reconnoît que l'ignorance du droit naturel ne peut excuser de péché.

Eandem doctrinam defendit illustrissimus D. de Fitz James, Episcopus Sueslionensis, in censura operum Hardouin & Berruyer, ubi sic docet: L'ignorance du droit naturel n'est jamais absolument invincible, ni involontaire; .. premièrement parce que la Loi naturelle est gravée dans l'ame de tous les hommes; .. secondement parce que ... il n'y a aucun devoir prescrit par la Loi éternelle & par la Loi naturelle, qu'on ne puisse connoître avec le secours de

la grace, qui n'est jamais refusée à ceux qui la demandent comme il faut. Vide eximium opus cui titulus: *Instruction Pastorale contre les erreurs des freres Hardouin & Berruyer, &c.* (Tom. 2. pag. 525. édit. in-4o.)

ARG. VI. Ex Rationibus Theologicis.

Primæ ratio ex Legis naturalis characteribus Lex quæ immutabilis est; Lex quæ nullam dispensationem admittit; Lex quæ, juxta S. Augustinum, est ipsius æternæ Legis, atque ad eam firmæ & incommutabilis rationis divinæ in mentibus hominum facta transcriptio; Lex quæ, teste doctore Angelico, est participatio Legis æternæ; Lex eadem quæ nihil præcipit, nisi ex natura sua bonum, nihilque prohibet, nisi natura sua malum; hujusmodi, inquam, Lex creaturam rationalem sic obligat, ut sine peccato violari non possit; atqui, fatentibus adversariis, ita se habet Lex naturalis; ergo, &c.

Secunda ratio ex Legis naturalis ignorantia cum ingenitâ nobis concupiscentiâ comparatione. Cum enim utraque sit vulnus naturæ humanæ ab originali peccato insitum, de utraque eodem modo judicant SS. Patres. Ita que juris naturalis ignorantia non magis à peccato excusare valet, quàm concupiscentia: atqui peccatum est propriè dictum, quidquid ex concupiscentiâ impulsu contra Legem divinam agitur, ergo pariter verum est peccatum, quidquid contra jus naturæ ex ignorantia geritur: *Cæcitas cordis*, inquit Augustinus, *quæ nescitur quid justitia velit, & violentia concupiscentiæ quæ vincitur etiam qui scit unde debeat abstinere, non tantum peccata, sed peccata sunt etiam peccatorum.* His autem panis carere si esset in hominam potestate, non Deus rogaretur, & contra cæcitatem, ubi ei dicitur: *Illumina oculos meos, & contra iniquam cupiditatem, ubi ei dicitur: Non dominetur mei omnis iniquitas. Porro si etiam peccata idè ista*

non essent, quia non ab eis liberum est abstinere, non diceretur: *Deiſta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* (Lib. 6. operis imperf. cap. 17. tom. 10. pag. 1321.)

Argumentum simile adhibet Facultas Theologica Lovaniensis in articulis quos anno 1677 Innocentio XI examinandos obtulit, & qui nullam experti sunt censuram. Ibi legitur *Istud ratiocinium: Uti nulla concupiscentia est insuperabilis, ita nulla ejusmodi (Legis naturalis) ignorantia est invincibilis; quippe sicut omnis illa per divinæ gratiæ auxilium, ita etiam hæc per ejusdem gratiæ lumen superari potest. Opera igitur nostra naturali Legi contraria, quæ ex tali ignorantia procedunt, à peccato planè excusari nequeunt.*

Tertia ratio ex eo quòd in iis quæ per ignorantiam contra Legem naturalem fiunt, reperiantur omnia quæ peccatum propriè dictum constituunt, nempe rei quæ agitur cognitio, illius faciendæ voluntas libera, & divinæ legis violatio. 1º. Quidem adsunt illius quod agitur cognitio, idque faciendi libera voluntas: *Exempli gratiâ*, inquit Estius, *qui mentitur officiosè, putans tale mendacium esse licitum, is quidem nescit tale mendacium pertinere ad genus peccati, idèque putat non esse peccatum; scit tamen se mentiri, ac proindè actum qui essentialitèr malus est voluntariè committit.* (In secundum dist. 22. scđ. 12.)

Nec respondeas hominem qui ignorat malum esse quod facit, illud fortè non facturum fuisse, si novisset. Inde enim non sequitur eum non peccare, sed tantummodò peccaturum fortan non fuisse, si cognovisset. Adversariorum principio semel admisso, nullo prorsus erunt ignorantia peccata, quod apertè pugnat cum fide. Ea quippè sola propriè loquendo ignorantia peccata sunt quæ, eâ sublatâ, non fierent.

2º. Reperitur etiam divinæ Legis violatio. Id enim agitur quod ex se malum est, Legique divinæ

contrarium. Hujusmodi ratiocinium non tam notitium est, quàm Augustini, cujus ista sunt verba: Qui nesciens peccavit, non incongruenter volens peccasse dici potest, quoniam & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit. Ita nec ipse potuit esse sine voluntate peccatum; ... quod enim si voluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit, etsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen peccatum fuit: hoc enim factum est quod fieri non debuit. (Lib. 1. Retractionum, cap. 15. n. 3.)

COROLLARIUM.

Ex dictis sequitur nullam esse juris naturalis ignorantiam prorsus invincibilem. 1^o. Enim gravissimis argumentis comprobatum fuit, Legem naturalem ita semper obligare, ut illius ignorantia nunquam à peccato excuset: atqui id falsum foret, si quaedam esset Legis naturalis ignorantia verè insuperabilis; ergo, &c. Hoc ratiocinium sic adhibet Augustinus, de ignorantia fallacià differens: *Antanta fallacià est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt: quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? peccatur autem, caveri igitur potest.* (Lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. n. 50.)

2^o. Quemadmodum SS. Patres & Concilia docent, mandata Dei non esse impossibilia, quia nullum est quod, juvante Deo, impleri non possit; ita confitendum est Legis naturalis præcepta nunquam invictè ignorari, quia nullum est quod, auxiliante Deo, cognoscere non valeamus. *Illud enim quod possumus cum auxilio divino, inquit S. Thomas, non est nobis omnino impossibile.* (1. 2. quæst. 109. art. 4. ad. 2.) Porro gratiæ auxilium Deus iis nunquam denegat, qui illud ardentè, constanter

constanter & submissè postulant. *Almonemus, inquit Augustinus, à Deo petere scientiam, qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus qui se petunt & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est.* (Lib. de nat. & grat. cap. 17. n. 19.)

Præterea illi ipsi qui suam ob culpam gratiæ lumine non illustrantur, potentiam habent saltem remoram singula juris naturalis præcepta cognoscendi. Omnes enim consentiunt primaria quædam & generalia juris naturalis principia esse omnibus cognita, vel citra culpam ignorari non posse: atqui in primis illis & universalibus principis tota continetur Lex naturalis. Ad ea igitur si homo, quantum satis est, attingeret, ab omnique pravo affectu expeditus, paulatim quasi manu ad conclusionum etiam remotissimarum cognitionem deduci posset.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Docet S. Thomas in Lege naturali quædam esse conclusiones remotas, quæ vulgaribus ingeniis non magis sunt accommodatæ, quàm conclusiones quædam philosophicæ, quæ à primis veritatibus deduci non possunt, nisi longâ ratiociniorum serie, iis tantum propriâ qui hujusmodi studio sunt assueti: *Quædam sunt (in humanis actibus), ad quorum iudicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum; sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos.* (1. 2. quæst. 100. art. 1. in corp.)

Inde concludunt adversarii in Lege naturali quædam esse, juxta S. Thomam, conclusiones à primis principis remotiores, quæ à nonnullis hominibus invictè ignorari possunt.

Resp. in objecto loco id excutiendum sibi proponere S. Thomam, *utrum scilicet omnia præcepta moralia (veteris Legis) pertineant ad Legem naturæ;*

non verò utrum admittenda sit Legis naturalis ignorantia quædam invincibilis. Notat quædam esse quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis judicat esse faciendâ vel non faciendâ, sicut: Honora patrem tuum & matrem: Non occides: Non furtum facies; quædam verò esse quæ subtiliori consideratione rationis à sapientibus judicantur esse observandâ, & ista sic esse de Lege naturæ, ut tamen indigeant disciplinâ quâ minores à sapientibus instruuntur. Ex objectis igitur Doctoris Angelici verbis id unum sequitur, nimirum ex Legis naturalis officiis, alia esse quæ facilius & alia quæ difficilius intelliguntur; ad istorum verò cognitionem obtinendam contulendos esse viros peritiores; quod utro constitemur. Hic autem nihil deprehendimus, unde inferri possit, quamdam esse Legis naturalis ignorantiam verè invincibilem.

Quibusdam aliis S. Thomæ locis vim inferunt adversarii, ut in iis aliquod suæ causæ præsidium quaerant. Sed nequicquam in torquendis textibus desudant; ipsorum enim opinionem aperte repellunt S. Doctoris principia. Statuit 1^o. illud quod agitur contra Legem, semper esse malum, nec excusari per hoc quòd est secundum conscientiam: (Quodlib. 8. art. 13.) 2^o. ignorantiam quæ circa morum regulam versatur, semper ex negligentia nostra suam ducere originem, ac proinde nunquam à peccato excusare. Talis ignorantia (quæ scilicet aliquis ignorat quod oporteat eum facere vel vitare) non causatur involontarium, quia hujusmodi ignorantia non potest homini habenti usum rationis provenire, nisi ex negligentia, quia quislibet tenetur adhibere sollicitudinem ad sciendum quod oporteat eum facere vel vitare. (Lect. 3. in lib. 3. Eschicorum.)

Obj. 20. Decretum ab Alexandro VIII vulgatum an. 1690, quo damnantur 31. propositiones, inter quas ista recensetur: Tamei deus ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

Resp. quamcumque autoritatem huic decreto tribuant adversarii, eos tamen nihil juvat, nec inde inferri potest vel juris naturalis ignorantiam à peccato quandoque excusare, vel eam posse verè invincibilem esse. Id unum quippè ex prædicto decreto sequitur, hæc duo simul non esse propugnanda: quod perlibenter quisque fatebitur, modò ignorantia invincibilis nomine ea intelligatur, quæ gratiæ auxilio superari nequeat.

Nec responsum hanc merum esse effugium dicant adversarii. Ipse enim Steyaert, qui decretum Alexandri VIII notis in lucem editis acerrimè defendit, fatetur eam summo huic Pontifici mentem non fuisse, ut damnaret Theologos qui nullam admittunt juris naturalis ignorantiam invincibilem, & quæ à peccato excuset. (Steyaert, opusc. tom. 1. Nota in proposit. ab Alexandro VIII. damnatas, Nota 2. n. 4. pag. 346 & 347.)

Obj. 3^o. Ideò nullam admittitis juris naturalis ignorantiam invincibilem, quia nulla est quæ, auxiliante gratiâ, superari non possit, sed argumentum illud nimis probat: inde enim sequeretur nullam esse juris positivi ignorantiam insuperabilem; siquidem nulla est quæ pariter gratiâ vinci non possit, quam Deus iis nunquam denegat qui eam, ut par est, postulant; præfatum igitur argumentum nullius est roboris.

Resp. Neg. min. Dissimilis prorsus est juris naturalis & positivi ratio: jus scilicet naturæ immutabile est; quidquid præcipit, ex natura sua bonum justumque est; quidquid vetat, ex se malum est ac injustum. Præterea Lex naturæ in ipsis humanæ mentis quasi visceribus impressa est; eam igitur, ut potè sibi à Deo inlitam, suarantum culpâ ignorare homo potest, ob pravos scilicet affectus animi quibus obcuratur; eoque minus excusari potest, quòd cum generalibus quibusdam Legis naturalis principiis quæ ipsius menti indita sunt, quædam veluti cognatione conspirent cetera juris naturalis præ-

cepta, & in iis quasi implicita sint. Hæc autem primaria & generalia principia bene introspecta, ad aliorum cognitionem veluti manuducunt.

Contrà verò Leges positivæ à libera Legislatoris voluntate pendent, penes quem est eas condere, relinquerè, mutare, abrogare; quod verum, ex se malum & illicitum non est, sed ideò tantùm quia libero decreto prohibentur. Præterea earum cognitio cum primis morum principiis, in mentibus nostris à natura consignatis, non colligata est, nec quantalibet cordis castimoniam & puritatem comparatur. Unde fieri potest ut sine ulla hominis culpa ignorentur Leges positivæ, & circa peccatum violentur. Harum igitur cognitionem à Deo postulare minus tenentur homines, quàm reus illarum notitiam, quæ ad salutem sunt prorsus necessaria; nec tam paratus est Deus ad illustrandum errantem in jure positivo, quàm errantem in jure naturali. Dum enim aliquis propter ignorantiam, contra solum jus positivum agit, ipsius voluntas non fertur in rem, ex se malam & turpem; factis verò, cum aliquis Legem naturalem ex ignorantia infringit.

Obj. 4^o. Nonnullæ sunt conclusiones à primoribus juris naturalis principiis oriundæ, quarum cognitio, ne quidem magnis natura & gratiæ auxiliis comparari potest, cum circa eas dividantur doctissimi simul & sanctissimi viri. Sic putat S. Thomas à judice damnari eum posse quem innocentem novit; quod negat S. Bonaventura; quædam ergo remotiones juris naturalis conclusiones possunt *invincibiliter* ignorari.

Resp. Ex hoc quidem argumento sequitur, in iis quæ ad jus naturale pertinent falli posse Sanctos, vel maximè perspicaces; minime verò insuperabilem omnino esse hujusmodi errorem. Hæc enim quæ objicitur opinionum discrepantia nonne oriri potuit, vel ex nonnullis præjudiciis à quibus prorsus liberi non sunt etiam doctissimi & sanctissimi

homines? vel ex eo quòd in excutienda quæstione non satis diligentiam adhibuerint? vel ex aliqua veniali culpa cujus expertes non sunt viri vel pissimi? Præterea mentem quidem suam circa propositas tibi quæstiones exponunt & declarant quid certum, quid probabile, quid dubium, quid periculosum sibi videatur, in quo nihil est mali; sed dum mentem suam in rebus controversis aperiant, securitatem non promittunt: *Neminem velim, inquit Augustinus; sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errasse perspexerit.* (De dono persever. cap. 21. n. 55.)

Denique frequenter monuerunt SS. Patres, nullam opinionem vel doctrinam falsam à peccato eum liberare, qui contra legem æternam, cujus manatio quædam est Lex naturalis, agit, ut patet ex dictis.

Obj. 5^o. Infideles *negativi*, ut constat apud omnes, in eo non peccant quòd finem non habeant, nec proinde quòd careant gratiæ auxilio fidei annexo, sine quo tamen depelli non potest ignorantia, quæ circa remotissimas juris naturalis conclusiones versatur. Hæc igitur ignorantia iis in culpam verò nequit.

Resp. Si quid valeat istud argumentum, probari etiam poterit infideles de quibus agitur, nullius peccati actualis esse conscios. In eo quippe non peccant, quòd fidem non habeant, nec proinde quòd destituti sint gratiæ auxiliis fidei annexis, sine quibus tamen reipsa vitari peccatum non potest; nullum igitur peccatum ipsis merito imputabitur. Simili argumento delusi Molina illiusque discipuli docuerunt, Brasilienses absque culpa Deum ignorasse, priusquam ad eos venissent Evangelii Præcones (*Missionnaires*). Sfondratus etiam inter Providentiæ beneficia recensuit, quòd infideles Deum non cognoscerent, quia ipsius voluntatis nescii, à peccato erant immunes. Quis non videat absurda hæc confectaria, falsitatem principii unde

fluunt demonstrare? Præterea homines qui suâ culpâ cœlesti lumini, quo ipsorum ignorantia depellerentur, aditum præcludunt, potentiam habent saltem remotam, singula juris naturalis præcepta cognoscendi, ut supra exposuimus.

Obj. 6^o. Non pauci sunt homines adeo hebetis & tardi ingenii, ut conclusiones ex primis principiis pendentes deducere nequaquam valeant; invincibili proinde juris naturalis ignorantia subjacent.

Resp. posse homines, vel maximè imperitos & rudes, ad Legis naturalis cognitionem, quantum satis est, pervenire, modò non desit sincera pietas, & cœlestè lumen assiduis precibus postulent. Ad scientiam enim salutis longè tutius ac certius perducunt cordis munditia & simplicitas, quàm ingenii perspicacitas & inflata eruditio. Hinc Christus sic exclamat: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis* (Matth. 11. 25.) Quibus autem iusto Dei iudicio non datur hæc scientia, si mentis hebetudinem immeritò prætexerent: ista enim, præterquàm quòd est poena peccati originalis, plerumquæ pravis cupiditatibus, variisque peccatis plurimùm augetur. Sicut nulli debetur gratia quâ sanatur voluntatis corruptela & infirmitas, ita etiam nulli debetur gratuitum lumen quò mentis tenebræ depellantur.

Obj. 7^o. Idem de iure naturali sentiendum est, ac de scientiis speculativis: atqui in scientiis speculativis sæpè accidit ut invictè ignorentur conclusiones à primis principiis remotiores; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. & paritatem. Juris quippè naturalis cognitio, cum actus nostros dirigere debeat, magis à corde quàm à mente, magis ab animi puritate quàm ab ingenii subtilitate pendet. Si quis ergo mentem suam ab omni pravata cupiditate exemerit; si humili oratione divinam opem imploraverit; si pios doctosque viros sine fraude & dissimulatione consuluerit, cum agitur de rebus dubiis,

& violandæ Legis divinæ periculum imminet; is profectò vel certam veritatis cognitionem assequetur, vel, remanente dubitatione, partem tutiorem amplectetur. Longè autem aliter se habent veritates speculativæ: in actus humanos non influunt; eorum cognitio magis ab ingenii sagacitate, quàm à mentis munditia pendet, & sine ullo salutis periculo invictè ignorari possunt.

DISSERTATIO II.

De Lege positiva.

LEX positiva dicitur ea quæ naturaliter mentibus nostris non inflata est, sed ab aliquo Legislatore extrinsecus posita & constituta. Duplex autem est, divina scilicet quæ Deum, & humana quæ hominem habet autorem. De utraque seorsim agendum.

SECTIO I.

De Lege positiva divina.

Lex positiva divina, sive à Deo lata, dividitur in veterem sive Mosaicam quæ populo Israëlítico data est, & per Moysen promulgata, & in novam sive Evangelicam quæ à Christo fuit instituta, & per Apostolos denuntiata. De utraque speciatim differemus.

fluunt demonstrare? Præterea homines qui suâ culpâ cœlesti lumini, quo ipsorum ignorantia depellerentur, aditum præcludunt, potentiam habent saltem remotam, singula juris naturalis præcepta cognoscendi, ut supra exposuimus.

Obj. 6^o. Non pauci sunt homines adeo hebetis & tardi ingenii, ut conclusiones ex primis principiis pendentes deducere nequaquam valeant; invincibili proinde juris naturalis ignorantia subjacent.

Resp. posse homines, vel maximè imperitos & rudes, ad Legis naturalis cognitionem, quantum satis est, pervenire, modò non desit sincera pietas, & cœlestè lumen assiduis precibus postulent. Ad scientiam enim salutis longè tutius ac certius perducunt cordis munditia & simplicitas, quàm ingenii perspicacitas & inflata eruditio. Hinc Christus sic exclamat: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis* (Matth. 11. 25.) Quibus autem iusto Dei iudicio non datur hæc scientia, si mentis hebetudinem immeritò prætexerent: ista enim, præterquam quòd est poena peccati originalis, plerumque pravis cupiditatibus, variisque peccatis plurimum augetur. Sicut nulli debetur gratia quâ sanatur voluntatis corruptela & infirmitas, ita etiam nulli debetur gratuitum lumen quò mentis tenebræ depellantur.

Obj. 7^o. Idem de iure naturali sentiendum est, ac de scientiis speculativis: atqui in scientiis speculativis sæpè accidit ut invictè ignorentur conclusiones à primis principiis remotiores; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. & paritatem. Juris quippè naturalis cognitio, cum actus nostros dirigere debeat, magis à corde quàm à mente, magis ab animi puritate quàm ab ingenii subtilitate pendet. Si quis ergo mentem suam ab omni pravata cupiditate exmerit; si humili oratione divinam opem imploraverit; si pios doctosque viros sine fraude & dissimulatione consuluerit, cum agitur de rebus dubiis,

& violandæ Legis divinæ periculum imminet; is profectò vel certam veritatis cognitionem assequetur, vel, remanente dubitatione, partem tutiorem amplectetur. Longè autem aliter se habent veritates speculativæ: in actus humanos non influunt; eorum cognitio magis ab ingenii sagacitate, quàm à mentis munditia pendet, & sine ullo salutis periculo invictè ignorari possunt.

DISSERTATIO II.

De Lege positiva.

LEX positiva dicitur ea quæ naturaliter mentibus nostris non inflata est, sed ab aliquo Legislatore extrinsecus posita & constituta. Duplex autem est, divina scilicet quæ Deum, & humana quæ hominem habet autorem. De utraque seorsim agendum.

SECTIO I.

De Lege positiva divina.

Lex positiva divina, sive à Deo lata, dividitur in veterem sive Mosaicam quæ populo Israëlítico data est, & per Moysen promulgata, & in novam sive Evangelicam quæ à Christo fuit instituta, & per Apostolos denunciata. De utraque speciatim differemus.

CAPUT PRIMUM.

De Lege veteri, sive Mosaïca.

TRIA sunt in isto capite expendenda; primum, an Lex vetus bona fuerit, & Deum autorem habuerit; secundum, quosdam obligaverit; tertium, utrum abrogata fuerit, & quandomam defierit.

ARTICULUS PRIMUS.

An Lex vetus bona fuerit, Deumque autorem habuerit.

Legem veterem bonam esse, à Deoque conditam negarunt Marcionitæ, Manichæi, & Priscillianistæ: duo scilicet fingebant prima rerum principia, alterum malum quod juxta ipsos fuit veteris Legis autor, unde eam malam esse concludebant; alterum bonum à quo prodit Lex Evangelica quæ ideo bona est. Nostrorum etiam temporum Deistis familiare est Legem Mosaicam dicitur infectari.

PROPOSITIO I.

Lex vetus bona fuit.

Probatur. Ea Lex bona erat, cujus sanctitatem passim celebrat Scriptura; quam observârunt utriusque Testamenti viri pietate insignes; quæ de supremo Numine nihil nisi vera & sublimia tradit; quæ tandem eximia motum præcepta continet:

atque 1^o. Legis veteris sanctitatem non semel commendat Scriptura: *Lex Domini immaculata, convertens animas*, inquit Psaltes Regius. (Psal. 13. 8.) *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum & bonum.* (Rom. 7. 12.) *Scimus autem quia bona est Lex, si quis eâ legitime utatur.* (1. Tim. 1. 8.) Ergo 1^o. &c.

2^o. Eam religiose observârunt utriusque Testamenti homines sanctissimi. In veteri quidem omnes Patriarchæ, Prophetæ, Moyses, Samuel, & præceteris David qui toties psallebat: *Lex tua meditatio mea est*, — *Legem tuam non sum oblitus, bonum mihi Lex oris tui.* (Psal. 118.) In novo etiam Testamento, eam diligenter implevit Christus qui sic testatur: *Non veni solvere Legem, sed adimplere;* (Math. 5. 17.) qui voluit circumcidi, Sabbatum servare, Pascha celebrare, &c. Hanc observavit Beata Virgo quæ legi Purificationis sese subjecit, Filiumque suum unigenitum præter Legem præcepto redemit. (Luc 2. 22.) Ergo 2^o. &c.

3^o. De supremo Numine nihil nisi vera & sublimia prædicat: Deum enim exhibet unicum, optimum, æternum, immentum, spiritum purissimum, infinitum, mundi conditorem, sapientissimis legibus res universas moderantem, malos punientem, bonos remunerantem, omnium denique honorum fontem; quàm verò turpiter de Deo sentirent ceteræ omnes gentes & illustiores Philosophi, nemo nescit; ergo 3^o. &c.

4^o. Eximiam morum disciplinam tradit Lex Mosaïca. Præcipit enim ut Deum toto corde quis diligat; (Deut. 6. 5.) prohibet ne quis proximo suo noceat; furtum, stuprum, adulterium, homicidium vetat. (Levit. 19.) Variis pœnis à vitio deterrere, & propositâ mercede ad virtutem excitare; non pravas tantum actiones, sed & mala desideria interdicit: *Non concupiscet.* (Exod. 20.) Uno verbo, decem Decalogi præcepta quæ morum regulas à Moyse traditas continent, rectè rationi

sunt prorsus consona, & veluti totius Legis naturalis compendium; ergo 4^o, &c. ergo Lex vetus bona fuit.

PROPOSITIO II.

Deus veteris Legis autor est.

Probatur. Ille est veteris Legis autor, cui eam tribuunt Scripturæ; atqui Veterem Legem Deo tribuunt Scripturæ; siquidem eam passim vocant *mandatum, verbum, legem Dei*. Irritum, inquit Christus, fecistis *mandatum Dei propter traditionem vestram.* (Matth. 15. 6.) *Hæc sunt præcepta & ceremoniæ, atque iudicia quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos,* ait Moyses. (Deut. 6. 1.) *Deus sic hortatur: Memento te Legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb.* (Malach. 4. 4.) *Tulerant illum (Iesum) in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini.* (Luc. 2. 22.) Ergo veteris Legis conditor est ipse Deus, Moyses vero promulgator.

Præterea quis sibi persuadeat Judæos, Legem Mosaicam quæ gravibus præceptis eos quasi obruebat; quæ multa cupiditatibus ingrata exigebat; quæ non raro sub poena capitis obligabat; admissuros fuisse, nisi Moyses evidentibus argumentis, & præsertim miraculis, demonstrasset Legem hanc ab ipso Deo, cujus legatus erat, maaasse?

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Ea Lex mala fuit, cujus præcepta non erant bona: atqui veteris legis præcepta, &c. Sic enim testatur Deus: *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non vivent.* (Ezech. 20. 25.)

Resp. ex variis interpretationibus quæ ad solvendam hanc difficultatem afferuntur, ea quam

modo exponemus potior nobis videtur, & prædicto Ezechielis capiti magis accommodata. Ut autem facilius intelligatur, observandum est inter Leges Israëlitis à Deo per Moysen datas, alias fuisse morales quas Decalogum vocamus, & alias ceremoniales quæ omnes ritus ad cultum Dei externum pertinentes præscribebant. Cùm nihil aliud sit Lex moralis, quam Lex æterna & naturalis, quisquis eam totam observat, justus est apud Deum: *Rætores enim legis, inquit Apostolus, justificabuntur.* (Rom. 2. 13.) Lex verò ceremonialis, etiã accuratè observaretur, ex seipsa iustitiam non conferebat, quia tota sita est in externis quibusdam ritibus, qui conscientiam minimè afficiunt, impleri que possunt, quamvis cor longè sit à Deo.

Post Israëlitarum ex Ægypto egressum, ipis tantùm Lex moralis tradita est in tabulis lapideis, nec alia eis opus fuisset, si illam observassent. Quia verò vitulum aureum statim adoraverunt, & noverat Deus illos ad rebellionem esse propensos, novum iis præceptorum jugum imposuit, quo veluti contumaces servi coercerentur, à falsorumque nummum cultu averterentur. Id ipse Deus aperte sic declarat: *Eject eos ... de terra Ægypti, & eduxi eos in desertam, & dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet eis;* (Ibid. v. 12.) id est, dedi eis Legem moralem, cujus observatio vitam confert spiritualem. Enumeratis deinde plurimis Israëlitarum criminibus, sic prosequitur Deus: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non vivent;* id est, præcepta ceremonialia. Dicuntur *non bona*, non quia mala erant; sed eo quod ad conferendam iustitiam egena & sterilia fuerint. Ibi enim Lex ceremonialis opponitur Legi morali cujus præcepta per se bona sunt, vitamque pariunt internam & spiritualem; contra verò ceremoniæ legales per se nec bonæ sunt, nec malæ, sed indifferentes. Quamvis autem justos

ex se non facerent eos à quibus observabantur, bonæ tamen & optimæ fuerunt, quatenus signa erant prænuntia mysteriorum à Christo implendorum, qui est *finis legis*, ut ait Apostolus (Rom. 10. 14.) Interpretationem hanc tradunt plurimi Patres, tum Græci, tum Latini.

Obj. 2^o. Ea Lex mala erat quæ peccati & damnationis causa fuit: atqui Lex vetus peccati, &c. Lex enim *subintravit, ut abundaret delictum*. (Rom. 5. 20.) Lex dicitur ab Apostolo *ministratio mortis, ministratio damnationis*. (2. Cor. 3. v. 7. & 9.) Ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quæ peccati causa ex se fuit, conc. maj. causa, id est, occasio ex vitio hominis, neg. dist. pariter min.

Porro Lex, ut potè *sancta* ex Apostolo, per se non fuit causa peccati, quæ ad illum homines ex natura sua impulerit; verum ex Lege occasionem peccandi arripuit depravatio nature in vitium nitentis. Sic Superiorum mandata, licet bona, peccato locum dare solent, quatenus concupiscentiam freni impatientem irritant. Hanc fuisse Apostoli mentem satis indicant hæc ipsius verba: *Occasione accepta, peccatum per mandatum*, (id est, Legem) *operatum est in me omnem concupiscentiam*. (Rom. 7. 8.) Ardentius enim ea appetimus quæ nobis prohibentur.

Obj. 3^o. Lex Mosaica furorem vindictæ fovebat, permittendo scilicet ut oculus pro oculo, dens pro dente repeteretur à parte læsa; (Exod. 21.) ergo non fuit sancta.

Resp. Neg. ant. *Lex talionis*, ut ait Augustinus, *non fomes, sed limes furoris est*. (Lib. 19. contra Faustum, cap. 25. tom. 8. pag. 327.) Per eam quippè cautum fuit ne quis ab alio læsus, nimia vindictâ uteretur, & sic rudi populo constitutus est primus lenitatis gradus; Christianis autem majoris imponitur Lex perfectionis, dum jubentur ab omni vindictâ abstinere, Præterea *Lex talionis*,

ut observat Tertulianus, veluti quodam freno coerceretur aggrediendi libido, adeo ut *licentia retributionis, prohibitio esset provocationis*. (Lib. 2. contra Marcion. cap. 18. pag. 390.)

Denique ibi privatis jus non conceditur, illatas sibi injurias propria auctoritate (*par voie de fait*) ulciscendi, sed juridicè id fieri debebat. Lex erat civilis quæ poenam adversus ordinis publici perturbatores statuebat, & ejusdem nature ac leges criminales, quæ in societate quâlibet benè constituta in usu sunt.

Obj. 4^o. Pessima est Deoque indigna Religio, quæ præcipit ut Deo offerantur humana sacrificia: atqui id præcipiebat Religio Mosaica; ergo, &c.

Resp. Neg. min. 1^o. quia in Lege Mosaica de sacrificiis frequens est sermo, & variæ sunt præceptiones; quænam animalia Deo sint offerenda, quæ in eis dotes requirantur, quo tempore, quibus in circumstantiis, quo ritu fieri debeant, Lex minutim describit: de victimis autem humanis Deo offerendis prorsus tacet. Porro satis demonstrat silentium illud hujusmodi sacrificia à Lege Mosaica nec præcipi, nec approbati.

2^o. Quia nusquam legitur sanctissimos veteris Testamenti viros & Israëlitarum Reges piissimos, Davidem, Josiam, Josaphat, Ezechiam, &c. Deo sanguinem humanum obtulisse. Quis verò crediderit viros tantâ pietate insignes hujusmodi sacrificia neglecturos fuisse, si de iis faciendis aliquid præceptum extitisset?

3^o. Quia Israëlitis sub gravissimarum poenarum comminatione vetat Deus, ne Chananæos imitentur qui filios & filias diis immolabant: *Non facies similiter Deo tuo; omnes enim abominationes quas avertatur Dominus, fecerunt, diis suis offerentes filios & filias comburentes igni*. (Deut. 12. 31.) Ex his omnibus manifestum est humana sacrificia à Lege veteri, nec præscripta, nec approbata fuisse, sed potius vetita.

Inhab. 10. Sic præscribitur: *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & quinis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* (Levit. 27. v. 28. & 29.) unde concludunt nonnulli Deistæ, juxta Legem Mosaicam, immolandos esse homines qui Deo fuerant voto consecrati.

Resp. duplex apud Judæos fuisse votum; alterum quod redimi poterat, alterum verò prorsus irrevocabile, juramento confirmatum, & quod redimere non licebat: hoc posteriori modo quilibet Israëlita potuit quæ sua erant Deo devovere, suam domum, suos agros, sua animalia, servos & filios. Animalia immunda vendebantur, eorumque pretium sanctuario destinatum erat; pura autem immolabantur; agri, domus, in templi & Ministrorum dominium cedebant. Homines autem hujusmodi voto consecrati non occidebantur, sed Templi ministerio per totam vitam addicti erant. Ita Samuel, antequam nasceretur, Domino consecratus est. Hæc autem verba: *Omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur*, de iis tantum intelligenda sunt quæ licitum erat occidere: atqui Lege Mosaicâ verum erat ne homines Deo immolarentur, ut modo exposuimus; ergo præfata verba intelligi non debent de homine qui Deo consecratus fuerat.

Præterea Deistarum difficultas nititur præsertim versiculo 29. qui sic legitur in Vulgata: *Omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* Aliud autem exhibet textus originalis qui, teste erudito Houbigant, sic verti debet: *Quicumque ex hominibus anathemate devotus fuerit, non redimetur, sed morti dabitur;* non agitur ergo de hominibus in sacrificium offerendis, sed de iis quos solemnî anathemate, in poenam scelerum morti devoverat auctoritas publica. Cujus

anathematis plurima sunt in Scripturis exempla. Sic Deus ipse Chanaanos, in execrandorum quæ commiserant criminum vindictam, neci devoverat. Sic poenale anathema in eos omnes constitutum fuit, qui idolatriæ rei essent, diisque alienis sacra facerent. (Exod. 22. — Deut. 13. v. 5 & 9.) Sic etiam generalia Israëlitarum comitia anathemati subjecerunt, ad trucidandosque sese obstrinxerunt, quotquot in Masphat non convenissent, ut adversus Benjamitas præliarentur. (Judic. cap. 21. v. 5) Quapropter ad internecionem ferro caesi sunt Jabita qui in locum conventum non sese contulerant. Quicumque hujusmodi anathemate percussus fuerant, sine ulla misericordia exterminabantur, nulloque pretio redimi poterant; in sacrificium verò minimè offerebantur. Quis enim poenam mortis & sacrificium indifferenter accipiat? Inter utrumque profectò immane est discrimen; resque adeò discrepantes confundere, vel ignorantia, vel malæ fidei certum est argumentum.

Inhab. 20. Sic narratur: *Jephthe votum vocis Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihi que occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.... Revertente autem Jephthe, occurrat ei unigenita filia sua;..... quæ visâ, scilicet vestimenta sua, & ait: Heu! me, filia mea, decepsisti me, & ipsa decepta es! aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* Hæc autem, postquam duobus mensibus virginitatem suam pænaxisset, reversa est ad patrem suum, & fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. (Judic. 2. v. 30 & seq.) Ergo, inquit Deistæ, filiam suam Deo immolavit Jephthe; ergo hujusmodi sacrificia per Legem Mosaicam facta erant licita.

Resp. 10. Etiam si certum esset Jephthæ filiam suam Deo immolasse, non idcirco causam suam

obtinerent Deistæ. Inde enim hoc unum colligi posset, nempe, Jephthæum, errante conscientiâ, & ardentiori inconsultoque zelo abreptum, contra Legem peccasse quæ hujusmodi sacrificia sub gravissimis poenis prohibuerat. Hinc Scriptores omnes qui Jephthæi filiam à patre suo mactatam opinantur, in eo consentiunt, quod victimam Deo ingratam obrulerit. Et verò si illud sacrificium Legi consentaneum fuerit, cur in ea re Jephthæus nullos habuit imitatores? Cur factum illud nunquam laudaverunt Scriptores sacri, tanquam insigne pietatis & fortitudinis exemplum?

Resp. 2^o. cum multis: Longè probabilius est non immolatam fuisse Jephthæi filiam, sed tabernaculi ministerio & perpetuæ virginitati addictam; 1^o. quia textus hebraicus ita se habet: *Quod egressum fuerit de foribus domus meæ in occursum meum, cum reversus fuero cum pace à filiis Ammon, offeram illud in holocaustum*; id est, si hujusmodi fuerit, ut licitè offerri possit, nec sit homo vel animal immundum. 2^o. Quia incredibile est Jephthæum latuisse Legem suprâ memoratam quæ severe prohibebat ne Deo immolarentur humanæ victimæ. 3^o. Quia Jephthæi filia dicitur per duos menses planxisse, non præmaturam mortem, sed virginitatem, id est, continentiam perpetuò servandæ necessitatem: hic enim itatus, ut norunt omnes, Judaicis mulieribus, quoddam erat dedecus & opprobrium. Cum ergo saltem dubium sit an Jephthæus filiam suam Deo immolaverit, & aliundè certò constet eum, hoc si fecerit, contra Legem peccasse, exemplum illud Deistæ nihil omnino juvat.

Obj. 5^o. Lex Mosaicæ cupiditatem hominum irritabat, bona temporalia, tanquam virtutis mercedem promittendo; quæ tamen bona propter seipsa diligere non licitum est; quomodo igitur divina esse potuit Lex Mosaicæ?

Resp. 1^o. Hæc bona, licet infima, in suo tamen genere bona erant, usque Judæi benè vel malè,

pro suo arbitrio, uti poterant. 2^o. Duplicis generis bona Deus Abrahamæ & posteris ejus pollicitus est, alia spiritualia & æterna, imò seipsum, illis qui eum ex amore colerent: *Ego protektor tuus sum, & merces tua magna nimis*; (Genes. 15. 1.) alia terrena promittit carnalibus qui exterius in officio contineri non poterant, nisi hujusmodi bona comparandi spe, vel amittendi timore. 3^o. Hoc Dei consilium fuit, ut genus humanum peccato & dæmoni manciparum, non statim, at sensim per varios progressus in filiorum libertatem traduceret. Porro ceteræ omnes gentes tantâ mentis cæcitate laborabant, ut bonâ temporalia à falsis suis numinibus expectanda esse existimarent. Sapientissimè igitur Deus populo rudi & carnali ista bona promisit & dedit, ut ea saltem ab ipso solo, non autem ab idolis postularer, sicque à falsorum numinum cultu averteretur. Hanc rationem asserit Augustinus. (Lib. 10. de civitate Dei cap. 14.) 4^o. Tandem non ideò bona temporalia Judæis promisit Deus, ut in iis affectum suum & finem ultimum constituerent; sed ut animum ad bona spiritualia & cœlestia, quorum erant quasi typus, erigerent. Sic terra Chanaan Regnum cœlorum, sic victoria de hostibus reportatæ triumphum de diabolo adumbrabant; & revera quotquot in populo Israëlítico spirituales erant, in hujusmodi bonis temporalibus, cœlestium imagines deprehendebant, eaque sola in votis habuere. Alii autem non divinis promissionibus, quas modo carnali accipiebant, at suâ tantum cupiditate decipiebantur. Ita variis in locis Augustinus.

Alias quasdam difficultates jam diluimus in Tractatu de Religione, ubi divinam esse Religionem Mosaicam demonstratum fuit. Eam à Deistarum argutiis & calumniis egregiè eleganterque vindicatam reperias in opere cui titulus: *Lettres de quelques Juifs Portugais & Allemands.*

ARTICULUS II.

Quosnam obligaverit lex vetus.

Lex vetus triplicis generis præcepta complectitur, nempe *moralia*, *ceremonialia* & *judicialia*, juxta illud Moysis: *Hæc sunt præcepta & ceremonia atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester.* (Deut. 6. 1.) *Moralia* pertinent ad morum disciplinam, dicique solent *Decalogus*: eo quod sint numero decem. *Ceremonialia* sunt ea quibus præscribuntur certi ritus ad Dei cultum spectantes, qualia sunt sacrificia. *Judicialia* sunt Leges civiles & politice, juxta quas regebatur Judæorum societas. Certum est omnes populos præceptis moralibus fuisse subjectos, non quidem vi Legis Mosaicæ, sed quatenus ad Legem naturalem pertinebant, quæ nullam patitur dispensationem. Quæstio igitur tantum esse potest, utrum alii, præter Hebræos, populi præceptis Legis Mosaicæ ceremonialibus & judicialibus obstringerentur.

PROPOSITIO.

Præcepta Legis Mosaicæ ceremonialia & judicialia solos obligabant Judæos.

Probatur. Præcepta Legis Mosaicæ ceremonialia & judicialia eos tantum obligabant, quibus inposita fuerant: atqui solis Judæis fuerant inposita, juxta illud Deuteronomii: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israël: (cap. 1. v. 1.) Quæ est alia gens sic incluta, ut habeat ceremonias justaque judicia? (Ibid. cap. 4. v. 8.)* Et verò si populos gentiles obligassent præcepta Legis Mosaicæ ceremonialia & judicia-

lia, quandiù vigerunt hujusmodi Leges, nemo potuisset sine earum observatione salvus fieri: atqui tamen aliter se res habuit, ut patet exemplo sanctissimi viri Job qui certè non fuit Israëlita, nec Legum illarum observator.

Dices: Si Lex vetus solos obligaverit Judæos, Gentilium qui sine ea salvi esse poterant, melior fuit conditio, quàm Judæorum: atqui id dicere nemo Christianus aufit; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Quia Gentiles Legis veteris lumine destituti, longè remotiores erant à salute, quàm Judæi quibus Lex antiqua veluti *pædagogus* fuit in Christo, ut ex fide justificarentur. (Gal. 3. 24.) In eum quippè finem data fuit Lex, ut per eam Judæi ad Christi mediatoris & salvatoris cognitionem deducerentur: *Finis enim Legis Christus.* (Rom. 10. 4.) Porro Lex Judæos variis modis ad Christum perduxit. 1º Quia qua populo Judaico contigerunt, totidem erant figuræ & imagines, quarum veritas in Christo implenda erat: *Hæc omnia in figura contingebant illis.* (1. Cor. 10. 11.) 2º Quia omnes veteris Legis ceremoniæ Christum adumbrabant. Qua de re vide S. Thomam, (1. 2. q. 192.) ubi fusè exponit quid Legis Mosaicæ ritus circa Christum, vel ejus Ecclesiam præfiguraverint. 3º Quia, ut ait idem Doctor, *postquàm homo est instructus per Legem, convicta est ejus superbia de infirmitate, dùm implere non poterat quod cognoscebat; (ibid. q. 98. art. 6. in corp.)* sicque admonebatur ut Salvatoris auxilium & gratiam impioraret.

Annotandum est autem non potuisse Gentiles populo Judaico sese aggregare, eorumque Religionem amplecti, quin eo ipso tota Lege Mosaicâ obarietati fuerint, ut patet ex cap. 12. Exodi, Quisquis circumcisus fuerat, totam Legem Mosaicam observare tenebatur, sicut terti Legi Evangelicæ subicitur quisquis Baptismum accepit.

ARTICULUS III.

Utrum abrogata fuerit Lex Mosaiica, & quandam deficiat.

Lex abrogari dicitur, cum obligandi vim amittit. Certum est præcepta Legis veteris moralia non potuisse abrogari; pertinent enim ad Legem naturalem quæ est prorsus immutabilis. Tota igitur controversia Christianos inter & Judæos movetur de præceptis tum ceremonialibus, tum judicialibus.

PROPOSITIO I.

Lex Mosaiica in iis quæ pertinent ad præcepta ceremonialia & judicialia, non erat perpetuè duratura, sed aliquandò abroganda.

Probatur 1^o. Lex ea non fuit in perpetuum constituta, cujus interitum Deus per Prophetas voluntatis suæ interpretes, sæpius prædixit: atqui Legis Mosaiicæ interitum Deus, &c. 1^o. Enim sic prænnuntiat: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda sœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël; dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* (Jerem. 31. v. 31. & seq.) Porro Lex Judaica erat aliquandò interitura; si Deus promiserit novum sœdus cum Judæis sœdus à priori diversum, esse initurum; atqui Deus per Jeremiam promiserat se, &c. ergo, &c.

2^o. Ex Prophetis patet gentes ad verum Dei cultum adducendas esse, ita ut unum in populum cum Judæis coirent, unamque cum eis societatem

& Ecclesiam constituerent. Loquetur pacem gentibus (Zachar 9. 10.) *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* (Isa. 49. 6.) *Radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* (Ibid. cap. 11. v. 10.) *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium: & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias suas.* (Ibid. cap. 2. v. 2.) In præfatis Prophetarum oraculis agitur de Religione ab omnibus populis suscipiendâ: atqui hæc diversa esse debuit à Religione seu Lege Judaica, quæ soli Populo Israëlitico imposita fuit, & cujus insuper ea erat natura & conditio, ut nullo modo potuerit ab omnibus gentibus observari: sic possibile non fuit ut omnium gentium homines ter in anno Hierosolymam adirent, sicut à Lege Mosaiica præceptum est; sic etiam possibile non fuit ut gentes illæ Deo sacrificia juxta ritum Mosaicum offerrent; verabat enim Lex ne extra Hierosolymam sacrificaretur.

3^o. A Daniele prænnuntiat urbis, templi, & sacrificiorum interitus: *Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venuro; deficiet hostia & sacrificium.* (cap. 9. v. 26. & 27.) Non minus aperta est istud Osee vaticinium: *Dies multos sedebunt filii Israël sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari.* (cap. 3. v. 4.) Hi porro multi dies tunc tantura desinent, cum filii Israël ad Dominum suum convertentur. Juxta prophetiam hanc Judæorum sacrificia abolenda erant; atqui sacrificiorum extinctio Legis abrogationem importat. *Translatio enim sacerdotio, (idem dicas de sacrificio) necesse est ut & Legis translatio fiat* (Hebr. 7. 12.) Ergo Lex Mosaiica erat aliquandò abroganda.

PROPOSITIO II.

Lex Mosaica reverà est abrogata.

Prob. 10. Iis everfis, sine quibus consistere non potest Lex seu Religio Mosaica, ea pariter concidat & abrogetur necesse est: atqui pluribus abhinc sæculis deleta sunt ea sine quibus, &c. Nam Religio Mosaica stare non potest sine sacerdotio, sine sacrificio, sine templo: atqui hæc omnia Judaicæ Genti jamdudum ablata sunt. Interit sacerdotium, & quidem sine ulla restitutionis spe: Sacerdotes enim ex familia Aaron & Tribu Levi tantum assumi poterant; sed ita confusæ sunt & permixtæ Judæorum familiæ, ut quæ ex Tribu quisque oriundus sit planè nesciat. Apud eos etiam abolita sunt sacrificia: norunt enim Judæi sibi non licitum esse extra Templum Hierosolymitanum offerre sacrificia, & reverà nullum offerunt. Denique à mille & septingentis annis, funditus eversum est Templum, diruta civitas, populus autem patrio solo extorris, miseram sine certa sede vitam agit apud extraneos.

Prob. 20. *Translato sacerdotio*, inquit Apostolus, *necesse est ut & Legis translatio fiat.* (Hebr. 7. 12.) Atqui sacerdotium Aaronicum penitus translatum fuit, sive abrogatum; ergo & Lex Mosaica. Hinc Apostolus Romanis sine ulla exceptione dicit: *Non enim sub Lege estis, sed sub gratia cap. 6. 14.* Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit (Galat. 5. 2.)

Prob. 30. ratione. 10. Quia, accedente veritate, evanescit illius figura, sicut fulgente solis lumine, desinunt umbræ: atqui Lex vetus erat futurorum umbra, figura, exemplar: *Umbram habens Lex futurorum bonorum.* (Hebr. 10. 1.) *Hæc omnia in figura contingebant illis.* (1. Cor. 10. 11.) 20. Lex vetus instituta fuit instar pedagogi quo

Judæi ad Messiam perducerentur; atqui jamdudum advenit Messias, ut in Tractatu de Incarnatione probatum fuit; ergo jam inutilis est Lex Mosaica, & propter hanc inutilitatem abrogata.

Solvuntur objecta.

Obj. 10. Sic testatur Christus: *Nolite putare quoniam veni solvere Legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere;* (Math. 5. 17.) ergo Lex vetus non abroganda erat.

Resp. Dist. ant. Non venit Christus solvere Legem, quoad præcepta moralia, & quoad ea quæ Lex significabat, conc. quoad præcepta ceremonialia & judicialia, neg.

Cum ad jus naturale quod prorsus immutabile est, pertineant Legis veteris præcepta moralia, eam in hac parte nec voluit, nec potuit Christus abrogare: nedum etiam Christus Legem Mosaicam solverit quoad ea quæ significabat, eam contra implevit, & veritatem figuris substituit, illa perficiendo quæ ceremoniis legalibus adumbrata fuerant, & prophetarum oraculis prænuntiata. Sed ipsas Legis veteris ceremonias, & abrogandas, & abrogatas esse ex dictis satis manifestum est.

Obj. 20. Lex in æternum duratura dicitur: *Hic est liber mandatorum Dei, & Lex quæ est in æternum;* (Baruch. 4. 1.) ergo nec abroganda, nec abrogata fuit.

Resp. 10. Voces *æternum*, *sempiternum*, in Scripturis non semper significare durationem, quæ nullum finem sit habitura, sed interdum accipi pro longiori quodam tempore; sic Abraham promittitur terra Chanaan in *promissionem sempiternam*, (Genes. 17.) id est, quoad stabit Judæorum Republica; sic etiam de servo qui maluit Domino servire, quam anno septimo manumitti, dicitur: *Serviet tibi usque in æternum,* (Deut. 15. 17.) id est, totq. vitæ suæ tempore. Quo posito,

evanescit difficultas. Verba enim Baruch & alia similis, eo sensu intelligenda sunt, quod tandiu duratura esset Lex Mosaica, quandiu staret Judaeorum Respublica.

Resp. 4^o. Dist. ant. Lex in aeternum duratura dicitur, quoad praecepta moralia, conc. quoad ceremonias, neg.

Itaque cum praecepta moralia sint potissima Legis veteris pars, dicere poterunt Scriptores fieri eam perpetuo duraturam, id scilicet intelligendo de praeceptis moralibus: sunt enim veluti compendium Legis naturalis quae omnium est temporum, nullamque mutationem admittit. Minimè verò loquuntur de ceremoniis Judicis; hquidem eas abrogandas esse non semel praeduntarunt.

PROPOSITIO III.

Lex vetus non abrogata est ante Christi mortem.

Prob. Ea Lex non abrogata fuit ante Christi mortem, quam Christus ad mortem usque suam observavit: atqui Christus Legem Mosaicam usque ad obitum suum impievit, cum circumciscus & oblatas in templo fuerit; & Pascha ceteraque Judaeorum festa celebraverit; quinimò & servari iussit Legem Mosaicam: nam leproso sanato praecipit ut sacerdotem adeat, & munus Legè Moysis praescriptum offerat. (Matth. 8. 4.) Praeterea sic legitur: *Veni dies armorum in qua necesse erat occidi Pascha.* (Luo. 22. 7.) Atqui id necesse non fuisset, si Legem Mosaicam iam abrogasset Christus; ergo ante ipsius mortem Lex exincta non fuit.

Dices 1^o. Baptismus fuit necessarius ante mortem Christi; ergo tunc inutilis & abrogata fuit Circumcisio, ac proinde Lex ipsa.

Resp. Neg. ant. cum S. Thoma: *Necessitas, inquit, utendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus post passionem & resurrectionem (Christi) quia*

per Baptismum configuratur homo passioni & resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit novae iustitiae vitam; & ideo oportuit Christum prius pati & resurgere, quam hominibus indigeretur necessitas se configurandi morti & resurrectioni Christi. (3. part. q. 66. art. 2. in corp.)

Inst. Necessarius fuit Baptismus ex quo tempore dixit Christus Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* (Joan. 3. 3.) Atqui sententiam hanc longè ante mortem suam Christus pronuntiavit; ergo longè ante ipsius mortem necessarius fuit Baptismus.

Resp. Neg. maj. Praefata enim Christi verba quae privatim Nicodemo dicta sunt, statim Baptismi necessitatem non induxerunt; sed referebantur ad tempus quo satis denuntiatum esset suscipiendi Baptismatis praeceptum, ita ut Christi sententiae is fuerit sensus: cum promulgata fuerit recipiendi Baptismi lex, nemo, nisi spiritualiter renascatur, poterit introire in Regnum Dei. Hæc scilicet verba: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* eodem modo sunt intelligenda, ac ista: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* (Joan. 6. 54.) Atqui posteriora hæc verba non significant eo ipso tempore suscipiendam esse Eucharistiam, siquidem nondum instituta erat; sed eam aliquando futuram esse necessariam praemonebat; eodem igitur sensu accipienda est hæc sententia, *Nisi quis renatus fuerit, &c.*

Dices 2^o. Apud Lucam dicitur: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* (cap. 16. v. 16.) ergo tunc cessavit Lex Mosaica, cum Joannes praedicare coepit.

Resp. Neg. conseq. Evangelicæ enim sententiae genuinus sensus est, quod ad Joannem usque Lex & Prophetæ Christum praedixerint; Joannem verò ipsum praesentem demonstraverit his verbis: *Eccè*

Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Quæ interpretatio satis indicatur illis verbis: Omnes Prophetæ & Lex usque ad Joannem prophetaverunt. (Matth. II. 13.)

Quares 1^o. quo tempore abrogata fuerit Lex vetus.

Resp. ea de re triplicem esse Theologorum opinionem.

OPINIO I. Sunt qui existimant Legem veterem in ipsa Christi morte fuisse abolitam. 1^o. Quia, ut ait Apostolus, *translato sacerdotio, necesse est ut & Legis Translatio, sive abrogatio, fiat: atqui veteris Legis sacerdotium interit in morte Christi, novumque ipsi successit, cum scilicet Christus novæ Legis Pontifex corporis sui sacrificium Patri suo in cruce obtulit.*

2^o. Quia hæc Christi morientis verba *consummatum est, & veli in templo scissuram interpretantur SS. Patres de veteris Legis extinctione. Dominus dixit: consummatum est, inquit S. Thomas, & idem tunc cessare totaliter debuerunt legalia, quasi jam veritate eorum consummata, in ejus signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum. (1. 2. q. 103. art. 3. ad 2.) Velum scinditur, ait S. Ambrosius, quo... Myseriorum Synagoga profanatio declaretur. (Lib. 10. in Luc. pag. II. n. 123.) Velum templi scinditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur. (Serm. 153. in append. tom. 5. oper. S. Aug. n. 2.) Aded tunc à lege ad Evangelium... evidens est facta translatio, ait S. Leo, ut emittente Domino spiritum, velum... visubit scinderetur. (Serm. 66. de Passione, n. 17. sup. 3. tom. I. Edit. Quesnel. pag. 293. & 294.)*

OPINIO II. Alii contendunt veterem Legem non nisi in Feste Pentecostes fuisse abrogatam, vimque obligandi amisisse, quia tunc tantum Lex nova hominibus satis promulgata fuit, & obli-

gare coepit. Tunc enim, adstante ingenti hominum multitudine, ex omni natione *quæ sub celo est*, Apostoli Spiritu Sancto repleti, tum fidei in Christum, tum Baptismi necessitatem solemniter declararunt. Nam, quærentibus Judæis quid ad salutem consequendam præstare deberent, S. Petrus ceterorum Apostolorum nomine respondit: *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. (Act. 2. v. 38.)* Nihil verò simile ante Festum Pentecostes contigit; ergo tunc tollitur Lex nova, utpotè solemniter promulgata, obligare coepit, & interit veteris servanda necessitas, quæ proinde non nisi in die Pentecostes abrogata fuit.

OPINIO III. Nonnulli duas priores sententias simul conciliant, & docent Legem veterem in se quidem abrogatam fuisse ipsâ Christi morte, propter rationes modò expositas, sed vim obligandi non amisisse, nisi in Feste Pentecostes, quo tempore Lex Evangelica fuit satis promulgata. Si autem illis objeceris duas illius opiniones partes secum pugnare, quia Lex quæ abrogata est, non obligat, & Lex quæ obligat, non abrogata est, tibi reponent hæc duo posse simul confociari: cujus concordie exemplum à Legibus civilibus petunt. Sicut Lex, inquit, in Consilio Principis in se abrogata, vim tamen obligandi retinet, eosdemque ac antea effectus patit, donec ejus abrogatio denunciata fuerit; sic Lex vetus in se, sive, ut aiunt, *radicaliter* abrogata fuit in morte Christi, & tamen vim obligandi non amisit, nisi in Feste Pentecostes, quo tempore ejus abrogatio, & novæ Legis necessitas solemniter promulgatae sunt.

Observandum est autem novæ Legis obligationem non eodem tempore coepisse pro toto orbe, sed eam prius inductam esse apud Judæos, quam apud Gentiles; prius viguisse in urbe Hierosolyma

locisque vicinis, quàm in remotioribus. Manifestum est enim novæ Legis cognitionem ad Judæos quibus primùm annuntiata, citius pervenisse quàm ad Gentiles; prius quoque ad Hierosolymæ habitatores, qui primi Apostolorum prædicationem audierunt, quàm ad alios ab ea urbe disjunctiores.

Quæres 2^o. utrùm culpabilis & illicita fuerit veteris Legis observatio, postquam abrogata est, & obligare penitus desit.

Resp. eam non fuisse statim illicitam; siquidem Apostoli post Spiritus Sancti in seipsos illapsum, legales quasdam ceremonias usurparunt, etiam iis in locis ubi obligare jam desierat Lex Mosaica, post sufficientem novæ Legis promulgationem.

Sic S. Petrus testatur, *se nunquam manducasse omne commune & immundum*; (*Act. 10. 14.*) hæcens igitur abstinerat à cibis per Legem vetitis. Sic S. Paulus Timotheum ex matre Judæa & patre Gentili natum, *circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis.* (*Ibid. cap. 16. v. 3.*) Sic Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati statuerunt, Christianis abstinendum esse ad tempus à sanguine & suffocato; (*Ibid. 15.*) quæ abstinentia una erat à ceremoniis legalibus. Iis autem ad tempus utendum esse prudenter judicaverunt, ut facilius ad Religionem Christianam adducerent Judæos, quæ eam primis hisce temporibus non suscepissent, si deserenda statim fuisset Lex Mosaica, cujus autorem esse Deum merito persuasi erant; ergo, &c.

Dices: Hæc observatio statim illicita fuit, quæ irritum facit Christi meritum: atqui legalium observatio, &c. juxta illud Apostoli: *Ece ego Paulus vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; (*Gal. 5. 2.*) ergo, &c.

Resp. Dist. min. Legalium observatio quæ adhibetur tamquam necessaria ad salutem, irritum facit

Christi meritum, conc. legalium observatio quæ ex prudenti œconomia adhibetur, neg. min.

Porro eò loci Galatas reprehendit Apostolus, qui à falsis quibusdam Doctoribus seducti, existimabant circumcisionis ritum ad salutem esse necessarium, ita ut sine eo Lex Evangelica non sufficeret ad justificationem. Errorem hunc probrigit Apostolus, tanquam redemptioni Christi injuriosum: nunquam verò sapientem damnavit œconomiam, quæ identidem usurpantur ritus Mosaici, ut à Judæorum animis evelleretur opinio quam ipsis malevoli quidam suggererant, scilicet Apostolos non minus ritus Mosaicos detestari, quàm impias Gentilium superstitiones. Si enim post Legis veteris abrogationem, quemlibet illius usum habuit illicitum, & meritis Christi contumeliosum, *decepit ergo Timotheum* (quem circumciderat) *& fecit nihil ei prodesse Christum*, inquit Augustinus. (*Epist. 82. n. 19. tom. 2. pag. 197.*)

CAPUT II.

De Lege nova, sive Evangelica:

De Lege nova duplex erit articulus; in primo, ipsius nomen & naturam; in secundo, quomodo à Lege veteri differat exponemus.

ARTICULUS PRIMUS

De nomine & natura Legis novæ.

Lex nova multis donatur nominibus. Dicitur 1^o. *nova*, tum à suo effectu, quia hominem per

locisque vicinis, quam in remotioribus. Manifestum est enim novæ Legis cognitionem ad Judæos quibus primùm annuntiata, citius pervenisse quam ad Gentiles; prius quoque ad Hierosolymæ habitatores, qui primi Apostolorum prædicationem audierunt, quam ad alios ab ea urbe disjunctiores.

Quæres 2^o. utrùm culpabilis & illicita fuerit veteris Legis observatio, postquam abrogata est, & obligare penitus desit.

Resp. eam non fuisse statim illicitam; siquidem Apostoli post Spiritus Sancti in seipsos illapsum, legales quasdam ceremonias usurparunt, etiam iis in locis ubi obligare jam desierat Lex Mosaica, post sufficientem novæ Legis promulgationem.

Sic S. Petrus testatur, *se nunquam manducasse omne commune & immundum*; (*Act. 10. 14.*) hæcens igitur abstinerat à cibis per Legem vetitis. Sic S. Paulus Timotheum ex matre Judæa & patre Gentili natum, *circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis.* (*Ibid. cap. 16. v. 3.*) Sic Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati statuerunt, Christianis abstinendum esse ad tempus à sanguine & suffocato; (*Ibid. 15.*) quæ abstinencia una erat à ceremoniis legalibus. His autem ad tempus utendum esse prudenter judicaverunt, ut facilius ad Religionem Christianam adducerent Judæos, quæ eam primis hisce temporibus non suscepissent, si deserenda statim fuisset Lex Mosaica, cujus autorem esse Deum merito persuasi erant; ergo, &c.

Dices: Hæc observatio statim illicita fuit, quæ irritum facit Christi meritum: atqui legalium observatio, &c. juxta illud Apostoli: *Ece ego Paulus vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; (*Gal. 5. 2.*) ergo, &c.

Resp. Dist. min. Legalium observatio quæ adhibetur tamquam necessaria ad salutem, irritum facit

Christi meritum, conc. legalium observatio quæ ex prudenti œconomia adhibetur, neg. min.

Porro eò loci Galatas reprehendit Apostolus, qui à falsis quibusdam Doctoribus seducti, existimabant circumcisionis ritum ad salutem esse necessarium, ita ut sine eo Lex Evangelica non sufficeret ad justificationem. Errorem hunc probrigit Apostolus, tanquam redemptioni Christi injuriosum: nunquam verò sapientem damnavit œconomiam, quæ identidem usurpantur ritus Mosaici, ut à Judæorum animis evelleretur opinio quam ipsis malevoli quidam suggererant, scilicet Apostolos non minus ritus Mosaicos detestari, quam impias Gentilium superstitiones. Si enim post Legis veteris abrogationem, quemlibet illius usum habuit illicitum, & meritis Christi contumeliosum, *decepit ergo Timotheum* (quem circumciderat) *& fecit nihil ei prodesse Christum*, inquit Augustinus. (*Epist. 82. n. 19. tom. 2. pag. 197.*)

CAPUT II.

De Lege nova, sive Evangelica:

De Lege nova duplex erit articulus; in primo, ipsius nomen & naturam; in secundo, quomodo à Lege veteri differat exponemus.

ARTICULUS PRIMUS

De nomine & natura Legis novæ.

Lex nova multis donatur nominibus. Dicitur 1^o. *nova*, tum à suo effectu, quia hominem per

gratiam interiorē renovat, Deique amicum & filium constituit; tūc à tempore, quia post Legem veterem quam antiquavit, instituta est. 2^o. In Scripturis nōcēpatur *Lex spiritūs vitæ, Lex gratiæ*, vel simpliciter *gratiæ*, quia *Lex per Moysen data est, gratiæ & veritas per Jesum Christum facta est.* (Joan. 1. 17.) 3^o. Appellatur *Lex libertatis*, quia non tanquam servi, ex solo metu; sed ut filii ex intimo caritatis affectu ei obtemperant veri Christiani. 4^o. Vocatur *Lex Evangelica*, quia bonum continet nunciū, quo nempe remissio peccatorum, adoptio filiorum Dei, beatitudo cœlestis hominibus promittuntur.

Si Lutherum & Calvinum audiamus, nullam proprie Legem novam Christus instituit, sed tantum à veteris Legis iugo nos liberavit. Nullo opere, nullā lege homini christiano opus est ad salutem, inquit Lutherus, cum per fidem sit liber ab omni lege. (Lib. de libertate christiana, tom. 2. edit. Witteimb. p. 8. fol. vers.) Calvinus autem sic exclamat: O perniciosum errorem prædicantium Christum, tanquam novum Legislatorem! quasi veterem Judæorum Legem abrogaverit, ut novam Christianis hominibus imponeret... Non habuit profectō Christus id operis ac muneris, ut novam institueret Legem, sed ut ab hominum cervicibus servile illius servile jussum auferret. (In cap. 4. Epist. ad Galas. (Cujus erroris absurditatem manifestam faciet sequens

PROPOSITIO.

Lex nova desoribi potest: Lex à Christo data, ab Apostolis promulgata, conjunctionem sibi habens gratiam, ad finem usque mundi duratura.

Prob. ipsā singularum hujus definitionis partium explanatione. 1^o. Dicitur *Lex*, quia varia præcepta continet à Christo imposita: Qui habet man-

data mea & servat ea, inquit Christus, *ille est qui diligit me.* (Joan. 14. 21.) *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* (Ibid. cap. 13. v. 10.) Apostolis sic præcipit: *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos, ... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* (Matth. 28. v. 19 & 20.) Hinc Lutheri & Calvini errorem anathemate merito confixit Synodus Tridentina: *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio, præter fidem, cetera esse indifferētia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; ... anathema sit.* (Sess. 6. de justificat. can. 19.)

2^o. Dicitur à *Christo data*, quibus verbis Legis nova autor & conditor designatur. 3^o. *Ad Apostolis promulgata*, nempe in die Pentecostes, quo tempore cœpit obligare, non quidem omnes homines simul, sed primū eos qui solemnem ejus promulgationem audierunt, & deinde alios ad quorum notitiam per Apostolorum ministerium pervenit; ita ut prius Judæos quàm Gentiles obligaverit, juxta illud Pauli ad Judæos Synagogæ Antiochenæ: *Vobis oportebat primū loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, ... ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.* (Act. 13. v. 46 & 47.)

4^o. Dicitur *conjunctionem sibi habens gratiam*, quia principaliter *Lex nova*, inquit S. Thomas, est ipsa *gratiæ Spiritūs Sancti, quæ datur Christi fidelibus.* (1. 2. q. 106. art. 1. in corp.) Ad Legem Evangelii duo pertinent, unum quidem principaliter, scilicet ipsa *gratiæ Spiritūs Sancti interiorius data; ... aliud pertinet ad Legem Evangelii secundariō, scilicet documenta fidei & præcepta ordinantia affectum humanum & humanos actus.* (Ibid. art. 2. in corp.)

5^o. Dicitur *ad finem usque mundi duratura*, juxta illud Christi: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* (Matth. 24. 14.)

Deus autem pacis qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine Testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono. (Hebr. 13. v. 20 & 21.)

Et verò, si Lex nova ante finem mundi foret destituta, ipsi substituenda esset Lex alia, & quidem præstantior. Eam enim tantum ob causam Lex nova successit veteri: atqui novæ Legi subrogari non potest Lex ulla præstantior; sive ex parte auctoris qui est ipse unigenitus Dei Filius; sive ex parte sacrificii, quia nullum institui potest Eucharistiæ sacrificio excellentius, in quo Christus ipse Deo Patri tanquam piacularem nostram victimam sese offert; sive ex parte Sacramentorum quæ secundissimi sunt gratiæ fontes; sive tandem ex parte finis, quia nullus est sublimior vitæ aeternæ quam Lex nova proponit, & ad quam perducit.

Solvuntur objecta.

Obj. 10. cum Novatoribus. Fideles sic alloquitur Apostolus: *Non estis sub Lege, sed sub gratia; (Rom. 6. 14.)* ergo Christus novam Legem non instituit.

Resp. Dist. ant. Non estis sub Lege Mosaica quæ præcipiebat & non juvabat, conc. sub Lege Christi quæ ipsa gratia est, & dat exequi quod jubet, neg.

Textus Apostoli ita se habet: *Peccatum vobis non dominabitur; non enim sub Lege estis, sed sub gratia.* Unde patet hanc esse Apostoli mentem, idem veris Christianis non dominari peccatum, quia sub Lege Mosaica non sunt constituti, quæ bonum imperabat quidem, gratiam verò ad illud efficiendum necessariam per se non dabat; verum sub ea Lege sunt, quæ sibi conjunctam habet gratiam, quâ interiori juvatur & corroboratur ad præstandum quicquid jubet: Lex enim nova sive Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti,

(Rom. 1. 16.) Quem in locum sic notat S. Anselmus: *Virtus est, quia gratiam præstat per cuius auxilium facere valeamus quæ præcipit; quod quia Lex Mosaica non fecit, infirma fuit.* Gratia quidem multis non defuit tempore veteris Legis: at ipsis non concessa est vi hujus status in quo nondum solutum erat redemptionis nostræ pretium; sed vi Legis novæ ad quam pertinebat, ejusque auctoris Christi à quo & per cuius merita conferebatur.

Obj. 2^o. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas,* inquit Apostolus: (2. Cor. 3. 17.) *Lex Justo non est posita, sed injustis. (1. Tim. 1. 9.)* ergo saltem Justis ab omni Lege sunt immunes.

Resp. Neg. conseq. Libertas enim de qua loquitur Apostolus, non est immunitas ab omni Lege alioqui fideles ad obedientiam non hortaretur his verbis: *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse. (Tit. 3. 1.)* *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. (Hebr. 13. 17.)* Agit autem Apostolus de libertate quæ non Legem, sed Legis servitutem excludit; de libertate quæ facit ut non solo pœnarum quas Lex comminatur metu, servorum more, mandatis obtemperemus; sed amore & dilectione. *Non enim accepistis,* inquit Apostolus, *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. (Rom. 8. 15.)* Scilicet, ubi Spiritus adoptionis, ibi est gratia & caritas quæ Justis à cupiditatum servitute liberati, divinis præceptis ita liberè & delectabiliter obsequuntur, ut ea non essent violaturi, etiamsi nihil pœnæ metuendum esset; quo sensu dicit Apostolus, Justo Legem non esse positam.

ARTICULUS II.

Quenam sint legis veteris & Legis novæ discrimina.

Quinque sunt præcipua utriusque Legis discrimina.

DISCRIMEN I.

Lex vetus per Moysen, Lex autem nova per Christum data est *Multifariam, multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* (Hebr. I. v. I. 2.)

DISCRIMEN II.

Lex vetus fuit umbra & figura: *Umbra enim habet Lex futurorum bonorum.* (Hebr. 10. v. 1.) *Hæc omnia in figura contingebant illis (Judæis)* (I. Cor. 10. v. 11.) Lex autem nova est lux & veritas: *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* (Joan. 1. v. 17.)

DISCRIMEN III.

Lex vetus tabulis lapideis scripta est, Lex nova cordibus. *Ibi, inquit Augustinus, in tabulis lapideis digitus Dei operatus est; hic in cordibus hominum; ibi ergo Lex extrinsecus posita est, quæ iniusti terrerentur; hic intrinsecus data est, quæ iustificarentur.* (Lib. de Spiritu & Litt. cap. 17. n. 29. tom. 10. pag. 101) Id confirmat S. Doctor his Apostoli verbis: *Epistola estis Christi ministrata à nobis; & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis*

carnalibus. (2. Cor. 3. 2.) *Carnales autem tabulas cordis, dixit (Apostolus) non carnalis prudentia, sed tanquam viventis sensumque habentis, in comparatione lapidis qui sine sensu est.* (ibid. n. 30.) Hanc Legis novæ excellentiam sic prænuñtiaverat Deus: *Post dies illos dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam* (Jerem. 31. 33.)

Quod ut probè intelligatur, observandum est, quamvis Lex Evangelica scriptis exarata sit, eam tamen fuisse institutam, priusquam ullus novi Testamenti liber scriberetur. Solemniter enim promulgata est in Festo Pentecostes, cum Spiritus Sanctus in Discipulos congregatos delapsus est; non nisi veid post annos octo, Apostoli facta & documenta Christi scriptis tradidere. Moyses è monte Sina descendit, Legem veterem suis in manibus ferens, & in tabulis descriptam; Apostoli autem è monte Sion sine scriptura descendunt, Legem Evangelicam suis insculptam cordibus deferentes, & Spiritu Sancto repleti. (Act. 2. 4.) *Plenitudo enim Legis est dilectio, inquit Apostolus.* (Rom. 13. 10.) *Hæc non in tabulis conscripta lapideis, ait Augustinus, sed diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Lex ergo Dei est caritas.* (Lib. de Spiritu & Litt. cap. 17. n. 29. ubi suprâ.) *Hac discernit Testamentum novam à veteri, inquit idem Doctor, quod in veteri data est Lex in tabulis lapideis, in novo autem in cordibus, quod sit per gratiam.* (Quæst. 21. Deuter.)

DISCRIMEN IV.

Insculpta saxo Lex vetus præcepta, non vires datur; insculpta cordi Lex nova, qui quid jubet dat exequi, ut canunt Ecclesia Parisiensis aliaque non pauca in Festis SS. Marci & Lucæ

Lex vetus ab Augustino dicitur: Lex jubens per litteram, & non dans gratiam. (Serm. 155. n. 7.

tom. 5. pag. 744.) Lex enim jubeat & non implebat, quia caro, ubi non erat gratia, invidiosissime resistebat. (Ibid.) Non erat ista (gratia) in veteri Testamento, quia lex minabatur, non opitulabatur; jubeat, non sanabat; languorem ostendebat, non auferebat. (Tract. 3. in Joan. n. 14. tom. 3. part. 2. pag. 309) Nam ob causam Apostolus ritus Moisaicos vocat infirma & egena elementa (Galat. 4. 9.) Reprobatio sit precedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem. (Hebr. 7. 18.)

Longè autem aliter loquitur de Lege nova: Deus idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu, littera enim occidit, spiritus autem vivificat. (2. Cor. 3. 6.) Hanc Legis novæ prærogativam, gratiam scilicet impertiendi quæ faciamus quod jubet, sic Deus prænuñtiaverat: Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiat & operemini. (Ezech. 36. 37.)

Hinc S. Thomas: Id autem, inquit, quod est potissimum in Lege novi Testamenti, & in quo tota virtus ejus consistit, est gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Christi: idè principaliter Lex nova est ipsa gratia Spiritus Sancti quæ datur Christi fidelibus. (1. 2. q. 106. art. 1. in corp.) Lex nova est indita homini, non solum indicans quid sit faciendum, sed etiam adjuvans ad implendum. (Ibid. ad 2.)

Quæres an ista doctrina plurimorum Theologorum autoritate nitatur.

Resp. gratiam ad veterem Legem non pertinere, bene verò ad novam innumeri docent Theologi, & Scriptores Ecclesiastici, ex quibus nonnisi paucos allegare finit cui studemus brevitatis.

Hildebertus Cenomanensis, qui inter doctissimos Gallie nostræ Præsules merito numeratur, de Lege veteri hæc habet: Ibi erat præceptum & mandatum sine adjutrice gratia. (Serm. 2. in purif.

B. Virginis, pag. 512. edit. BB.) Postquam homines essent convicti, quod nihil salutis ex se possent habere, neque per Legem naturalem, neque per Legem scriptam, misit Deus Filium suum, ut quod neutra Lex facere poterat, gratia Christi suppleret, id est humanum genus liberaret. (Serm. in nativ. S. Joan. pag. 557.)

Petrus de Celles Episcopus Carnutensis: Timens Maria Magdalena legem sine gratia, accessit ad fontem gratiæ, nempe Christum. (Serm. 1. in fest. 5. Mariæ Magdal. pag. 178. edit. BB.)

Guillelmus, Episcopus Parisiensis: Non dabatur gratia in sacramentis eorum (Judeorum): erant enim sicut cisternæ dissipatæ quæ continere non valent aquas. (Serm. in octav. Epiph. tom. 2. part. 2. n. 1. edit. Aurelian. an. 1674. pag. 395.)

Robertus Pullus, Cardinalis: Dominus veteri populo veterem imposuit Legem, ... sed implendi auxilium non tulit. Quibus ergo? Omnibus ferè. (Sentent. part. 3. cap. 10. col. 2. p. 104 edit. BB.) Lex est lata quæ bene quidem doceret, sed auxilium non ferret. (Ibid. pag. 96. col. 2.)

Dionysius Carthusianus ait Legem veterem peccatis locum præbuisse, quoniam non præstabat auxilium gratiæ, quæ vitantur peccata. (Comment. in Epist. ad Rom. cap. 5. pag. 12. fol. vers. edit. Paris. an. 1551.) Lex non contulit gratiam, & auxit concupiscentiam. (Comm. in epist. 2. ad Cor. cap. 3. art. 3. ibid. p. 59. fol. rect.)

Cardinalis Cajetanus: Homo sub Lege relinquebatur sibi ipsi, ut potè non adjutus interno dono divinæ gratiæ. (Comment. in c. 6. v. 14. Ep. ad Rom. p. 32. col. 1. edit. Lugd. an. 1639. tom. 5.)

Pererius Jesuita: Esse sub Lege, est hominem gratiæ Dei carentem sibi que derelictum, debitorem quidem esse implendi Legem, sed tamen esse prorsus impotentem. (Comment. in cap. 6. Ep. ad Rom. dispuit. 4. pag. 646. col. 2. edit. Colon. Agripp. an. 1620.)

Cardinalis Toletus, etiam Jesuita: *Lex præcipiebat & prohibebat ea quæ sine gratia impleri non poterant; nec tamen habebat virtutem aut efficaciam donandi gratiam.* (Comment. in cap. 1. Joan. tom. 1. p. 71. edit. Lugd. in-fol. an. 1614.) Deinde sic concludit: *In Lege ergo non erat gratia.*

Maldonatus ejusdem Societatis: *Lex quasi mortuum corpus erat, pondus ferè inutile quod onerabat, non roborabat; jubebat, non juvabat.* (Comment. in cap. 1. Joan. n. 161. p. 1279. edit. Lugd. an. 1682.)

Cardinalis Bellarminus ejusdem Societatis: *Lex venit sola, Evangelium non solum, sed cum gratia: itaque qui legem in monte Sina per Moysen acceperunt, doctrinam tantum acceperunt; ... qui verò per Christum Evangelium acceperunt, non solum doctrinam, sed etiam gratiam acceperunt* (Lib. 4. de justifiac. cap. 4. tom. 3. controvers. p. 1181. edit. Ingolstat. an. 1593.)

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Moyses populum Israëliticum sic hortatur: *Recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum.* (Deut. 8. 18.) Quanam verò sunt illæ vires, nisi gratia interior & adjuvans? Nunquam igitur defuit Judæis sub lege constitutis.

Resp. Vires quas Deus populo Israëlítico præbuisse memoriatur, non esse internas voluntatis ad faciendum bonum vires; alioquin immeritò prorsus dixisset Apostolus: *Reprobatio sit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* (Hebr. 7. 18.) Sed ibi agitur de robore & præsidio ad occupandam terram patribus Judæorum promissam, ad debellandasque Chanaanorum gentes necessarius. Quem sensum aperte indicat tota sacri textus series: Moyses quippè, enumeratis exterioribus beneficiis quibus Deus

Israëlitæ per annos 40 in deserto cumulaverat, promittit eos à Deo introducendos esse in terram optimam, ubi rerum omnium copiam fructuari essent, additque: *Ne, postquam comederis & saturatus fueris, ... habuerisque ... cunctarum rerum copiam, elevetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui te eduxit de terra Egypti; ... ne diceris in corde tuo: Fortitudo mea & robur manûs meæ hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum super quæ juravit patribus tuis.* (Ibid. v. 12. & seq.) Quis non videat in eo textu non agi de gratia interiori, Judæis omnibus sub veteri Lege concessa?

Præterea non alium objecto loco sensum assigni posse patet ex textu hebraico, quem ita vertit doctissimus Houbigant: *Continuum Deum tuum animo presentem habeas, qui tibi dat vires ad augendam rem tuam, idè ut factus suum cum patribus tuis jurejurando firmatum, ratum faciat.* Porro voces illæ, *ad augendam rem tuam*, aperte demonstrant virium nomine non aliud intelligi posse quam quod modò exposuimus.

Obj. 2^o. Deus Judæos sub imagine vitis à se constitæ & excultæ sic objurgat: *Nunc ergo, habitatores Jerusalem & viri Juda, judicate inter me & vineam meam: quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* (Isa. cap. 5. v. 3. & 4.)

Itaque Deus vineæ suæ, id est Judæis, omnia præstitit quæ ad ferendos justitiæ fructus sufficiebant: atqui ad illud imprimis necessaria erat gratia interior; ergo Judæis nunquam defuit: alioqui non potuisset Deus ferid dicere, se ab iis justitiæ fructus expectasse.

Resp. 1^o. Textus ille adversarios nihil juvat; tum quia ex eo quod Deus vineæ suæ omnia quæ

debut præstiterit, minimè sequitur eum gratiam interiorè Judæis largitum esse, nisi gratiam hominibus debitam esse supponatur, *quid est quod debui?* id autem sine gravissimo errore dici nequit; tum quia ex eodem textu nihil concindi potest, nisi etiam dicatur Deum, subministratis omnibus gratiæ auxiliis quæ ad salutem sufficiant, voluntatis creatæ consensum *expectare*, non verò ipsum interius operari: atqui Concillium Arausicum II, universa in Ecclesia receptum, doctrinam hanc jam dudum his verbis damnavit: *Si quis, ut à peccato purgemur, Deum voluntatem nostram expectare contendit; non autem etiam ut purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Preparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. (Can. 14.)*

Resp. 2º. Dist. maj. Deus Judæis omnia tribuit quæ ad ferendos justitiæ fructus sufficiebant juxta mentem Judæorum, id est, auxilia externà quæ satis sibi esse arbitrabantur, conc. maj. quæ reipsa sufficiebant, neg. maj. Dist. pariter min. Gratia interior ad ferendos justitiæ fructus necessaria est, sed Judæi longè aliter sentiebant, conc. min. idque confitebantur Judæi, neg. min.

Judæi scilicet viribus suis nimium confidentes superbiæque inflati, arbitrabantur se externà tantum Legis promulgatione indigere, ad eamque observandam se sibi sufficere: *dicebant enim, inquit, post S. Augustinum, Divus Thomas: Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat. . . . ideo data est Lex quæ cognitionem peccati faceret; quæ tamen auxilium gratiæ non dadas ad vitandum peccata; ut sic homo sub Lege constitutus, & vires suas experiretur & seipsum recognosceret, inventiens se sine gratia peccatum vitare non posse, & sic avidius quæreret gratiam. (Comment, in Epist. ad Gal. cap. 3, lect. 7.)*

Legi maximo cum apparatu promulgatæ adjunxit Deus innumera prodigia, beneficia, promissa, minas. Verum tot externis muniti præliis nihilominus legem violarunt. Merito itaque illos objurgat Deus, & planè inexcutabiles esse his verbis demonstrat: *Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* quasi diceret: solà Legis cognitione vobis opus esse contenditis, Legem dedi vobis justam & sanctam; plus etiam præstiti: promissa & comminationes adjeci, portentis antea inauditis potentiam, majestatemque meam vobis exhibui. Audita Lege, non postulatis cor novum & docile; sed de vobis superbius sentientes, unà voce dixistis, *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes (Exod. 24. 7.)* Frustra *expectavi* ut solemnem illam promissionem exsolveretis: *Nunc ergo, habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me & vineam meam, &c.*

Inst. Quis concipiat Deum summè bonum, tam durum se præbuisse erga populum sibi peculiariter addictum, ut ei gratiæ auxilium non contulerit, sine quo Lex ipsa severioris damnationis erat occasio? nonne multò benignius cum Judæis egisset, si illis, sicut & ceteris populis, Legem scriptam non dedisset?

Resp. Hujusmodi querelis non aliud opponere debemus, quàm ista Apostoli verba: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? (Rom. 9. 20.)* Non inanibus humanæ rationis conjecturis indulgendum est, at Scripturis & Traditioni religiosè inhærendum, quæ divinam providentiam erga Judæos ita se gessisse declarant. Quis verò Deum sic interrogare aulit? *Quare fecisti sic?* esset forsitan aliquis conquerendi locus, si Judæi gratiam Christi postulassent, nec tamen impetrassent. Cum autem suis viribus nimium confisi, gratiæ interioris necessitatem non agnoverint, nequaquam ipsis negatum fuit, quod poscere non curarunt.

Et verò si alii populi Legis scriptæ auxilio desti-

tuti, nullam habent justam excusationem & con-
querendi causam, quanto magis Judæi quos Deus
per Legem edocuit? siquidem annuntiavit verbum
suum Jacob, justitias & judicia sua Israël, nec
fecit taliter omni nationi; & judicia sua non mani-
festavit eis. (Psal. 147.) Hoc bonum si plerique
suam in perniciem viderint, illud propria ipsorum
voluntati tribuendam est, non Legi quæ docendo,
monendo, hortando, terrendo, quantum in se
fuit, à peccato retraheret. Agendæ sunt gratiæ
Legislatori quod, licet peccatoribus nihil nisi
supplicium deberet, Legem bonam, multaque alia
externa præsidia concesserit; damnanda vero hu-
mani cordis perversitas quæ ex Lege sancta gravius
peccandi occasionem sumpsit.

Obj. 3^o. *Quamvis Lex vetus, inquit S. Thomas, non sufficeret ad salvandos homines, tamen adierat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum Lege, per quod salvari poterant, scilicet fides Mediatoris, per quam justificati sunt antiqui patres, sicut etiam nos justificamur, & sic Deus non desolebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia: (1. 2. quæst. 18. art. 2. ad 4.)* ergo, juxta S. Thomam, gratia tempore veteris Legis nunquam defuit.

Resp. Neg. confeg. Quantum ab ea sententia S. Doctor fuerit alienus, patet ex locis supra descriptis. Ait quidem quovis tempore extitisse viam à Deo provisam, quæ posset ad salutem perveniri, nempe fidem in Mediatorem promissum & venturam: sed nequaquam dicit fidem illam omnium fuisse; contra certum est illam popularem non fuisse; ut ait Augustinus in Epist. ad Galat. cap. 24. Plerique enim Judæi Christum mediato-rem, sive Messiam, non expectabant tanquam Justitiæ autorem; sed tantummodò ut Regem præpotentem & Triumphatorem, per quem ceteris omnibus populis essent dominaturi.

SCHOLIUM.

Ex dictis cave concludas sub veteri Testamento nemini datam esse gratiam, nullosque extitisse justos. Calomniam hanc Catholicis olim impegant Pelagiani. Eam autem fortiter repulit Augustinus, duoque statuit: 1^o. ante promulgatam Legem Evangelicam, quolibet tempore viros fuisse justos qui in fide Mediatoris vixerunt; qui in eo solo spem omnem suam collocarunt; qui non nisi ex ejus sacrificii virtute, cujus fructus fide præceperunt, justitiam & salutem expectabant, 2^o. eos justos, quamvis veteris Testamenti temporibus vixerint, ad novum Testamentum per suam in Christum fidem, & Spiritus Sancti gratiam pertinuisse, Ecclesiæ Christianæ filios fuisse, & vera Christi membra, cujus spiritu ducebantur. Hi pertinent ad Testamentum novum: ... hujus generis fuerunt antiqui omnes justii, & ipse Moyses Testamento Minister veteris, hæres novi, quia ex fide quæ nos vivimus, unâ eademque vixerunt Eadem fides est, & in illis qui nondum nomine, sed reipsâ fuerant ante à Christiani, & in istis qui non solum sunt, verum etiam vocantur; & in istis que eadem gratia per Spiritum Sanctum. (Lib. 3. ad Bonif. contra duas Epist. Pelag. cap. 4. n. II. tom. 10. pag. 453. & 454. edit. BB.)

Eadem est S. Thomæ doctrina: *Fuerunt aliqui in statu veteris Testamenti, inquit, habentes caritatem & gratiam Spiritus sancti, ... & secundum hoc pertinebant ad Legem novam. (1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2.)*

Quæres utrum gratia antiquis justis data, veteris Legis propria fuerit.

Resp. Veteri Legi non fuit propria; quod ita explicat Autor Collationum Andegavensium: *La grâce étoit en quelque sorte dans la Loi ancienne un*

bien étranger ; ceux qui étoient sous la Loi, ne la tiroient pas de son propre fonds. C'étoit à J. C. qui ne lui appartenoit pas, & qu'elle ne faisoit que promettre, qu'ils en étoient redevables. Dieu en l'accordant par un effet de sa volonté, avoit égard par avance au mérite de son Fils. Au contraire la grace est essentiellement attachée à la Loi nouvelle, parce qu'elle vient de J. C. qui lui appartient véritablement ; il est l'auteur & l'instituteur de cette Loi. (*Confér. d'Angers, sur les Loix, pag. 124. edit. an. 1768.*)

Idem docet Tournely Continuator, Petrus Collet: Gratia Judæis concessa, non fuit data vi hujusce status in quo nondum solutum erat redemptionis nostræ pretium ; sed pertinebat ad Legem novam ejusque autorem Christum, à quo & per ejus merita conferebatur. (*Tom. 3. Tract. de Legibus, pag. 192. Edit. in-8°.*)

Sed graviolem afferamus autoritatem, nempè centum Gallia: Episcoporum, qui ita docent : Quoique la Loi de Moÿse ne justifiait point par elle-même, il y a eu cependant du temps de l'ancienne alliance de véritables justes ; il y a eu des Juifs spirituels, qui vivoient dans l'attente du Rédempteur, & qui ont été justifiés par la foi au Médiateur, donnée du temps de la Loi ; mais non par la Loi. (*corps de Doctrine, art. 2.*)

DISCRIMEN V.

Lex vetus ab externo peccati opere pœnarum metu deterrebat ; Lex verò nova ad bonum faciendum amore inclinât : hinc prior dicitur Lex servitutis, posterior Lex libertatis & gratiæ ; illa Lex timoris, hæc amoris & caritatis. Hinc Apostolus : Non enim accepistis, inquit, spiritum servitutis iterum in timore ; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba Pater. (*Rom. 8. 15.*) Hinc egregia illa S. Augustini sententia :

Hæc est brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor. Illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet. (*Lib. contra Adimantum, cap. 17. n. 2. tom. 8. pag. 137. edit BB.*)

Veritatem hanc oculis quasi subjicit modus planè diversus quo sancitum fuit utrumque illud sædus. Vetus enim in monte Sinai cum apparatu terrifico, coruscantibus fulguribus, tonitruis latè resonantibus monte ipso ardente & fumante percussum est : novum autem in die Pentecostes fidelium cordibus placido Spiritus Sancti illapsu inditum est. Illic Judæis tanto metu percussæ sunt, ut Moyse dixerint : Loquere tu nobis, & audiemus ; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. (*Exod. 20. 19.*) Quibus verbis, inquit Augustinus, multum & solide significatur ad vetus Testamentum timorem pertinere, sicut ad novum dilectionem. (*Quæst. 73. in Exod.*) Longè aliter se res habuit in die Pentecostes : Huc autem, ait S. Doctor, quando venit Spiritus Sanctus, ... non in monte terruit, sed in domum intravit. De calo quidem factus est subitò sonus ; ... sed nullus expavit. (*Serm. 155. cap. 5 & 6.*)

Idcirco sub Lege eum esse dicit Augustinus, qui solo pœnæ metu ab externo peccati opere abstinet : Sub Lege est enim qui timore supplicii quod Lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi ; ... ergo si spiritu ducimini, non adhuc estis sub Lege, utique Lege quæ timorem incutit, non tribuit caritatem. (*Lib. de natura & grat. cap. 57. n. 67. tom. 10.*) Unde sic concludit : In quantum quisque spiritu ducitur, non est sub Lege ; quia in quantum condelectatur Legi Dei, non est sub Legis timore ; quia timor tormentum habet, non delectationem. (*Ibid.*)

Unde colligendum est veteris Testamenti justos, licèt iis temporibus vixerint, quibus vigeat Lex Mosaica, non tamen fuisse sub Lege, qui Spiritu

Dei ducebantur, divinisque præceptis ex affectu caritatis obtemperabant; contra verò homo baptisatus qui Christiani nomen habet, si quæ officii sui sunt sine dilectione, & solo pœnarum metu impleat, jam non sub gratia, sed sub Lege esse convincitur. *Hi ad vetus pertinent Testamentum quod in servitutem generat; quia facit eos carnalis timor & cupiditas servos, non Evangelica fides & spes & caritas liberos.* (Lib. 3. ad Bonifacium, contra duas Epist. Pelag. cap. 4. n. 11.)

Quæres quinam Theologi timorem proprium esse veteris Legis characterem docuerint.

Resp. Tanto sunt numero, ut singulorum testimonia referre per breviter nos propositam non liceat. Paucos igitur tantum hic appellabimus.

Primasius, VI sæculo Episcopus Adrumetensis, sic habet post Augustinum: *Quantum quisque (condemnatur Lege Dei, non est sub Legis timore; quia timor tormentum habet, non delectationem.* (Tom. 10. Biblioth. PP. pag. 214. col. 1.)

Lanfranc Archiepiscopus Cantuariensis: *Omnes cultores Dei in quocumque tempore, aut servi fuerunt, ut Judæi; aut filii, ut Christiani.* (Comment. in cap. 8. Epist. ad Rom. not. 11. p. 24. edit. BB.)

Robertus Pullus, Cardinalis: *Judæi pavore territi, ... timore ex Lege, servitute tolerabant Legem mortis* (3. part. sentent. cap. 10 p. 104. col. 2. edit. BB.)

Remigius, Autissiodorensis: *Qui timore panæ Legem custodit, sub Lege est quia ex necessitate bene agit, non ex voluntate.* (Tom. 16. biblioth. PP. p. 1047. col. 2.) *Judæi Deo servierunt ex timore, non ex amore.* Ibid. p. 1221. col. 2.)

Sanctus Bernardus: *Sciendum est quod alia est Lex promulgata à spiritu servitutis in timore, alia à spiritu libertatis data in suavitate.* (Tom. 1. p. 31. Epist. 11. ad Guignonem, n. 6.)

Sanctus Thomas duplicem distinguit spiritum,

veterem scilicet & novum: *Vetus quidem est spiritus servitutis, novus est spiritus amoris: ille generat servos, hic filios adoptionis.* (Comment. in Joan. cap. 13. lect. 7.)

Cardinalis Hosius, consilii Tridentini Præses, utriusque Legis discrimen sic exponit: *Fuit illa timoris, est hæc amoris; cohibebat illa manum, cohibet hæc animum.* (Lib. 4. de traditionibus, tom. 1. p. 559 edit. Colon. an. 1584.)

Sylvius: *Nunc tempore Legis novæ, quidam sunt Christiani pertinentes ad Legem veterem, ... scilicet qui non habentes spiritum caritatis, vel à malis non abstinere, vel si abstinere, id faciunt solo timore pœnarum.* (In 1. 2. S. Thom. q. 107. art. 1. tom. 2. p. 619. col. 1. edit. Antwerp. an. 1667.)

Cardinalis Toletus: *Necque erat (sub lege) status filiorum, sed servorum.* (Comment. in cap. 14. Joan. tom. 2. p. 76. edit. Lugd. an. 1614.) *Illi (Judæi) servi, nos amici.* (In cap. 15. ibid. p. 117.)

Cardinalis Bellarminus: *Testamentum vetus propriè ac per se legibus ac litteris continetur, timorem adducit, in servitutem generat.* (Lib. 1. de verbo Dei, cap. 3. tom. 1. p. 10. edit. Ingolstadt. an. 1586.)

Renatus Rapin, Jesuita: *L'ancien Testament étoit une Loi de rigueur & de servitude; ... les Commandemens de cette Loi ... qui furent publiés sur la montagne, à la lueur des éclairs, & au bruit du tonnerre, par un Législateur environné de tout ce que la majesté a de plus terrible, donnoient à l'homme l'esprit de crainte, sans pouvoir lui donner l'esprit d'amour. Ils faisoient connaître le péché sans le faire haïr.* (De la perfection du Christianisme, p. 1. edit. Amstelod.) *Ce n'étoit que par la crainte & par la terreur que Dieu conduisoit ce peuple né dans la servitude de l'ancienne Loi, & ce n'est que par l'amour qu'il conduisit le Chrétien né dans la liberté*

SECTIO II.

D: Lege positiva humana.

Ad sex capita revocari possunt quæ de Lege positiva humana dicturi sumus. In 1^o. expendemus utrum Principes sæculares & Ecclesia possint Leges statuere, quæ conscientiam obligent; in 2^o. de objecto, seu materia Legis humanæ; in 3^o. de subiecto; in 4^o. de obligatione; in 5^o. de variis speciebus; in 6^o. de cessatione Legum humanarum disputaturi sumus.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Principes sæculares & Ecclesia possint Leges condere quæ conscientiam obligent.

NEGARUNT Waldenses, Wiclefus & Lutherus qui hæc habet: *Clamo confidenter Christianis, nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt; liberi enim sumus ab omnibus.* (Lib. de captivitate Babil. tom. 2. p. 77. fol. vers. edit. Wirtemberg.)

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO I.

Principes sæculares, etiam ethnici, possunt Leges condere quæ conscientiam obligent.

Prob. Scripturâ. Sic præcipit Christus: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* (Matth. 22. 21.) Atqui ibi Christus Legem de tributis ab ethnico Principe latam servari jubet, eamque vim obligandi habuisse supponit. Idem sic docet Apostolus: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: . . . idè necessitate subditi estote, non solum propter iram (sive pœnam) sed etiam propter conscientiam.* (Rom. 13. v. 2. & 5.) Leges de quibus hic agitur, latæ fuerant ab Imperatoribus paganis: atqui, teste Apostolo, ita conscientiam obligarunt, ut qui iis resistebant, ipsi Deo resisterent, & ideo in damnationem incurrerent, *Subditi estote, . . .* ait S. Petrus, *sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis.* (1. Petr. 2. v. 13. & 14.) Ergo, &c.

Præterea veram subditos regendi potestatem habent Principes: atqui hæc stare non potest sine facultate Leges condendi, quæ conscientiam obstringant; coercendi sunt enim abusus qui sensim irrepunt, & pœnarum comminatione continendi viri improbi: atqui hæc omnia sine Legibus fieri nequeunt; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Ecclesia potest Leges condere quæ vim obligandæ conscientie habeant.

Probatur. Id potest Ecclesia quod potuit Apostolorum temporibus; neque enim nunc minor est ipsius autoritas, quàm olim, nec intra certum tempus coercetur potestas eidem à Christo his

SECTIO II.

D: Lege positiva humana.

Ad sex capita revocari possunt quæ de Lege positiva humana dicturi sumus. In 1^o. expendemus utrum Principes sæculares & Ecclesia possint Leges statuere, quæ conscientiam obligent; in 2^o. de objecto, seu materia Legis humanæ; in 3^o. de subiecto; in 4^o. de obligatione; in 5^o. de variis speciebus; in 6^o. de cessatione Legum humanarum disputaturi sumus.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Principes sæculares & Ecclesia possint Leges condere quæ conscientiam obligent.

NEGARUNT Waldenses, Wiclefus & Lutherus qui hæc habet: *Clamo confidenter Christianis, nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt; liberi enim sumus ab omnibus.* (Lib. de captivitate Babil. tom. 2. p. 77. fol. vers. edit. Wirtemberg.)

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO I.

Principes sæculares, etiam ethnici, possunt Leges condere quæ conscientiam obligent.

Prob. Scripturâ. Sic præcipit Christus: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* (Matth. 22. 21.) Atqui ibi Christus Legem de tributis ab ethnico Principe latam servari jubet, eamque vim obligandi habuisse supponit. Idem sic docet Apostolus: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: . . . idè necessitate subditi estote, non solum propter iram (sive pœnam) sed etiam propter conscientiam.* (Rom. 13. v. 2. & 5.) Leges de quibus hic agitur, latæ fuerant ab Imperatoribus paganis: atqui, teste Apostolo, ita conscientiam obligarunt, ut qui iis resistebant, ipsi Deo resisterent, & ideo in damnationem incurrerent, *Subditi estote, . . .* ait S. Petrus, *sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis.* (1. Petr. 2. v. 13. & 14.) Ergo, &c.

Præterea veram subditos regendi potestatem habent Principes: atqui hæc stare non potest sine facultate Leges condendi, quæ conscientiam obstringant; coercendi sunt enim abusus qui sensim irrepunt, & pœnarum comminatione continendi viri improbi: atqui hæc omnia sine Legibus fieri nequeunt; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Ecclesia potest Leges condere quæ vim obligandæ conscientiæ habeant.

Probatur. Id potest Ecclesia quod potuit Apostolorum temporibus; neque enim nunc minor est ipsius autoritas, quàm olim, nec intra certum tempus coercetur potestas eidem à Christo his

verbis concessa : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* (Matth. 18. 17.) Atque Apostolorum temporibus, potuit Ecclesia Leges imponere, quæ conscientiam obstringerent, & nonnullas reverà condiderunt Apostoli. Sic in Concilio Hierosolymitano Legem ediderunt, quæ gentibus ad fidem conversis præceptum est, ut à iuramento & idolothytis abstinere: atque hanc Legem conscientiam obligasse ex iis verbis constat, *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria.* (Act. 15. v. 28.) Sic etiam Paulus. (1. Tim. 3. & Tit. 1.) Legem instituit de Bigamis & Neophytis ad Episcopatum non evehendis. Testatur ipsemet Apostolus ex accepta divinitus potestate se Leges condidisse: *Scitis, inquit, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum.* (1. Thess. 4. 2.) Eandem facultatem prioribus sæculis sibi vindicavit Ecclesia, ut patet ex Canonibus qui iis temporibus circa disciplinam conditi sunt; ergo, &c.

Dices 1^o. Si Leges humanæ conscientiam obstrictam teneant, eadem erit Legis humanæ ac divinæ autoritas: atque id dici non potest; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Quia Lex humana, sicut & ipsi Principes, suam à Deo habent auctoritatem: *Per me Reges regnant, & Legum conditores iustitiam recerunt.* (Proverb. 8. v. 15.) Quapropter declarat Christus eum ipsi Deo parere, qui Superiorum Legibus obtemperat: *Qui vos audit, me audit.* (Luc. 10. 16.) Lex igitur humana, etiam si conscientiam obstringat, semper inferior est Lege divinâ ex qua vim suam & auctoritatem mutuatur.

Dices 2^o. Ille solus ligare valet, qui & solvere potest: atque non possunt Principes subditorum suorum conscientiam solvere; ergo nec ligare.

Resp. Neg. maj. Nonne potest homo peccati vinculis sese constringere, quamvis ea solvere non valeat? Nonne potest voto vel contractu sese obligare, licet ab huiusmodi nexibus seipsum expedire,

nequeat? Idem autem peccatum Legis violatione commissum, à Principibus sæcularibus solvi non potest, quia peccatum illud non hominem tantum petit, sed & ipsum Deum qui solis poenitentia Ministris peccata remittendi potestatem contulit.

Quæres 1^o. quis Leges civiles ferre possit.

Resp. Possunt Imperatores, Reges, Principes supremi qui Superiorem non agnoscunt, eas Leges condere quas politico regimini utiles necessariasve existimaverint; eadem autoritate potiuntur, tum Summus Pontifex in Provinciis temporali suo principatui subjectis, tum civitates quæ sui sunt juris.

Quæres 2^o. quinam possint Leges Ecclesiasticas ferre.

Resp. potestatem hanc in multis residere; 1^o. quidem in Conciliis generalibus, cum universam exhibeant Ecclesiam; 2^o. in Summo Pontifice qui potest Leges condere ad universam Ecclesiam pertinentes, in qua primatum obtinet; 3^o. in Cardinalium collegio à quo, vacante Sede Apostolica, si ab electione per vim majorem prohibeatur, possunt Leges *provisionaliter*, ut aiunt, constitui; quando nempe disciplinam ecclesiasticam tuendi gravis urget necessitas: tenent enim Cardinales locum Cleri Romani qui, Sede vacante, Ecclesiæ providere debet, si quod periculum ipsi imminet. Sic post mortem Fabiani Papæ statuit Clerus Romanus, ut lapsus administraretur Eucharistia in mortis discrimine, quamvis nondum totum poenitentia suæ cursum explevisset. Si verò Pontificem eligere ipsis liberum sit, illius electioni unice operam dare debent, ut sancitum est à Clemente V. (Cap. 2. de electione, in Sexto.)

4^o. Potest Episcopus quisque pro sua diocesi Leges statuere, licet nondum consecratus, modo sit confirmatus; sed præterea requiritur in Gallia,

ut Episcopatus sui possessionem, sive per se, sive per procuratorem inierit; alioqui jurisdictionem retinet Capitulum, quasi Sede adhuc vacante. 50. Eodem jure pollent Concilia Nationalia, Provincialia, aut Diocesana. Si enim Episcopus quisque seorsum spectatus Leges ferre valeat, quanto magis vel plures Episcopi simul congregati, vel idem Episcopus Clero suo conjunctus. 60. *Capitula Cathedralia*, Sede vacante, cum jurisdictionem episcopalem habeant, possunt Leges condere tandiu duraturas, quandiu ab Episcopo non fuerint revocata. Aliquando enim contingit ut quidam abusus certis in locis grassentur, qui sine mora coerceri debeant.

CAPUT II.

De objecto sive materia Legis humanæ.

CERTUM est Legem quamcumque versari non debere, nisi circa materiam laudabilem & honestam, vel saltem ex se indifferentem, quæ ad bonum commune referri possit. Lex autem quæ præciperet aliquid ex natura sua malum & turpe, eo ipso Lex non esset: enimverò Lex naturalis & divina cuicumque hominum Legi anteferenda est, ac proinde nunquam licet ad utilitatem publicam id decernere, quod ex natura sua malum sit: hinc statim ruit execranda quorundam politicorum opinio, qui humanæ Legis materiam fieri posse existimant, quidquid ad Reipublicæ utilitatem conferat, quamvis injustum sit. Ad hujusmodi politicos spectant hæc Apostolorum verba: *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate.* (Act. 4. 19.)

Omissis variis quæstionibus, in quibus tractan-

dis nihil vel parva utilitatis est, hoc unum expendemus, nimirum quantum Legis civilis, quantum Legis canonice propria sit materia.

PROPOSITIO I.

Potestas civilis non potest de rebus merè spiritualibus Leges ferre.

Prob. Hi soli possunt de rebus merè spiritualibus Leges condere, qui à Deo constituti sunt ad regendam Dei Ecclesiam; siquidem facultas Leges de hujusmodi rebus statuendi, ad Ecclesiæ regimen pertinet: atqui Ecclesiæ regimen non potestati civili, sed ecclesiasticæ Deus commisit. Non enim Principibus sæcularibus, at solis Ecclesiæ Pastoribus à Christo dictum est: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in celo;* (Matth. 18. v. 18.) non Principibus sæcularibus, sed Ecclesiæ Pastoribus dixit Christus: *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos, . . . docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis;* (Ibid. cap. 28. v. 20. & 21.) non Principibus sæcularibus, at solis Ecclesiæ Pastoribus dixit Apostolus: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* (Act. 20. 28.) ergo Principibus sæcularibus potestatiq; civili non commissum est à Deo regendæ Ecclesiæ munus; nihil ergo juris habent de rebus merè spiritualibus Leges condendi: nec mirum est quod potestas civilis ad ea quæ sunt merè spiritualia non pertineat, cum à Deo non constituta fuerit, nisi ut temporali populorum paci, tranquillitati & felicitati consulat.

Præterea duplex ad mundum hunc regendum potestas à Deo fuit instituta, ecclesiastica nimirum & civilis; utraque suprema, utraque tum objecto, tum fine, tum actibus propriis distincta, ita ut neutra alteri præsit, neutra subdit alteri: *In eo sunt Patres omnes,* inquit illustrissimus Bossuet,

ut ambas potestates divino Numine separatas, ac suis finibus circumscriptas, unique Deo subditas esse pronuntiant. (*Defens. Cleri Gallie. part. 1. lib. 7. sed. cap. 33.*) Atqui, si potestati civili jus competere Leges de rebus merè spiritualibus statuendi, ambæ potestates procul dubio confunderentur; nec sua unicuique jura & officia confisterent; ergo, &c. Hinc præclara illa Osi Cordubensis verba ad Imperatorem Constantium scripta: *Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes, sed à nobis potius hæc edificas: Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiam concedidit.* Quæ verba refert S. Athanasius. (*Hist. Arian. ad Monach. n. 44. tom. 1. part. 1. p. 371.*)

Quamvis autem Principes sæculares de rebus merè spiritualibus Leges ferre nequeant, possunt tamen, imò & debent providere ut observentur Ecclesiæ decreta & Canones, quorum sunt vindices & protectores. Cujus rei non rara sunt exempla apud Imperatores & Principes Christianos. Sic Constantinus Magnus semper curavit, ut lata à Synodo Nicænâ, tum de hæresi Arianâ, tum de celebratione Paschatis, decreta fervarentur: innumera sunt etiã Regum nostrorum Edicta, quibus cautum est ne sancitæ in Conciliis Leges à Clero violarentur. Cujusmodi sunt ea quæ Carolus IX in art. 12, Decretorum Aurelianensium, & Henricus III in Comitibus Plesensibus statuerunt de ecclesiasticâ disciplinâ Canonibus & Conciliis firmatâ; nedùm verb Ecclesiæ Principes Christianos eo in capite reprehenderit, id contrâ eorum officii esse declaravit.

Hinc Leo Magnus Papa, Leonem Imperatorem sic alloquitur: *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi, non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium, esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quæ bene statuta sunt defendas.* (*Epist. 125. cap. 3. tom. 1. p. 679. edit. Quæsnel.*)

PROPOSITIO II.

Propria Legum Canoniarum materia sunt res spirituales.

Prob. Illud propria est Legum Canoniarum materia, quod pertinet ad æternam fidelium salutem; non alium enim ob finem instituta est à Christo potestas ecclesiastica: atqui res spirituales ad æternam fidelium salutem spectant; ergo propria sunt Legum Canoniarum materia. Ita Clerus Gallicanus in celeberrima declaratione an. 1682: *B. Petro ejusque successoribus, Christi Vicariis, ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium & ad salutem æternam pertinentium, non autem civilium ac temporalium, à Deo tradita est potestas, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo.* (*1. art.*) Sed de eo argumento jam satis dictum fuit in Tractatu de Ecclesia.

CAPUT III.

De subjeçto Legis humanæ.

SUBJECTUM Legis humanæ est quisquis eidem obtemperare debet: hujusmodi autem sunt omnes & soli subditi, quia potestas legisferæ autoritatem in eos requirit in quos exercetur. Hinc colligitur 1^o. Infideles non baptisatos, Legibus Ecclesiasticis non obligari. Cum enim sint extra Ecclesiam in quam nemo nisi per Baptismum admittitur, ipsi minime subditi sunt. Unde Apostolus: *Quid mihi, inquit, de iis qui foris sunt judicare?* (*1. Cor. 5. v. 12.*) Non peccat igitur, neque censuris obnoxius est infidelis, qui die prohibito vescitur

carnibus, nec jejumat, nec alias Ecclesiæ Leges servat. Collige 2^o. Hæreticos esse Legibus Ecclesiasticis obstrictos, quia per Baptismum subditi sunt Ecclesiæ, quamvis rebelles.

Quæres 1^o. utrùm Legislator suis obligetur Legibus.

Notandum Legis materiam aliquando Principi & subditis esse communem; talis est in Ecclesia Lex quæ annuam confessionem, & communionem paschalem præcipit; hujusmodi etiam sunt in civili regimine Leges quæ rebus nonnullis venalibus pretium imponunt; interdum verò materiam Legis ad subditos tantum spectare, non autem ad Principem, ut si Lege prohibeatur ne quis arma ferat. Quibus præmissis,

Resp. Legem humanam cujus materia est communis tum subditis, tum Legislatori, ipsam obligare. Ratio est quòd Legislator & subditi sint partes communitatis, cujus membra toti sese conformare debent. Si enim *turpis est omnis pars suo universo non congruens*, ut ait Augustinus, (*Lib. 3. confess. cap. 8. n. 15.*) quantò magis caput non congruens, cujus est ceteris membris exemplo præire! Hinc illud juris civilis effatum: *Digna vox majestatis regnantis est, Legibus alligatum se Principem profiteri.* (*Leg. 4. Cod. de Legib.*) Præterea Leges ad bonum commune spectant; non minus autem quàm subditi tenentur Principes ad bonum commune promovendum.

Quæres 2^o. utrùm ad Clericos pertineat legum civilium obligatio.

Resp. Legibus civilibus subijci Clericos, salvo tamen ipsorum privilegio: singula enim Reipublicæ membra alius sese accommodare debent, in iis quæ statum suum non dedecent: atqui Clerici sunt Reipublicæ membra, sicut & alii cives. Hinc generaliter & sine ullo Laicorum & Clericorum

discrimine, sic jubet Apostolus: *Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit.* (*Rom. 13. v. 1.*) quem locum interpretans Theodoretus, *sive est Sacerdos aliquis, inquit, sive Antistes, sive monasticam vitam professus, iis cedat quibus mandati sunt principatus.* (*Tom. 3. p. 99. edit. Parisian. 1642.*) Possunt tamen Clerici uti privilegiis quæ ipsi concessa fuerunt. Cum autem pro variis locis majora sint aut minora, consulere & sequi debet quisque patriæ suæ consuetudinem.

Quæres 3^o. an peregrini, advenæ & vagi Legibus obstringantur.

Notandum 1^o. Peregrinus, gallicè *voyageur*, dicitur ille qui extra domicilii sui locum moratur ad tempus, cum animo ad sua revertendi. Per *advenam*, gallicè *étranger*, intelligitur quisquis extra patriam suam domicilium collocavit: vagus autem ille est qui nullum habet domicilium fixum, ut miles.

Notandum 2^o. Præcepta quæ non territorium, sed personas immediate afficiunt, ipsas obligant ubicumque fuerint. Hinc Presbyter in sua diocesi à munitis sacerdotalibus suspensus, non potest in alia qualibet celebrare. Quibus præmissis,

Resp. 1^o. peregrinos & advenas propriis patriæ suæ Legibus non subijci, dum ab ea recessere, nisi in fraudem abierint. Ratio est, quòd Legislatoris jurisdictio intra proprii territorii limites contineatur, ac proinde non possit eos obligare, qui extra ditiorum suam versantur. Idcirco qui bonâ fide è propria diocesi, ubi diebus sequentibus erit jejunium & dies festus, in aliam sese confert ubi nentrum viget illud præceptum, is neque jejunii servandi, neque Missæ audiendæ Legibus obstringitur.

Dixi autem, *nisi in fraudem abierint*; quia ubique receptum est istud effatum: *Nemini sua fraus patrocinari debet*; & verò nullus ordini relinque-

retur locus, si cuique licitum esset Ecclesia leges eludere fugiendo. Hinc collige eum peccati reum esse, & pœnis contra Legis violatores latis obnoxium, qui è territorio suo ubi jejuniū occurrit, vel festum celebrandum, in aliud ubi neutrum in usu est sese transfert, ut carnibus vesci, aut servile opus exercere possit.

Resp. 2º. vagos, peregrinos & advenas Legibus locorum in quibus commorantur, vel per quæ transeunt, obstringi. Reipublicæ enim interest ut quisque certis Legibus, & Superioribus cujusdam regimini subjiciatur: atqui nisi peregrini subjacerent Legibus locorum in quibus versantur, ab omni Lege essent immunes; siquidem, ut modo diximus, à patriæ suæ Legibus sunt liberi. Præterea si brevis absentia eos eximat Legibus quæ vim habeat in proprio ipsorum territorio, cur non sufficeret brevis præsentia, ad eos subjiciendos Legibus loci ubi adsunt, vel per quem transeunt? Qui sentit commodum, inquit vulgare axioma, debet sentire & incommodum. Inde concludes viatorem qui è loco ubi non jejunatur, sub vesperam advenit in alium ubi viget Lex jejunii, sumere non posse nisi cœnam, gallicè *collation*, ut inibi faciunt jejunantes. Si contra è loco ubi jejunatur in alium sese conferat à jejunio liberum, ibi cœnare poterit, & carnibus vesci. Hinc illud S. Ambrosii dictum: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato; cum hæc sum (Mediolani) non jejuno. Sic etiam tu ad quam fortè Ecclesiam veneris, morem illius serva.* Ita refert Augustinus, (*Epist. 54. n. 3. tom. 2. pag. 124.*)



CAPUT IV.

De Legum humanarum obligatione:

LEGE humanam conscientiam obligari jam diximus. Verum enim est præceptum: atqui verum præceptum vim habet conscientiam illigandi: *Præceptum est hoc*, inquit Augustinus, *cui non obedire peccatum est.* (*Lib. de sanct. Virginit. cap. 15. tom. 6. p. 347.*) De Legum humanarum obligatione variæ proponi solent quæstiones. Præcipuas seligemus.

Quæres 1º. quodnam sit illius peccatum, qui Legem humanam ex contemptu infringit.

Resp. eum mortaliter peccatum, quia contemptus, non in hominem tantum à quo Lex sancita est, sed in ipsum Deum refunditur, qui homini potestatem suam contulit: *Non est enim potestas, nisi à Deo*, inquit Apostolus. (*Rom. 13. 1.*) Hinc regulam istam statuit S. Bernardus: *Iussa sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur: ubique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis.* (*Lib. de præcept. & dispens. cap. 8. n. 18. tom. 1. p. 507.*) *Elatio quippè contemnentis... in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis, novum facit levem simplicis transgressionis.* (*Ibid. cap. 6. n. 26. p. 511.*)

Quæres 2º. quandonam Lex censeatur graviter, & sub culpa mortali obligare.

Resp. id æstimandum esse ex multiplici capite; 1º. ex gravitate materiæ, cum scilicet Legislator rem ex se, vel ex circumstantiis gravem præcipit

aut vetat; 2^o. ex gravitate verborum quibus utitur; v. g. cum aliquid imperat aut prohibet, *sub indignatione Dei, sub interminatione divini iudicii*: quæ formulæ in Legibus Canonicis nunquam reperiuntur; 3^o. ex gravitate pœnæ violatoribus Legis impositæ: huiusmodi sunt in jure ecclesiastico *excommunicatio, suspensio, depositio, interdictum*; in civili autem pœna capitis, carceris perpetui, publicationis bonorum, &c. tantæ enim pœnæ ab æquo iudice pro levibus culpis decerni non possunt; 4^o. ex communi prudentum iudicio, & benè fundatâ consuetudine *quæ est optima Legum interpret.* (*Lib. 1. Decretal. tit. 4. cap. 8. pag. 92.*)

Quæres 3^o. utrum humana Lex obliget cum vitæ aut gravis incommodi periculo.

Resp. 1^o. eam sic non semper obligare; majorem enim vim non habet Lex humana, quam divina: atqui divina Lex positiva non semper obligat cum gravi periculo. Nam veteri Legge divinâ prohibitum erat ne quis vel panes *propositionis* comederet, vel die Sabbati aliquid operis servilis ageret: atqui illæ Dei ipsius Leges non obligarunt cum gravi vitæ periculo; potuit quippè David, urgente necessitate, panes sanctos comedere; potuerunt & Machabæi pugnare die Sabbati; ergo, &c.

Resp. 2^o. Legem humanam aliquando, etiam cum vitæ periculo, obligare; quando scilicet bonum ex ejus observatione secuturum vitæ prævalet; vel cum malum ex ejus violatione oriturum, vitæ periculo & jacturâ majus est. Hæc regula nititur Legge æternâ quæ jubet meliora deterioribus anteponi. Sic tenetur miles excubias agere, aut assignatam sibi stationem servare, etiam cum certo vitæ periculo, quia civitatis vel exercitûs conservatio potior est unius militis vitæ. Item si quis ex contemptu fidei & Ecclesiæ aliquem com-

pelleret ad jejunium violandum, deberet ille potius mori, quam jejunium frangere; quia contemptus fidei & Ecclesiæ longè gravius est malum, quam vitæ amissio.

Quæres 4^o. quid agendum sit, cum occurrunt duo præcepta quæ simul servari nequeunt.

Resp. secum invicem conferenda esse præcepta, illudque antefendum quod gravius est ac præstantius. Hinc præceptum juris naturalis aut divini humanum dignitate vincit, quia naturæ præceptum circa rem necessariam versatur, & Deus homine longè superior est: hinc etiam præceptum caritatis quæ omnium virtutum est forma, aliarum actibus prævalere debet: omittenda igitur jejunia, preces, auditio Missæ & cetera huiusmodi, ut caritatis officium erga proximum exerceas, si tuâ ope graviter indigeat, & omnia simul præstare nequeas.

C A P U T V.

De variis Legum humanarum speciebus.

Lex humana dividitur in scriptam & non scriptam quæ dicitur consuetudo; in favorabilem & odiosam. De iis breviter hic differendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Lege scripta.

Lex scripta alia est civilis quæ jus civile dicitur; alia ecclesiastica quæ jus canonicum appellatur.

Jus civile gallicum non idem est in toto Regno. Nam aliæ Provinciæ, ut Occitania, Provincia, Delphinatus, *Vasconia*, Tractus Lugdunensis, ununtur Jure scripto sive Romano; aliæ utantur consuetudinibus antiquis quæ, licet primam originem ex solo populorum consensu duxerint, hodiè tamen, ut auctoritatem habeant, debent esse scriptæ & à Rege approbatæ: ita sancivit Carolus VII an. 1553.

Quæres 1o. quot partibus constet Juris Romani corpus.

Resp. Juris Romani corpus quatuor in partes dividitur, scilicet 1o. in quatuor *Institutionum* libros qui Imperatoris Justiniani jussu editi sunt; & totius juris elementa continent; 2o. in 50 *Digestorum* & *Pandectarum* libros, ita nuncupatos quod veteris juris doctrinam per immensa sparsam volumina, meliori ordine digestam complectantur; 3o. in duodecim libros *Codicis* quem Justinianus ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano consilari jussit; 4o. in 168 Constitutiones ejusdem Justiniani, quæ *Novellæ* dicuntur, quasi novæ, & post Codicem promulgatæ; appellantur etiam *authentica*, quia ex Græco & originali idiomate in latinum sermonem translatis *Novellis*, & collatione factâ versionis latinæ cum primigenio textu, eandem auctoritatem habere cepit interpretatio latina, ac ipsum exemplar græcum.

Nota 1o. Licet Jus Romanum vim legis non habeat in Provinciis quæ consuetudinibus reguntur, ad illud tamen confugiunt, ubi deficit consuetudo. 2o. Principum Edictorum edita & consuetudines in multis, tum Juri Romano, tum consuetudinibus derogant.

Quæres 2o. quomodo definiatur Jus Canonicum, & quibus ex partibus coalescat.

Resp. Juris Canonici nomen derivatur à voce Græca *Canon*, quæ idem significat ac *regula* apud Latinos: definitur autem jus quod civium christianorum actiones ad beatitudinem æternam, tanquam finem, dirigit, Coalescit ex Scripturis sacris, Apostolorum Traditionibus, Conciliorum sive generalium, sive particularium Canonibus, & Summorum Pontificum *Decretalibus* Epistolis quæ ita appellantur, quia decernunt quid id variis casibus sentiendum aut agendum sit.

Sex numerantur Juris Canonici partes; 1o. enim constat ex Decreto Gratiani sic dicto, quod anno circiter 1150 à Gratiano Monacho Bononiensi, Ordinis S. Benedicti, collectum fuerit ex sacris Scripturæ sententiis, Conciliorum & Summorum Pontificum decretis & responsis, Imperatorum Legibus, SS. Patrum dictis. Sub hoc titulo prodit: *Concordia discordantium Canonum*; quia scilicet Autor ille, non solum Conciliorum Canones & Pontificum decreta colligere, sed & secum invicem conciliare studuit, ac parum feliciter.

Summum opus tres in partes distribuit Gratianus. Prima pars habet unam supra centum distinctiones, & agit de jure & variis ejus speciebus; de Personis ecclesiasticis, de Clericorum Ordinationibus, virtutibus, vitiis; de universa Hierarchia, & variis Jurisdictionis ecclesiasticæ gradibus.

Secunda pars potissimum disserit de judiciis Ecclesiasticis, & 36 causas continet. Singulæ causæ in quæstiones, & singulæ quæstiones in Canones dividuntur. Causæ autem dicuntur, quia in singulis veluti lis quædam judicanda proponitur.

Tertia pars tota inscribitur de consecratione, & continet quinque distinctiones.

2o. Constat Jus Canonicum ex quinque libris Decretalium quæ, vel à Gratiano omittæ, vel ab ejus ætate ad Gregorium IX editæ fuerant: eas hujusce Pontificis jussu collegit, & anno 1230 publicavit S. Raymondus de *Pennaforti*, Ordinis Præ-

dicatorum, additis etiam nonnullis tùm Concilio-
rum decretis, tùm Patrum sententiis à Gratiano
prætermiſſis. Hujus collectionis libri dividuntur in
ritulos, & tituli in capita.

3^o. In Jure Canonico continetur collectio quæ
inſcribitur *Sextus*, quia ſcilicet adjecta eſt quin-
que libris Decretalium Gregorii IX, quaſi liber
ſextus; in quinque etiam minores libros dividitur.
Collectionem hanc edidit Bonifacius VIII. Con-
tinet præcipuè Pontificias litteras quæ, poſt Gre-
gorii IX collectionem ad Bonifacium utque VIII
in lucem prodierunt.

4^o. Juris Canonici partem efficiunt *Clementinæ*,
ſic dictæ à Clemente V qui tùm proprias, tùm
Viennensis Concilii cui præſuerat an. 1311, con-
ſtitutiones colligi juſſit quinque in libris. Eaſdem,
mortuo jam Clemente, promulgavit Joannes XXII
an. 1317.

5^o. Complectitur Decretales numero viginti,
quas prioribus ſui Pontificatus annis emiſit Joan-
nes XXII. *Extravagantes* dicuntur quia extra
corpus Juris Canonici hætenus editum quaſi va-
gabantur.

6^o. Demùm Jus Canonicum includit alias, tùm
ejuſdem Joannis XXII, tùm aliorum Summorum
Pontificum Epistolæ decretales, quæ prioribus
collectionibus inſertæ non fuerant. Unde dictæ
ſunt *Extravagantes communes*.

Notandum autem 1^o. Decretum Gratiani opus
eſt hominis privati, quod hætenus à nullo Ponti-
fice ſolemniter confirmatum fuit; non aliam proinde
autoritatem habet, quam quæ competit Scripto-
ribus ex quibus collectum eſt. Præterea duplici ex
capite peccat. 1^o. Nullo ferè ordine res in eo vo-
lumine autor congerit, & frequenter, vel mi-
nimâ occaſione arreptâ, in aliud quam quod ſibi
propoſuerat argumentum divertit. Quo vitio etiam
laborant ſequentes Juris Canonici collectiones.
2^o. Quod multò periculoſius eſt, in opere Gra-

tiani paſſim occurrunt falſa Concilia pro veris,
ſuppoſitæ Romanorum Pontificum qui tribus qua-
torve primis ſæculis floruerunt Epistolæ, veri
Canones falſò inſcripti, nomina Autorum cor-
rupta; imò & ipſos textus depravatos indiſcrimi-
natiſſime profert cum veris & genuinis.

Notandum 2^o. alias quinque Juris Canonici
partes nullius apud nos eſſe momenti, niſi cum
antiquis Eccleſiæ noſtræ moribus, & ſuprema
Regum noſtrorum autoritate benè cohæreant.

ARTICULUS II.

De Lege non ſcripta, ſeu de Conſuetudine.

Conſuetudo deſignari poteſt: *Jus inſtitutum moribus
utentium, ubi Lex ipſa deſicit, vel cum dubius eſt
illius ſenſus*. Dicitur 1^o. *ius*, quia ſi adſint condi-
tiones requiſitæ, vim legis habet: *Inyeterata con-
ſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur; & hoc eſt
ius quod dicitur moribus inſtitutum.* (Lib. I. *Digeſt.*
tit. 3. cap. 32.)

Dicitur 2^o. *inſtitutum moribus utentium*, ſicque
diſtinguitur à Lege ſcripta: hæc enim à Legisla-
tore, illa verò ab uſu quem populus invexit ſuam
ducit originem.

Dicitur 3^o. *ubi Lex ipſa deſicit, vel cum dubius
eſt illius ſenſus*; quia ubi de re aliqua nihil ſan-
ctum eſt à Lege ſcripta, vel quando Lex dubia
& obſcura eſt, illius quaſi ſupplementum vel
interpres conſuetudo eſt.

Quæres quot requirantur conditiones, ut con-
ſuetudo vim Legis obtineat.

Reſp. Quatuor requiruntur: prima, ut ſit rationi
conſentanea, & bono publico utilis; alioquin in-
ducere non poteſt naturam Legis quæ ſemper eſt
propter bonum commune.

Secunda, ut continuata fuerit consuetudo per illud temporis spatium, quod requiritur ad legitimam prescriptionem; nisi tamen accedat consensus Principis expressus vel tacitus, quia tunc jus novum non inducitur prescriptione, sed Principis voluntate, qui potest Legem introducere vel abrogare: tunc autem tacite consentire censetur Princeps, si noverit consuetudinem quæ invalescit, & tamen non contradicat, licet facile possit.

Si verò Legislator non consentiat, nec contradicat quia sorte consuetudinem ignorat, vel ad eam non attendit, tunc vim Legis non sortitur consuetudo, nisi per illud tempus duraverit, quod sufficiat ad prescriptionem. Hoc autem tempus ex communi sententia est decennium, ubi agitur de consuetudine quæ sit contra Legem civilem, quia in jure civili satis est illud tempus, ut locum habeat prescriptio. Verùm quando agitur de consuetudine quæ sit contra Legem Ecclesiasticam usum receptam, tunc requiruntur anni quadraginta. Ratio est, quia Lex Ecclesiastica est jus quoddam, sive res immobilis Ecclesiæ; hujusmodi autem res non prescribuntur nisi annis quadraginta.

Tertia conditio est, ut actus repetiti ex quibus nascitur consuetudo, exercentur cum animo sese obligandi: quia sicut nulla est Lex sine intentione obligationis inducendæ, ita consuetudo vim Legis acquirere non potest, si populo à cujus voluntate pendet, defuerit intentio sese obligandi. Hinc actus qui ex pietate tantùm diutissimè frequentati sunt, non invehunt Legem quæ sub peccato obliget. Quapropter consuetudo aquam benedictam in Ecclesia ingressu sumendi, vim Legis quæ conscientiam obstringat non obtinet, quia solâ pietate, non autem animo sese obligandi, à fidelibus observatur hæc ceremonia.

Quarta conditio est, ut consuetudo à majori & saniori communis parte invecita sit; tum

quia unius vel alterius privati mos non nisi privatam consuetudinem efficit: agitur autem hic de populi consuetudine quæ vim Legis obrineat; tum quia si à piis & sapientibus viris rejiciatur, tunc abusus potius appellanda est, quàm vera consuetudo.

SCHOLIUM.

Diligenter observandum est nullam consuetudinem posse Legi naturali vel divinæ prevalere. Quidquid enim Legi naturali adversatur, ex natura sua malum est; quæ verò Legi divinâ præcipiuntur vel prohibentur, voluntate humanâ mutari nequeunt. *Lex divina, inquit S. Thomas, procedit à voluntate divina, unde non potest mutari per consuetudinem procedentem à voluntate hominis, ... & inde est quod nulla consuetudo vim Legis obtinere potest contra Legem divinam. (1. 2. q. 97. art. 3. ad 1.)*

Hinc collige consuetudinem quam sequuntur nonnulli molliores Confessarii in administrando Pœnitentiæ Sacramento, dum levissimas quasdam satisfactiones pro gravissimis sceleribus injungunt, eos peccato non eximere. Pagnat enim cum jure divino quo prescribitur ut satisfactiones imponendæ, quantum fieri potest, criminum gravitati respondeant. Pariter consuetudo pecuniam mutuo dandi, & aliquid præter sortem recipiendi, & usura peccato non excusat, quam jure divino prohibitam esse suo loco demonstrabimus. ®

ARTICULUS III.

De Lege favorabili, seu de Privilegiis.

Privilegium definitur potest: *Lex privata quæ speciale quoddam beneficium contra jus commune alicui*

justa de causa conceditur Superiore. Dicitur 1^o. *Lex*, non quidem respectu hominis qui privilegio donatur, cum sit gratia ipsi concessa; sed ratione communitatis quæ tenetur usum privilegii non impedire.

2^o. *Lex privata*, quia beneficium est alicui privato concessum, quamvis tamen ad bonum commune eo sensu tendat, quod Republicæ interfit ut qui de ipsa præ aliis bene meriti sunt, majoribus & specialibus gratiis remunerentur.

3^o. *Speciale quoddam beneficium*: Neque enim privilegia aliquibus concederentur, si nulli speciale aliquid indulgeretur. (Decret. part. 2. pag. 1443.)

4^o. *Contra jus commune*; ut immunitas à solvendis decimis quæ ex jure communi solvi debent.

5^o. *Iusta de causa*: nemo quippe citra rationem legitimam ab onere communi solvendus est.

6^o. *A Superiore*: privilegium enim, cum sit immunitas à Lege communi, ab eo tantum concedi potest, qui vel legem condidit, vel ipso superior est, aut eidem æqualis.

Quæres 1^o. quotuplex sit privilegium.

Resp. illud potissimum dividi in *reale* & *personale*. *Reale* illud est quod immediatè & directè in re illigatur, v. g. loco, dignitati, Ecclesiæ, Monasterio, &c. *Personale* illud dicitur quod immediatè confertur personæ, nempe ob ejus sanctitatem, doctrinam, privatam excellentiam. Utriusque discrimen in eo situm est, quod privilegium *reale* ita sit rei annexum, ut tandiù subsistat, quandiù res permanet, ac proinde cum ipsa re ad hæredes transmittatur; *personale* verò cum ipsa persona intereat & extinguatur. Ut autem innotescat utrum privilegium *reale* sit an *personale*, hæc afferri solet regula: scilicet *personale* censeri debet, quotiès exprimitur nomen illius cui conceditur, v. g. *committimus Antonio Archiepiscopo Lugdunensi*: tunc enim dignitatis nomen contrahitur &

limitatur nomine personæ, quod alioqui frustra opponeretur; *reale* verò existimandum est, si sola exprimat dignitas, v. g. *committimus Archiepiscopo Lugdunensi*.

Quæres 2^o. quotuplici modo amittatur privilegium.

Resp. illud sex modis amitti. 1^o. *Si personale sit*, interit morte illius cui concessum fuerat, juxta regulam hanc juris: *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.* (Reg. 7. in Sexto. p. 790.) Privilegium verò *reale* cum re vel officio ad hæredem aut successorem devolvitur.

2^o. Lapsu temporis definiti, aut cessante causa propter quam fuerat impetratum, quia privilegium non viget ultra concedentis intentionem: noluit verò Superior privilegium concedere: nisi pro hoc vel illo tempore, & propter hanc vel illam causam. Hinc privilegium junioribus Canonicis datum, ut absentes studiorum causa, sui beneficii fructus percipiant, cessat quando, neglectis studiis, in otio & voluptate tempus transigunt.

3^o. Tollitur per liberam illius cui concessum fuerat renuntiationem, quia *liberum est unicuique juri suo renuntiare.* (Lib. 5. Decretal. tit. 33. cap. 6. p. 1807.)

4^o. Definit privilegium, si quis eo uti neglexerit toto illo temporis spatio, quod sufficit ad legitimam prescriptionem; qui enim per tantum tempus privilegio non utitur, ipsi tacite renuntiare censetur, ut definit Innocentius III. (Cap. 15. de privileg.)

5^o. Per actum privilegio contrarium: qui enim hunc actum exerceret, qui, v. g. solvit decimas à quibus erat immunis, in foro exteriori censetur suo privilegio nuncium remittere.

6^o. Per abusum quia, ut ait Simplicius Papa, *Privilegium meretur amittere, qui permisâ sibi abutitur libertate.* (Tom. 4. Concil. p. 1069.)

ARTICULUS IV.

De Lege odiosa.

Lex odiosa, vel est *pœnalis*, vel *tributum imponens*, vel *irritans*. De quibus agendum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Lege pœnali.

Ubi Lex aliquid faciendum, vel omittendum jubet, aliquam ipsius violatori pœnam denuntians, aliam dicitur *pœnalis*. Duplex distinguitur, aliam *mixta*, aliam *merè pœnalis*. *Mixta* vocatur ea quæ ita quidpiam præcipit aut prohibet, ut simul pœnam in violatores decernat. Hæc autem pœna vel enuntiatur particulâ conjunctivâ, hoc v. g. modo: *Nemo triticum extra Regnum transvehat; & qui contra fecerit, solvat centum nummos*; vel pœna exprimitur particulâ disjunctivâ, ut si Lex ita se habeat: *Nemo frumentum è Regno exportet; vel si exportaverit, solvat centum nummos*. Lex *merè pœnalis* ea est quæ, nullo præcepto disertè imposto, pœnam duntaxat solvendam constituit, talis foret ista: *Qui frumentum è Regno exportaverit, solvat centum nummos*.

Quæres 1^o. utrùm Lex pœnalis mixta sub peccato conscientiam obliget.

Resp. 1^o. Legem pœnalem mixtam, quæ pœnam *copulativè* exprimit, sub peccato obligare ad faciendum vel omittendum quod jubet aut vetat. Ratio est, quòd eo sine pœnam denuntiet, ut observetur quod præcipit. Præterea Lex humana quæ continet præceptum, nullamque pœnam disertè exprimit, sub peccato obligat, ut fatentur adversarii: atqui pœna imposta, nedùm vim Legis præcipientis frangat vel imminuat, eam potius

confirmat: dum enim præcepto pœnam adjicit Legislator, gravius obstringi subditos fatis declarat.

Resp. 2^o. Si Lex pœnalis mixta formulâ disjunctivâ exprimat, hoc v. g. modo: *Nemo frumentum è Regno exportabit; vel si exportaverit, solvet centum nummos*; hujusmodi, inquam, Lex, si quæ sit, sub culpa non obstringit ad faciendum vel omittendum quod jubet aut vetat. Subditorum enim arbitrio permittit, ut vel faciant quod præscribit, vel pœnam sive multam impostam subeant: hoc unum quippè exigit hujusmodi Lex, ut fiat alterutrum.

Quæres 2^o. utrùm sub peccato & in conscientia obliget Lex quæ dicitur *merè pœnalis*; quæ scilicet nihil disertè præcipit; sed pœnam duntaxat imponit, qualis esset ista: *Si quis merces peregrinas in Regnum introduxerit, solvet centum nummos*.

Resp. quosdam Theologos opinari hujusmodi Leges in conscientia & sub peccato non obligare, etiam si pœnas decernant gravissimas, ut mortem, exilium, carcerem perpetuum, omnium bonorum amissionem, &c.; quia Legislator, inquit, ad pœnam tantum subeundam obstringere censendus est, ubi Lex nihil disertè præcipit, sed pœnam solam denuntiat. Quòd si ipsa objicias, non posse quemquam gravi pœnæ, sine peccato mortali, sese exponere, respondent id quidem culpam esse mortalem contra Legem caritatis erga seipsum, non verò contra Legem pœnalem.

Alii verò sententiam defendunt oppositam, his ducti rationibus:

1^o. Quia sentire nos convenit Legislatores in condendis Legibus prudenter agere: atqui contra rectam rationem peccaret Legislator, si pœnas, maxime ubi sunt graves, iis infligeret qui nullam perpetrassent culpam propriè dictam.

2^o. Quia gravium pœnarum comminatio argu-

mentum est Legislatorem velle eo quo potest efficaciori modo, subditos ad observandam Legem impellere: atqui ex adversariorum consensu eos sub culpa potest obligare; ergo cum graves mortis, infamiae, carceris vel exilii perpetui, &c. poenas imponit, censendus est subditos sub peccato velle obligare, etiam si praecipuum verbis expressum in Lege non contineatur.

Inde colligunt eos qui Leges poenam gravissimam denuntiantes infringunt, graviter peccare, non modo contra caritatem sibi debitam, verum etiam contra Legem poenalem quam violant. Tuac enim Principes totius potestatis suae conatu censentur obligare, tantasque poenas adicere, ut inde intelligant subditi, quam stricte Legem observare teneantur.

Posteriori huic sententiae suffragamur; probabilior enim est simul ac tutior.

PARAGRAPHUS II.

De Lege tributorum.

Tributi nomen alii derivatum volunt à *tribubus*, quia olim vectigalia tributim solvebantur; alii à verbo *tribuo*. Definitur: Penso publica eo sine subditis imposita, ut variis tum Reipublicae, tum Principis sumptibus provideatur.

Quæres 1º. utrum Lex tributorum verè & propriè conscientiam obliget.

Resp. id certum esse. 1º. Quia Christus sic jubet: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* (Matth. 22. 21.) Ibi agitur de censu Imperatoribus persolvendo: atqui ea de re Christus verum statuit præceptum quod obstringat conscientiam; siquidem solvendorum tributorum necessitatem comparat cum officiis erga Deum implendis, quæ procul dubio conscientiam obligant. Hæc enim statim adicit, & *quæ sunt Dei, Deo.*

2º. Quia

2º. Quia Apostolus, postquam docuit parendum esse Legibus Principum, non solum propter iram; sed etiam propter conscientiam, sic pergit: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* (Rom. 13. v. 5. & 7.) Quibus ex verbis manifestum est tributa esse Principibus debita, à subditisque propter conscientiam solvenda.

3º. Quia eadem est Patrum doctrina: *Si quis putat, inquit Augustinus, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, in magno errore versatur.* (In exposit. quarundam quaest. Ep. ad Rom. cap. 72. tom. 3. part. 2. pag. 920.)

4º. Tandem, quia hæc propositio, *Subditi possunt iusta tributa non solvere, à Clero Gallicano damnata est anno 1700, ut seditiosa & Apostolicæ doctrinæ contradicens.* (Tom. I. Mém. du Clergé, édit. de Van. 1716. pag. 737.)

Quæres 2º. an vectigalia pro mercibus importatis vel exportatis solvi debeant, si non petantur.

Resp. Si ea Lex aut consuetudo fuerit, ut qui rem per certa loca transfert, hanc exhibeat & pro ea vectigal aliquod solvat, tenetur rem manifestare & impositum vectigal solvere. Ubi autem mos ille invaluit, ut res importata vel exportata non declaretur, nec solvatur vectigal, nisi exactores id requirerint, tunc nulla solvendi necessitas ei videtur incumbere, à quo nihil exigitur. Damnum illud suæ negligentiae tribuere debent exactores; aliud est enim non dare quod à te non petitur; aliud per dolum efficere ut nec postuletur, nec postulari queat. Rejiciendum est igitur quod docent nonnulli, licitum esse merces occultare, aut eas per invia loca deferre, ad effugiendam vectigalis solutionem.

At, inquiet aliquis, hujusmodi fraudes ita passim in usu sunt, ut iis adhibendis nihil culpæ

Tom. VI,

E

fit. Miserabilem hanc excusationem sic refellit Collator Parisiensis: *Cet usage est un abus fondé sur l'erreur des Casuistes relâchés. Si leurs sentimens ont prévalu aux maximes de J.C. & des Apôtres pendant quelque temps, on sâche d'en désabuser le peuple, & de le rendre obéissant aux Souverains. Si tous les sujets leur refusoient le tribut qui leur est dû, où prendroient-ils de quoi subvenir aux charges de l'Etat?* (Conf. de Paris, sur l'usure, tom. 4. liv. 3. pag. 265.)

Quæres 3^o. an restituere teneantur qui merces emunt, quarum venditores jura Principi debita non persolverunt.

Resp. cum auctore Collationum Parisiensium: Triplicis generis esse possunt hujusmodi mercium emptores. 1^o. Alii fraudata esse vectigalia proisus nesciunt. Si autem à restitutione sunt immunes, ut potè inter bonæ fidei possessores numerandi.

2^o. Alii, quamvis certo noverint quantumdam mercium venditores vectigalium solutionem fraudulenter declinasse, eas nihilominus emunt, quia viliori pretio venduntur. Hujusmodi emptores restitutioni sunt obnoxii, quia rem malâ fide possident, & participes sunt furti erga Regem committi.

3^o. Alii nonnihil dubitant an venditor jura persolverit, quia scilicet animadvertunt eum merces suas pretio satis vili vendere. His emptoribus nulla incambit restituendi necessitas: ipsorum enim non est à venditore inquirere an vectigalia solverit: quamvis ea de re subdubitent, quia merces modico pretio venduntur, eas tamen possunt tutâ conscientia emere, quia variæ esse possunt causæ propter quas venditor merces suas minoris emendas offerat.

PARAGRAPHUS III.

De Lege irritante.

Lex irritans ea est quæ actum cui defunt nonnullæ conditiones necessariae, irritum facit; v. g. jure civili rescinditur Testamentum sine requisito testium numero factum, & jure canonico Matrimonium clandestinum. Actus autem duplici modo fieri potest irritus: 1^o. ipso jure & ante judicis sententiam; quo sensu irritum est Matrimonium clandestinum: 2^o. nonnisi post judicis sententiam; sic contractus in quo ultra mediam justî pretii partem aliquis deceptus fuit, validus esse non desinit, nisi postquam eum judex irritum declaravit.

Quæres 1^o. an Lex irritans obliget in conscientia.

Resp. hujusmodi Legem eo sensu obligare in conscientia, quod non liceat unî actu qui ipso jure irritus est, quia tunc nullius est roboris, nulliusque firmitatis. Sic Matrimonio clandestino unî non licet, cum ipso jure sit invalidum; sic etiam beneficii fructus ab eo retineri non possunt, qui horas canonicas non recitavit, quia illorum perceptio jure ecclesiastico irrita est.

Quæres 2^o. utrum Lex eo ipso sit irritans, quo est prohibens.

Resp. Minimè quidem: aliud est enim prohibere, aliud irritum facere, & quod veritum est, non ideo semper fit irritum. Sic Matrimonia post simplex castitatis votum celebrata, prohibita quidem sunt & illicita, sed non invalida. Hinc jure canonico sic declaratur: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.* (Lib. 3. decretal. tit. 31. cap. 16. pag. 1248.)

CAPUT VI.

De Legum humanarum cessatione:

VARIIS de causis cessare potest humana Lex, nimirum per cessationem finis propter quem condita fuit, per dispensationem, interpretationem, derogationem & abrogationem.

ARTICULUS PRIMUS.

An cessante fine Legis, Lex quoque ipsa desinat.

Lex desinit cum tota causa propter quam condita fuerat, cessat respectu totius communitatis: Lex enim non obligat, nisi iuxta voluntatem Legislatoris: atqui ubi cessat respectu totius communitatis tota & integra causa propter quam lata fuit, tunc merito censetur Legislator nolle subditos obstringere. Præterea Lex desinit cum nullius est utilitatis: atqui nulla est prorsus Legis utilitas, quando respectu totius communitatis extinguitur quidquid causa ad eam constituendam impulerat; ergo, &c.

Dixi autem 1^o. cessante totâ causâ; quia si plures ob causas Lex instituta fuerit, cum una desinit, aliis subsistentibus, tunc non interit Legis obligatio. Si Episcopus, v. g. jejunium præcipiat ad pacem & Principis sanitatem obtinendam, non cessat Lex, perseverante bello, etiam si Princeps convaluerit. Ad sapientem hanc regulam non satis attendunt theatralium spectaculorum patroni: ipsi opponitur gravissima & Patrum & Conciliorum autoritas. Quid verb respondent? Ludi scenici, inquit, eam ob causam à Patribus & Conciliis prohibiti fuerunt, quod in iis dominaretur idolo-

latría, & inde periculum esset ne subverteretur fides Christianorum: cum autem hæc ratio jam pridem deserit, cessavit etiam Lex quæ hujusmodi spectacula interdixerat. Sed ineptum prorsus est hoc ratiocinium. Idololatriæ enim periculum non sola causa fuit, propter quam ludos theatrales Ecclesia prohibuerit: sed præterea idem vitii sunt, quod cupiditatum sint irritamenta; quod vitia iis quibus adornent, quibus eorum sæditas dissimuletur; quod varias artes edoceant quibus homines ad malum ex natura sua jam proclives trantur, ut suæ libidini indulgeant. Cum autem iis vitiis etiamnum sædari soleant scenica spectacula, vigent adhuc præcipuæ causæ propter quas ab Ecclesia prohibita sunt; hæc igitur Lex suam obligandi vim retinet.

Dixi 2^o. respectu totius communitatis. Ubi enim finis propter quem Lex condita fuit, non cessat nisi respectu quorundam privatorum, & in aliquo casu particulari, tunc Lex vim suam retinet: huic proinde omnes tenentur obtemperare, vel etiam si privati in quibus locum non habet ratio propter quam Lex sancita est: vult enim Legislator ut Lex omnes obliget, quandiu finis seu causa propter quam instituta est, non cessat respectu communitatis. Præterea si quoties in aliquibus privatis causa defuerit, propter quam Lex condita est, toties erga hujusmodi privatos desineret Legis obligatio, de Legum omnium observatione actum esset & conclamatum: quisque enim sibi facile persuaderet finem Legis, ideoque & Legem ipsam sibi cessare.



ARTICULUS II.

De cessatione Legis humanæ per dispensationem.

Dispensare nihil aliud est, quam solvere aliquem à Legis obligatione, dum erga alios viget.

Quæres 1^o. enjus sit aliquem à Lege eximere.

Resp. 1^o. Id potest Legislator: sicut enim valet Legem ferre, & postquam tulit, penitus tollere; ita & potest eam respectu hujus vel illius subditi in casu particulari aufere; 2^o. idem valet qui jurisdictione Legislatorem superat, quia potestas inferior illiusque exercitium pendet à Superiore; 3^o. id etiam potest Legislatoris successor, quia in totam sui antecessoris potestatem succedit.

Quæres 2^o. an possit inferior à Legibus Superioris quemquam solvere.

Resp. non posse nisi ex Superioris consensu expresso, vel tacito. Ratio est, quod dispensatio sit actus jurisdictionis, nullam verò habeat inferior in Leges à Superiore conditas. Dixi autem, nisi ex consensu Superioris expresso, quia potest Superior alteri suam potestatem delegare; siquidem ex regula juris: *Potest quis per alium quod potest facere per seipsum.* (Reg. 68. in Sexto, pag. 846.) Dixi præterea, vel ex consensu tacito qui a desse judicatur 1^o. dum invaluit consuetudo, ut inferiores immunitatem à Legibus Superiorum concedant, iisdem scientibus & permittentibus: sic Parochi subditos solvere possunt à jeuniis ecclesiasticis, & Festorum observatione, quia id consuetudine, & quidem rationi consentaneâ, inductum est: nimis enim molestum esset, & in iis levioribus quæ frequentissime occurrunt, necesse foret ad Episcoporum

recurrere; 2^o. cum urget dispensandi necessitas, difficileque est Superiorem adire, & grave in morâ periculum est, sive infamiae, sive scandali, sive gravis alterius mali? id enim postulat Ecclesiæ caritas & bonum commune: quapropter in hujusmodi circumstantiis, Episcopi facultatem habent dispensandi, etiam in casibus Summo Pontifici reservatis.

Quæres 3^o. an licita sit dispensatio quæ sine causa conceditur.

Resp. eam esse illicitam. Nefas quippè est dispensationem concedere, nisi justa necessitas vel utilitas id exigat: *Quod si urgens justaque ratio, inquit Concilium Tridentinum, & major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summâ auctoritate, atque gratis à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum.* (Sess. 25. de reform. cap. 18.) Quâ de re audiamus S. Bernardum: *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; . . . cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* (Lib. 3. de consider. cap. 4. n. 18. tom. 1. p. 433.) Dispensationes enim sine gravi causa concessæ, totidem sunt quasi vulnera Ecclesiæ Canonibus influcta, viamque ad morum & disciplinæ ecclesiasticæ dissolutionem aperiunt; multis scilicet peccandi occasionem præbendo, qui idem sibi licere putant, quod & aliis quos absque ulla speciali causa vident Legibus eximi.

Quæres 4^o. utrùm valida sit dispensatio citra causam concessa.

Resp. Invalidam esse dispensationem sine causa ab inferiori & delegato concessam, unanimis est Theologorum sententia. Ratio est, quod merito censetur Superior inferiori potestatem dispensandi non dare, nisi ut eam justa de causa exerceat;

liquidem citra peccatum non potuisset facultatem sine causa dispensandi committere. Ubi vero sine causa conceditur dispensatio à supremo Legislatore, tunc eam validam esse docent vulgò Theologi; quia sicut potuit Legislator Legem non ferre, sic eam potest tollere, vel respectu omnium subditorum, Legem abrogando; vel respectu quorundam privatorum, eos à Legis obligatione liberando.

Huc autem opinioni merito reclamant Concina, quia dispensatio quæ sine causa conceditur, injusta est, ut omnes fatentur; ergo & nulla: nam quemadmodum Lex iniusta, ex omnium consensu, nulla est; ita & injusta immunitas à Lege censenda est nulla. Sicut enim Lex, sic dispensatio ad bonum commune utilitatemque subditorum spectare debet, & in eo capite eadem est utriusque ratio. Præterea ea dispensatio invalida est, quæ subditum à Legis vinculo non solvit: atqui omnis dispensatio sine causa & injusta, subditum à Legis vinculo non liberat; liquidem immunitate, quam injustè sibi concessam novit, sine peccato uti non potest; ergo, &c.

Denique potest Legislator Legem condere, vel non condere; sed postquam Lege, quandiu viget, ejus observationi, tanquam fidelis custos, providere debet Princeps: ab ea igitur pro suo arbitrio, & citra causam, eximere sine peccato non potest.

Quæres 5^o. an, cessante dispensationis causa, cesset & ipsa dispensatio.

Resp. 1^o. Si causa eo tempore desinat quo dantur litteræ dispensatoriæ, cessat dispensatio; quia Superiores sine causa eam condere nec volunt nec possunt. Idcirco litteris dispensatoriis hæc inseruntur verba: *Si ita est*, vel, *si preces veritate nitantur*. 2^o. Quando desinit causa postquam data fuerint litteræ dispensatoriæ, sed ante earum executionem (gallicè, *avant que d'être subministrées*) cessat dispensatio, quia Mandatarius non potest

dispensare, nisi sub ea conditione apposita, *si preces veritate nitantur*: atqui exigit hæc clausula ut quo tempore delegatus concedit dispensationem, ipsius causa subsistat.

30. Cum dispensatio ultimum & totum suum effectum habuit, non revocari potest. Si quis, v. g. dispensationem obtinuerit ad inveniendam Matrimonium, ad suscipiendos Ordines sacros, cerè post celebratum Matrimonium, post susceptos Ordines revocari nequit dispensatio, ut res ex se patet.

40. In iis quæ aliquam temporis continuitatem complectuntur, quale est, v. g. jejunium quadragesimale, haud dubiè cessaret dispensatio, pro eo tempore quo desineret tota ipsius causa; quia talem fuisse Superioris mentem satis manifestum est. Itaque laboras incommodo quod per totam quadragesimam duraturum bonâ fide existimas; ideo pro toto hoc tempore obtines immunitatem à jejuniis, à recitandis horis Canonicis; unâ vel alterâ post impetratam dispensationem hebdomadâ, prorsus convalescis, numquid à jejunio vel à divini Officii recitatione liber eris? nequaquam. Id quantum à communi Christianorum sensu abhorreat, facile est intelligere.

Quæres 60. quandonam dispensatio dicatur *subreptitia* vel *obreptitia*.

Resp. Ea dispensatio *subreptitia* dicitur, in qua postulator aliquid veri reticet, quod ex jure & consuetudine exprimendum erat; *obreptitia* autem appellatur, cum in petitione aliquid falli narratur. Quæ de re hæc esto regula generalis, inquit eruditus Concina: Quando reticetur aliqua veritas, aut narratur aliqua falsitas, quâ prudentum judicio casus expositus vitatur, invalida est dispensatio, et nisi Summus Pontifex eam concessurus fuisset facti veritate non dissimulatâ; quia ut valeat dispensatio necessarius est Superioris consensus ^{facti} _{pre-ens}.

sufficit futurus: porro quando casus pervertitur, & aliter exponitur quàm se habeat, tunc consensus Pontificis præsens non cadit in verum casum, cum nequidem propositus fuerit, sed in fictitium.

Hinc colligit *Conclna* non probandam esse eorum regulam, qui statuunt veritatis reticentiam, aut falsi narrationem non irritam facere dispensationem, quando Pontifex eam perinde concessisset, etiam si veritas fuisset expressa, & falsitas omissa: ad dispensationem enim validam non sufficit consensus futurus, sed præsens requiritur.

ARTICULUS III.

De cessatione legis per interpretationem, derogationem, & abrogationem.

Interpretatio duplex est; alia *proprie dicta* quæ verba Legis, cum aliquid ambiguitatis vel obscuritatis habent, explanantur & genuinus illorum sensus exponitur; alia *improprie dicta* quæ declarat æquum esse ut hic vel ille casus à Lege excipiat: hujusmodi interpretatio græcè *epikeia*, latine *æquitas* dicitur. Per interpretationem proprie dictam non cessat Lex, sed tantummodo explicatur genuinus illius sensus. Per interpretationem verbè improprie dictam sive *epikeian*, Lex cessat in aliquo casu particulari, quem æquum est à Lege eximi, quamvis eum non exceperit Legislator; excepturus tamen, si eum prævidisset. Tunc autem locum habet *epikeia*, cum in Lege observanda gravium esset incommodum, quàm in ea non observanda: æquum est enim Legislatoris mentem ita interpretari, ut in eo casu Legem suam servari possit. Quia humani actus de quibus Leges dantur, inquit S. Thomas, in singularibus contingentibus consistunt, quæ infinitis modis variari possunt, non est possibile aliquam regulam Legis institui, quæ in

nullo casu deficeret; sed Legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc Legem ferentes; quam tamen in aliquibus casibus servare, est contra . . . bonum commune quod Lex intendit. (2. 2. quæst. 120. art. 1. in corp.)

Derogatio est Legis secundum aliquam sui partem imminutio, remanente altera; cum, v. g. in die festo tollitur cessatio ab opere servili, dum integra servatur Missæ audiendæ obligatio.

Abrogatio est totius Legis abolitio quæ fieri potest; 1o. per contrariam consuetudinem; 2o. per Legem posteriorem quæ cum priori pugnet; 3o. per revocationem à Superiore factam. Suam tamen, aut sui antecessoris Legem licitè tollere non potest Superior, sine justa causa quæ ad bonum commune spectet; quia ipsi data non est à Deo potestas in destructionem, sed in ædificationem. Legem abrogandi duplex esse potest causa, ut docet S. Thomas, altera ex parte Legislatorum: Nam primi, inquit, qui intenderunt invenire aliquid utile communitati bonum, non valentes omnia ex se ipsis considerare, instituerunt quædam imperfecta, in multis deficientia, quæ posteriores mutaverunt, instituentes aliam quæ in paucioribus deficere possunt à communi utilitate; (1. 2. quæst. 97. art. 1.) altera causa fit ex parte hominum, quibus, ait S. Doctor, secundum diversas eorum conditiones diversa conveniunt; quænammodum enim corpus humanum non seu per iidem remediis curandum est, nec iidem alimentis nutriendum, sed nunc his, nunc illis; quia non eodem semper modo comparatur est: ita & animi populorum modo his, modo illis Legibus dirigendi sunt, prout varias subeunt morum & affectionum vicissitudines, ex quibus fit ut Lex uno tempore expediat, & alio tempore noceat.



TRACTATUS

DE PRÆCIPUIS

ET COMMUNIORIBUS

ECCLESIAE PRÆCEPTIS.

QUINQUE vulgò numerantur Ecclesiae praecepta quae omnes cuiuscunque conditionis Fidelis obstringunt; primum, ut diebus dominicis & festis Missam reverenter audiant; secundum, ut peccata sua singulis saltem annis confiteantur; tertium, ut sacram Eucharistiam, ad minimum, semel in anno, id est, sub temporibus Paschalis, percipiant; quartum, ut dies festos ab Ecclesia statutis celebrent; quintum, ut indicta jejunia & abstinentiam à carne, certis diebus observent. Cùm autem de Confessionis annuae & Communionis Paschalis praeceptis opportunè dictum sit, ubi de Pœnitentia & Eucharistia tractatum fuit, nunc supereſt ut praecepta de Missa audienda, de celebrandis diebus festis, de jejuniò & abstinentia exponamus,

CAPUT PRIMUM.

De audiendæ Missæ Præcepto.

DE Missa diebus dominicis & festis audienda extare praeceptum ecclesiasticum, sub peccato mortali obligans, manifestum est 1º. ex communi Doctorum & Fidelium sensu; 2º. ex usu & consuetudine Ecclesiae, quae vim Legi obtinet; 3º. ex innumeris Conciliis; sic Agathense, *Missas, inquit, die dominico à secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus; ita ut ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non praesumat: qui si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur: (Can. 47. tom. 4. Concil. pag. 1391.)* sic Concilium Avenense an. 1585. *Missam sine gravissimi peccati culpa prætermitti non posse diebus dominicis & festis declarat; 4º. ex sententia quae Innocentius XI anno 1679 hanc propositionem confixit: Præceptum servandæ festæ non obligat sub mortali, seposito scandalo, si abſte contemptus.* Continuat. *Magna. Bull. Rom. edit. Luxemburg. ann. 1739. pag. 256. col. 1.*) Porro si praeceptum de festis celebrandis sub peccato mortali obliget, vis eadem tribuenda est praecepto de Missa audienda, siquidem in eo sita est praeceptiva cultus divini pars.

Quæres 1º. an praecepto satisfaciatur qui aliquam Missæ partem audire negligit.

Resp. praecepto satisfacere, nec proinde mortaliter peccare eum qui levem tantum Missæ partem omittit; factus verò qui notabilem. Ita docet S. Antonius: *Septimum dubium est de eo qui dimittit aliquam partem Missæ, puta Introitum.... Respondetur quòd modicum pro nihilo reputatur: id est*

dicendum est quòd talis iudicandus est servator præcepti; sed si dimitteret partem notabilem, puta mediam vel tertiam partem, secus. (2. part. tit. 9. cap. 10. sect. 1. pag. 316. edit. Venet. in-4o. an. 1582.)

S. Antonius suffragantur Theologi: sed ubi definiendum est quanam Missæ pars dici debeat notabilis, quanam levis, in varias distrahuntur opiniones. Quæ in re ita suo arbitrio indulgent nonnulli Casuistæ, torque partes ab audienda Missa decerpunt, ut præceptum illud ad nihilum ferè redigere videantur. Sententia quæ, juxta prudentissimum Concina probabilior est, ita statuit: Fideles qui ab Epistola inclusive usque ad finem sacro interfant, præcepto satisfaciunt; secus verò ii qui Missam audire non inciperent, nisi post lectam Epistolam, quia Confessio, Introitus, Collecta & Epistolam notabilem Missæ partem constituent: sed huic quæstioni minimè necesse est diutius immorari: quis enim Christianorum, cui sua Religio & salus cordi est, Missam insigniter detruncatà citra gravem causam contentus sit?

Quæres 2º. an præcepto satisfaciat qui Missæ partem dimidiam ab uno Sacerdote, & alteram ab alio simul & eodem tempore audit?

Resp. Affirmarunt nonnulli Casuistæ; sed opinionem hanc damnarunt anno 1679. Innocentius XI, & Clerus Gallicanus anno 1700: ut scandalosam enim & illusoriam, omniumque Christianorum sensui repugnantem, confixerunt istam propositionem: Satisfacit præcepto Ecclesie de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit. (Mém. du Clergé, tom. 1. pag. 731. an. 1716.) Hujus censuræ ratio est, quòd Missa multis necessariò constet partibus quæ sibi invicem succedunt; eas igitur simul existere & audiri absurdum est. Præterea si multa essent altaria, & in uno Missa inciperetur, in altero Epistola, in tertio Oblatio, in quarto Canon, in quinto

Consecratio, in sexto Post-Communio, in septimo denique ultimum Evangelium, posset aliquis uno quasi temporis momento integram Missam audire. Quis autem sanæ mentis non videat quantum illud à ratione & pietate alienum sit, & venerando Missæ sacrificio injuriosum?

Quæres 3º. an præceptum impleat qui successivè dimidiam unius Missæ partem ab uno Sacerdote, & deinde alteram ab alio Sacerdote audit?

Resp. duplici modo contingere posse casum propositum; 1º. servato partium ordine, ut si quis, audità Missa ab introitu usque ad consecrationem, aliam deinde audiat à consecratione usque ad finem; 2º. inverso ordine, ut si quis Missa à consecratione usque ad finem, & deinde alteri ab introitu usque ad consecrationem interfuerit.

Utrumque hunc audiendæ Missæ modum licitum esse voluerunt quidam Recentiores. Sed rejectanda est hæc opinio. Missa est actio omnium excellentissima, & sacrificium omnium sanctissimum, quod semel inceptum continuare usque ad finem, etiam cum vitæ dispendio, teneretur Sacerdos; & Fideles qui incruentum hoc sacrificium cum Sacerdote & per Sacerdotem offerunt, pro suo libitu poterunt illud abrumpere, atque inverso ordine audire! Apage tale commentum.

Quæres 4º. quanam præsentia sit necessaria ad impendum audiendæ Missæ præceptum?

Resp. ex communi sententia non requiri præsentiam physicam, sed moralem sufficere. Moraliter autem præsens dicitur, qui vel intra Ecclesiam positus est, vel in loco ita contiguo, ut censeatur unam cum iis qui intra Ecclesiam sunt societatem efficere. Quapropter satisfacis præcepto, quanvis Sacerdotem sacrificantem nec videas, nec audias, modo ex signis colligere possis quid in sacrificii celebratione peragatur. Moraliter quoque præsentem

ii consentur qui, necessitate cogente, vel propter angustiam Templi, vel ob populi multitudinem, à celebrante distarent etiã extra Ecclesiam positi, si animo & corpore cum aliis vicinioribus iungantur, simul genua flectant, pectora tundant, capita inclinent, quia iuxta communem existimationem unum corpus constituunt, & sacrificium simul offerunt.

Quæres 5^o. quænam requirantur ad Missam, ut par est, audiendam?

Resp. 1^o. Ex parte corporis requiritur ut in toto ipsius habitu sese prodant modestia, pietas & reverentia, quæ tanto debentur sacrificio, quod ubi primùm in cruce oblatum fuit, sol obcuratus est, raptum templi velum, terra mota, petra scissæ, aperta monumenta. *Nec patiantur locorum Ordinarii, ait Concilium Tridentinum, sanctum hoc sacrificium peragi, nisi prius qui interfunt decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiã ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse.* (Sess. 22. cap. de observandis, &c.)

2^o. Ex parte animi requiritur diligens ad Deum divinaque mysteria attentio, & pius cordis affectus: dum enim Sacro interesse jubet Ecclesia, actum Religionis præcepit, & quidem præstantissimum, quo Deus revera colatur. Numquid autem Deus verè colitur sine ullâ animi attentione, & sine pio quodam cordis affectu? Hinc populum hortatur Sacerdos, modò his verbis: *Orate fratres; modò istis: Sursùm corda*: qui verò inter sacramentem habent huc illuc vagantem, possuntne citra mendacium Sacerdoti respondere, *habemus ad Dominum?* Hinc S. Chrysoströmus, *Quid facis, homo*, inquit? *nonne promisisti Sacerdoti qui dixit, sursùm mentem & corda, & dixisti, habemus ad Dominum? Non revereris & erubescis, quòd illd ipsâ horâ mendax inventaris?* (Homil. 9. de Panit. tom. 2. pag. 349. edit. BB.)

Hinc colliges mortaliter eos peccare, nec præcepto satisfacere, qui notabilem Missæ partem confabulantur; qui oculos in obvia quæque circumferunt; qui voluntariè profanis cogitationibus distrahuntur. Porro voluntariè distrahi consentur, 1^o. qui cum ad Missam veniunt, mentem habent sæcularibus negotiis & cogitationibus oppletam, nec sursùm corda erigere nituntur; 2^o. qui, licet piè accesserint, mentem quam aliò rapi sentiunt, ad se revocare non student.

Quæres 6^o. quænam potior sit audiendæ Missæ ratio?

Huic quæstioni sic respondet *Rodriguez* eximio notissimus opere, quod inscribitur: *De la perfection Chrétienne: La meilleure maniere d'entendre la Messe, est celle de se joindre au Prêtre dans le Sacrifice, de s'attacher à le suivre, de l'imiter dans tout ce qu'il fait; nous mettant dans l'esprit, ce qui est vrai, que nous sommes tous assemblés, non seulement pour entendre la Messe, mais aussi pour offrir conjointement avec lui le Sacrifice adorable du Corps & du Sang de Jesus-Christ.* Deindè singulas Missæ partes persequens, veram Fidelium pietatem in eo maximè sitam esse docet, ut ad ea quæ facit aut dicit Sacerdos diligenter attendant, eademque, quantum fieri potest, faciant vel dicant, cum eo scilicet pectus tundentes, signum crucis sibi imprimentes, caput inclinantes, &c.

Quantùm ad solidam pietatem conferat hæc audiendi sacri methodus, optimè norunt plurimi Præsules Gallicani, qui preces liturgicas diebus dominicis & præcipuis festis proprias, è latino idiomate in gallicum convertas typis mandari curarunt; piis etiã in libris non paucis, *Ordinarium Missæ præfigi iusserunt, aded ut qui id redarguunt, Pastores suos carpere videantur*, inquit Petrus Collet. (T. 5. Theolog. moral. edit. in-8^o. pag. 702.)

Plerumque tamen fieri solet ut Fideles, dum Sacro interfunt, obvias quasque orationes arripiant, parùm solliciti an aliquid afinitatis habeant cum augustissimo Missæ sacrificio. Diligenter admonendi sunt ut eas preces potius usurpent, quas divinis mysteriis sapienter accommodavit Ecclesiæ.

Hic juvat exhibere luculenta hæc D. D. de Harlay, Archiepiscopi Rhotomagensis verba, in opere cui titulus: *Traité de la Messe de Paroisse: Quand le Prêtre dit, prions, c'est pour vous avertir de vous joindre à lui dans la priere que vous faites pour lui. Il n'est pas temps alors d'avoir une priere particuliere: il faut que toutes sortes d'oraisons cessent, quand le Prêtre prie, & qu'il offre le Sacrifice pour tous, il faut que vous soyez attentifs à la priere qu'il va faire à Dieu pour vous, & pour tous les assistans, & que vous pensiez au Sacrifice, en l'offrant, & vous offrant par le Prêtre dans l'esprit & l'unité de l'Eglise.*

Quæres 7^o. quænam causæ ad audiendâ diebus festis Missæ præcepto eximant?

Resp. Hujusmodi causæ sunt impotentia tum physica, tum moralis, præceptum caritatis erga proximum, officii alicujus implendi lex. Et 1^o. quidem *impotentia physica* quæ scilicet vinci omnino nequit: ex vulgari enim effato, *ad impossibile nemo tenetur*. Hinc audiendæ Missæ Lex ad eos non spectat, qui gravi morbo laborant, qui in carcere detinentur. 2^o. *Impotentia moralis* quæ superari quidem potest, sed non sine gravi damno vel periculo; ut si quis à morbo recens convalescit, & maxime metuendum sit ne, ad Sacrum sese conferendo, in priorem ægritudinem sit relapsurus; aut si domus ob furum vel hostium imminentem incursum deserti non possit.

3^o. *Præceptum caritatis*, si urgeat: debent quidem, ubi fieri potest, ambo præcepta servari; si verò alterutrum ex necessitate omittendum sit,

illud prætermitti debet quod minus obligat; minus autem obstringit audiendæ Missæ præceptum, quàm caritatis mandatum: alterum enim est mere ecclesiasticum, alterum autem divinum; à Missa igitur audiendâ abstinere licitè possunt, qui ægrotantibus opem ac ministerium ita impendant, ut sine gravi ægrotum periculo ab eis recedere nequeant; item qui in bonis proximi, vel incendio, vel naufragio subducendis occupantur, aut in quovis misericordiæ opere cujus necessitas dilationem non patiatur.

4^o. *Implendi alicujus officii lex*; quod enim ex officio debetur, exsolvendum jubet Lex naturalis, cujus præceptum Legi ecclesiasticæ prævalet; ab audiendâ ergo Missæ præcepto liber est miles, v. g. si quo tempore Sacrum peragitur, excubias agat, vel movere castra statim teneatur; item custos ovium, ubi solus est, nec quiquam alteri curam gregis committere potest: à Parochiis autem admonendi sunt *paterfamilias ut filios & famulos quos bestias pascendis occupant, saltem diebus festis Missa jubeant interesse*. Ita præcipit Concilium Mediolanense I, sub S. Carolo, *Part. 2^a cap. 7. tom. 15. Conc. pag. 261.*

Quæres 8^o. utrum Fideles diebus dominicis & majoribus festis teneantur Missam Parochialem audire?

Resp. Lege ecclesiasticâ teneri omnes Fideles diebus dominicis, & solemnioribus festis Parochiali Missæ interesse, ut innumeris Conciliis sancitum est. Eliberitanum, v. g. an. 305. sic jubet: *Si quis in civitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, (id est, Communionem privetur) ut correptus esse videatur.* (Tom. 1. Conc. pag. 973. can. 11.) In Concilio Sardicensi an. 347. postquam dixisset Clarissimus Osius Cordubentis: *Memini superiore Concilio (Eliberitano) fratres nostros constituisse,*

ut si quis Laicus in ea in qua commoratur civitate, tres Dominicas, id est, per tres septimanas non celebrasset conventum, Communionem privaretur... Universi Patres dixerunt placere sibi. (Tom. 2. Concil. pag. 636.) Nannetense circa annum 895, præcipit ut dominicis & festis diebus, Presbyteri antequam Missas celebrent, plebem interrogent si alterius Parochianus in Ecclesia sit qui, proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant, nisi in itinere sit. (Tom. 9. Concil. pag. 468.)

Veterem hanc disciplinam renovavit Concilium Tridentinum: hortatur Episcopos ut moneant populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei. (Sess. 24. de Reform. cap. 4.) Quamvis Missam ibi nominatim non exprimat Concilium, de ea tamen intelligendum est; si quidem præcipit, ut inter Missarum solemnitas, . . . sacra eloquia . . . diebus singulis festis, vel solemnibus explanent Pastores. (Ibid. cap. 7.) Non potuit igitur declarare unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei, quin simul significaverit teneri Fideles ad Missam Parochialem convenire.

Plurimæ etiam Synodi Gallicanæ jus antiquum confirmarunt. Senonensis an. 1524; Carnutiensis an. 1526; Parisiensis an. 1557, ad Episcopum eos deferri voluit, qui tribus continuis Dominicis non interfuerint Missæ Parochiali. Eosdem excommunicationi subjiciunt Narbonensis an. 1551, (Can. 36.) & Burdigalensis an. 1581. (Can. 5.) Denique Clerus Gallicanus in Comitibus generalibus, an. 1625, 1635, 1645, definivit teneri unumquemque, saltem ex tribus Dominicis unâ, in Ecclesia Parochiali interesse solemnî sacrificio, & censuris cogi posse qui huic officio defuerint. Religiosis mendicantibus prohibuit ne aliud docerent, & populos à Parochiis averterent.

Quæres 9^o. quid iis Statutis opponant Regulares.

Resp. quædam opponunt privilegia à summis Pontificibus sibi concessa.

1^o. Inquiunt, Leo X an. 1517, in Constitutione quæ incipit: *Intelleximus*, declaravit Fideles qui in Ecclesiis Fratrum Ordinum mendicantium, dominicis ac festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto de Missa audienda. (T. 1. magn. Bullar. Rom. p. 597. col. 1. edit. Lugd. an. 1655.) Sed Mendicantes nihil jurat hæc Constitutio; tum quia quæstionem non attingit, cum aliud sit præceptum Missæ audiendæ, & aliud audiendæ Missæ Parochialis; tum quia privilegia quodcumque Concilio Tridentino antiquius, ab ipso revocatum fuit, quatenus declarat Fideles teneri Parochiæ suæ interesse, . . . non obstantibus privilegiis & consuetudinibus quibuscumque.

2^o. Pius V, inquiunt, in Bulla *Etsi Mendicantium*, an. 1567 sic pronunciavit: *Volumus ut Christi Fideles audiendo Missas in Ecclesia Fratrum, . . . præcepto Ecclesiæ satisfecisse ceaseantur.* (Ibid. tom. 2. pag. 229. col. 2.) Sed Pii V Decretum revocavit Gregorius XIII an. 1573, per Bullam quæ incipit: *In tanta rerum & negotiorum mole*, & Leges antiquo jure constitutas & à Synodo Tridentina confirmatas jubet observari. (Ibid. pag. 370.)

Denique Regulares Duacenses decretum obtinuerunt à Clemente VIII an. 1592, cujus initium est: *Significatum nobis fuit.* Ibi statuit Fideles liberè Missas diebus dominicis & aliis majoribus festis, audire in Ecclesia tam Fratrum Mendicatorum, quam aliorum Mendicantium licitè posse.

Sed decretum illud nullum habuit effectum quia, dissimulato quæstionis statu, non sine aliqua fraude impetratum fuerat. *Obnubilata veritate, & suggestâ falsitate*, inquit Archiepiscopus Camera;

centis in sua ad Clementem Epistola, *Episcopis & Pastoribus non auditis, Presbyteri Societatis Jesu obtinuerunt quidquid voluerunt. Scilicet Summo Pontifici expositum fuerat, eò utique progredi quosdam Regularium hostes, ut contenderent Fidelibus nullo modo licere, diebus dominicis & festis Missam apud Regulares audire; quod merito improbatum Clemens VIII; id verò falsum erat: de hoc enim uno conquerebantur Belgarum Pastores, quòd docerent Regulares eos qui in ipsorum Ecclesia Sacro intererant, audiendæ Missæ Parochialis præcepto satisfacere. Vide opus Clero Gallicano dicatum cui titulus: *L'autorité Episcopale défendue contre les nouvelles entreprises de quelques Réguliers, &c.* autore Francisco Bonichon, Congreg. Orator. Sacerd. (Edit. Paris. pag. 554, 626. & seq.)*

CAPUT II.

De Præcepto quo jubemur diem Dominicam & Festam colere.

CULTUS nomine hic intelligitur religiosa cujusdam diei ad colendum Deum constituta observatio. Ut Sabbatum tanquam sibi specialiter consecratum celebraret, populo Judaico Deus his verbis præceperat: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* (Exod. 20. 8.) Sabbati nomen hebraicum est, & latine requies sive cessationem significat. Cur autem voluerit Deus ut diem hanc, præ aliis, colerent Judæi, duas causas assignat Scriptura. Prima fuit ut creationis beneficium in memoriam revocarent. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt,*

& requievit in die septimo. Ideo benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum. (Ibid. v. 11.) Secunda est ut Judæi liberationis à captivitate Ægyptiaca recordarentur, quod ex illis verbis apertum est: *Memento quòd & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento, ideò præcipit tibi ut observares diem Sabbati.* (Deut. 5. 15.)

Cum aliqua temporis pars assignari debeat, quæ Deo colendo specialiter destinetur, Apostoli primum hebdomadæ diem, veluti ceteris aptiorem, Sabbati loco selegerunt, ipsumque diem dominicum appellarunt. Cujus diei celebritas jam Apostolorum temporibus apud Christianos obtinebat. Illius sic meminit S. Joannes: *Fui in spiritu in dominica die, & audivi.* (Apoc. 1. 10.) Hinc Sabbati solemnitatem in diem dominicum ab ipsis Apostolis translata fuisse sic docet Autor antiquus: *Dominicum diem Apostoli, & Apostolici viri religiosa solemnitate habendum sanxerunt.* (Serm. 251. in append. tom. 5. oper. S. Aug. p. 467. n. 2.) Ideo autem diem dominicam Sabbato Ecclesiæ substituit; 1^o. quòd eà die mandus initium acceperit; 2^o. quòd eadem Christus à mortuis resurgens, à laboribus suis quieverit in perpetuum; 3^o. quòd illa die in Apostolos & Ecclesiam delapsus fuerit Spiritus Sanctus; 4^o. quòd, abolitâ Lege Judaica, Sabbata ejus sicut & Neomenia extingui debuerint. Has rationes recenset S. Leo. (Epist. 11. cap. 1. tom. 1. pag. 436. edit. Quæsnel.)

Quemadmodum populus Judaicus, præter Sabbatum, alios etiam festos & sacros dies habuit divinâ Lege constitutos, quibus maximorum Dei beneficiorum memoria renovaretur; ita populus Christianus, præter Dominicam, alios habet dies festos & solemnes, vel ab ipsis Apostolis in ipso Ecclesiæ exordio, vel ab eorum successoribus postea institutos, quibus varia Dei beneficia

recolerentur, ipsique grates rependerentur. De iis autem observandis præceptum sub peccato mortali obligare compertum est, tum ex omnium Fidelium sensu & consuetudine; tum ex damnatione sequentis propositionis ab Innocentio XI pronuntiata: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Ut autem ritè celebrentur dies dominica, solemniaque festa, quædam opera exerceri & quænam omitti debent. De utrisque seorsim agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De operibus quæ ad diem Dominicæ Fæstorumque Cultum pertinent.

Si recentioribus quibusdam Casuistis fides adhibeatur, contra præceptum de festis celebrandis non peccat Christianus, licet nec sacris concionibus, nec vespers, nec aliis divinis laudibus intersit, nec aliquid boni operis exercent, modo Missam audiat, & ab opere fervili absteat: quin etiam si, audita Missa, reliquum diem in nugis, ludis & oblectamentis transigeret, non esset violati præcepti reus. Quàm autem absurda sit hæc doctrina, ut pateat, sit

PROPOSITIO.

Ad satisfaciendum Præcepto de Dominica aliisque diebus Fæstis celebrandis, non satis est Missam audire.

Probatur. Ea prorsus rejicienda est opinio, quæ tum à mente Ecclesiæ, tum à recta ratione omnino abhorret: atqui talis est opinio quam refellimus: 1º. quidem ab Ecclesiæ mente prorsus aliena est; innumeri enim sunt Ecclesiæ Cænes, quibus

quibus statuitur non rectè celebrari dies festos, nisi præter missam aliis Officiis divinis & piis operibus vacent Christiani.

Concilium Turonense an. 813 sic jubet: *Ortet omnes Christianos (die dominicâ) à servili opere in laude Dei, & gratiarum actione, ad vesperam usque perseverare.* (Can. 40. tom. 7. Concil. pag. 1267.) Remense an. 1583: *Diebus dominicis & festis in suas paræcias populus conveniat, & Missæ, concioni ac vespers intersit.* (Tom. 15. Concil. pag. 889.) Burdigalense eodem anno celebratum Parochis omnibus præcipit, *ut populum suum frequenter commonefaciant ut diebus festis, sacris omnibus Ecclesiæ mysteriis, & divini verbè prædicationi, quantum fieri possit, ex animo & religiosè intersint, nec pietatis opera itidem prætermittant, in pauperibus resciscendis, afflictis consolandis, aliisque piis rebus gerendis, in quibus christiana professio & caritas maxime elucescit.* (Ibid. pag. 951.) Aquisense an. 1585: *Doceantur populi . . . ut festos dies . . . in divinis Officiis concionibusque audiendis, necnon in orationibus . . . sanctè ac piè transigant.* (Ibid. pag. 1146.) Denique, ut alias bene multas Synodos prætermittam, Mediolanensis III sub S. Carolo, jubet à Parochis & Concionatoribus admoneri Fideles, *ut diebus festis concionem manè . . . audiant, . . . ut divinis, vespersarum præsertim, Officiis præsentè piè religiosèque adsint; ut in Christianæ Doctrinæ rudimentis ac præceptis, vel percipiendis, vel recolendis versentur; ut in operibus etiam officiisque pietatis se exercent, homines ægros visitando, marcentes piè consolando, & alia ejusmodi præstando.* (Ibid. pag. 372.)

Ex his omnibus facillè apparet, ut ait celeberrimus Van-Espen, omnino à mente Canonum & Ecclesiæ esse alienam quorundam opinionem, qui arbitrantur præcepto de sanctificando die dominico aut festivo satisfieri, per unius Missæ pri-

Tom. VI. F

vate . . . auditionem, tamen (aliquis) reliquam diei partem ad actionibus profanis & inutilibus impendant. (De jure ecclesiæ, part. 2. tit. 17. de celebrat. festor. cap. 2. n. 20. tom. 1. edit. Colon. Agripp. an. 1713. pag. 549. col. 2.)

2^o. Eadem opinio recte rationi prorsus advertatur: 1^o. enim in Missa audienda vix consumitur hora dimidia: atqui clamat sensus communis ad Festa ritè celebranda, non satis esse ut Christiani Deo vacent per semihoram duntaxat, cum ne vigesimam quidem diei partem efficiat.

Et verò docent advertarii minimè violare diem festum, qui per semihoram tantum serviliter operatur, quia parum, inquit, pro nihilo reputatur; ad colendos autem dies festos sufficit horam dimidiam in Missa audienda impendere, & tunc parum pro toto die reputabitur; cur diversa hæc pondera?

Præterea Christianus cui præcipitur ut diem festum colat, se habet veluti famulus cui jubet herus quamdam, præ aliis, diem suo servitio impendere: atqui nemo sanæ mentis dixerit, famulum hunc domini sui mandato satisfecisse, si per diem de qua agitur dimidiâ solum horâ heri sui negotiis vacaverit; ergo pariter non censendus est Christianus impositam sibi de Festis celebrandis Legem observasse, si dimidiam tantum horæ partem in Missa audienda adhibuerit, reliquam vero diem in rebus merè profanis, ad pietatemque nihil pertinentibus consumpserit; ergo doctrinâ quam refellimus, & cum Ecclesiâ mente, & cum ipsa ratione manifestè pugnat.

Ex his collige à Confessariis interrogandos esse penitentes, utrum majorem diei dominicæ Festorumque partem in cultum divinum impenderit, an verò, post auditam brevem Missam, reliquam diei spatium in rebus merè profanis, vel inutilibus, vel illicitis transegerint: quo in capite si reiprehendantur, congruam poenitentiam ipsis

imponet Confessarius, eosque diligenter admonebit quo pacto sese per dies festos gerere debeant.

ARTICULUS II.

De operibus à quibus per Dies Festos abstinendum est.

Tricipolis generis sunt opera, nempe *servilia*, *liberalia*, & *communia*. *Servilia* dicuntur ea quæ à servis & infima plebe, seu mercenariis hominibus exerceri solent, qualia sunt artis cujuslibet et mechanicæ opera, ut terram colere, domos edificare, & alia similia; hæc autem, licet gratis & sine ullo mercedis intuitu, vel recreandi animi causâ, vel ex pia intentione fierent, non desuperent esse servilia, quia intentio naturam operis non mutat: unde si per dies festos plebeis prohibeantur, ingenuis etiam hominibus vetita sunt.

Opera *liberalia* ea sunt quæ mente magis quàm corpore exercentur, & quæ eò maxime spectant, ut excolatur animus; docere, v. g. concionari, legere, scribere, & alia id genus.

Opera *communia* dicuntur ea quæ tum à plebeis, tum à nobilibus viris peraguntur, ut iter facere, venari, piscari, ludere & alia ejusmodi. Opera *corporalia*, inquit S. Thomas, . . . in tantum servilia dicuntur, in quantum propriè pertinent ad servientes: in quantum verò sunt communia & servis & liberis, servilia non dicuntur. (2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.)

Dicemus 1^o. de operibus servilibus; 2^o. de iis quæ, licet non servilia sint, diebus tamen festis fieri prohibentur; 3^o. de causis quæ ab observatione præcepti opera servilia prohibentur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De operibus servilibus quæ per dies sacros fieri prohibentur.

Opus quodcumque servile diebus dominicis exercere illicitum est. Sic enim vetat Deus: (Levit. 23. 7.) *Omne opus servile non facietis in eo (die Sabbati.)* Apud Christianos autem Sabbato successit dies dominica. *Observantia diei dominica*, ait S. Thomas, *in nova lege succedit observantia Sabbati.* (2. 2. q. 122. art. 4. ad 4.) Idem prohibent innumeri Conciliorum Canones: Aquisgranense, (d'Aix-la-Chapelle) an. 789, sic habet: *Statuimus quoque secundum quod in Lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus dominicis non agantur.* (Tom. 7. Concil. pag. 987.) Arelatense VI an. 813: *Dominicis diebus penitus à rurali & servili opere cessetur, his solummodo peractis quæ ad Dei cultum & servitium pertinere noscuntur.* (Ibid. pag. 1237.) Remense II eodem anno celebratum præcipit ut diebus dominicis secundum Domini præceptum, nulla opera servilia qualibet perficiat. (Ibid. pag. 1257.)

Ut autem generale illud operis servilis interdictum specialibus evolvatur,

Quæres quænam seorsim opera servilia prohibeantur?

Resp. prohiberi 1^o. quidquid ad ruris culturam pertinet, v. g. seminare, metere, arbores cædere, &c. *Statuimus quoque*, ait Concilium Aquisgranense modo laudatum, *... quidd nec viri ruralia opera exerceant.* (Ibid. ubi supra.) Cabilonenſe an. 650, vetat ne in ipso die dominico fiant ruralia opera, & quidquid ad ruris culturam pertinet. (Can. 16. tom. 6. Concil. pag. 391.) Idem prohibet Synodus Pariserſis VI an. 829, sicque narrat: *Multi nostrorum visu, multii etiam quorundam relati di-*

dicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes, fulmine interemptos, ... quosdam etiam visibili igne, corporibus ossibusque simul sub momento absumptis, in cinerem de subito resolutis, pœnaliter occubuisse; & multa alia terribilia judicia extiterunt, & hæcenus existunt, quibus declaratur quod Deus in tanti diei inhonorazione offendatur. (Tom. 7. Concil. pag. 1830.)

2^o. Opera artis cujuscumque mechanicæ, v. g. factoriæ, futoriæ, textoriæ, ferrariæ, &c. Synodus enim Aquisgranensis an. 789, ipsis etiam feminis præcipit ut opera textilia non faciant, nec... acupicibile, gallicè broderie. (Ubi supra) Concilium Meldense an. 845 jubet Christianos per dies sacros manus continere ab omni opere fabrili. (Ibid. pag. 1845.)

3^o. Inter opera servilia & sic prohibita recensetur, quidquid jumentorum ministerio geritur, qualis est frumenti, vini, lapidum, mercium exportatio, juxta illud præceptum: *Non facies omne opus in eo, (Sabbato) tu & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum.* (Exod. 20. 10.) Hinc S. Antonius: *Item ad opus servile spectat, inquit, cum equis, asinis, vel bobus deferre vel ligna, vel vina, vel mercimonia.* (2. part. tit. 9. cap. 7. sect. 5.) Concilium Parisenſe supra laudatum, cujuscumque conditionis hominibus interdicit quælibet carrigationes, gallicè charrois, transports. (Ubi supra.)

4^o. Opus pictorium & sculptile, juxta magis communem Theologorum sententiam, servile est, per diesque festos vetitum; siquidem mechanicæ sunt artes pingendi & sculptendi. Quapropter Concilium Meldense an. 845. jubet per sacros dies abstineri ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, cementario, pictorio, &c. (Can. 77. ubi supra.)

5^o. Tonforum professio servilis est, per diem festum vetita. *Illius abusum penitus reprobantes*, inquit Concilium Parisenſe an. 1429, *quo maref-*

calli & barbitiones supra dictis dominicis & aliis B. Mariæ & Apostolorum festiuitatibus credunt sibi licitum fore, sua ministeria etiam prætor necessitatem exercere. (Tom. 12. Concil. pag. 400.) Ioannes XXII Pontifex Maximus, in litteris ad Philippum V Galliarum Regem datis anno 1317, & ab Odorico Raynaldo ad eundem annum n. 4. relatis, Principem sic alloquitur: *Illud sanè quod inoleuisse... dicitur, ut videlicet passim in quamdã irreuerentiam divinam... die dominico radendis ac tondeudis barbis atque capitibus intendatur, te dissimulare non decet; cum dies illa divino cultu specialiter dedicata, talibus profanari non debeat.*

6°. Pistoribus, gallicè *Boulangers*, non licitum est panes die festo conficere, si ante sacrum illud tempus panes præparare potuerint; si vero multa festa non interruptè celebrentur, tunc possunt panes coquere, quia periculum esse ne populus necessario hoc cibo fraudaretur. Statutus S. Ludovici Galliarum Regis, vetitum est pistoribus ne artem suam diebus dominicis & festis exerceant, nisi unum festum alia duo vel tria præcesserint. In eo quippè casu panis qui primi festi vigilia coctus fuerat, censetur consumptus.

Ceteras omnes servilium operum classes minutatim perlustrare non fuit proposita nobis breuitas. Ex iis verbò quæ exposuimus, facile erit intelligere quid de aliis sentiendum sit.

PARAGRAPHUS II.

De operibus quæ, licet servilia non sint, diebus tamen Festis fieri prohibentur.

Quæres 1°. an diebus festis piscari venarique liceat.

Resp. id esse Christianis illicitum, & ab Ecclesiæ Canonibus vetitum: *Ne venationes exerceant*, inquit Concilium Aquilgranense an. 789. (loco jam citato.) Meldense an. 845 iubet per dies festos

abstineri ab omni opere... venatorio. (Ubi supra). Unde sic concludit Natalis Alexander: *Hinc patet venationes his diebus esse prohibitas, nec absque gravi peccato his vacare nobiles viros, alioque quibus falsò persuasum est, hanc honestam animi relaxationem licere, cum Missæ interfuerint.* (Tom. 2. Theolog. Dogmat. & moral. in-fol. pag. 300. edit. Paris. an. 1699.)

Si verò graviter peccent qui animi recreandi causâ venantur aut piscantur, quanto magis idem de iis sentiendum, qui huiusmodi artes profitentur, & lucri gratiâ exercent? Ex officio venationem aut piscationem exercere, ait Sylvius, servile videtur ac in die festo prohibitum. (2. 2. q. 322. art. 4. tom. 3. pag. 760. col. 1. edit. Antwerp. an. 1667.)

Animadvertit tamen Concina, ubi obtinuit consuetudo piscandi in fluminibus, oblectandi animi causâ, & exiguo temporis intervallo, eam non esse improbandam.

Quæres 2°. an diebus festis vendere & emere liceat.

Resp. Ea tantum licitè emuntur & venduntur, quæ vel ad victum, vel ad sublevandos ægrotautes necessaria sunt. Vetat Concilium Mediolanense I sub S. Carolo, *Ne quid ematur aut vendatur, præter id quod ad illius diei victum, vel ad ægrotorum curationem necessarium sit.* (Tom. 15. Concil. pag. 254.) Ab ea tamen regula excipiendi sunt, tum rustici qui urbes festis diebus (les jours ouvriers) convenire nequeunt ad ea quibus indigent emenda; tum viatores qui moram non patiuntur: tunc autem curare debet mercator ut res cura scandalum geratur.

Quæres 3°. an mercatura & nundinæ, foires publicæ, per dies sacros prohibeantur.

Resp. eas, cum mentem à rebus divinis pluri-

mum distrahent, à variis Conciliis interdictas esse. Meldense, v. g. an. 845 præcipit ut diebus dominicis & festis *abstineatur ab omni opere mercatorio.* (*Can. 77. ubi suprâ.*) Mediolanense III sub S. Carolo, vetat ne *in diebus nundinæ mercatule agantur.* (*Ibid. pag. 371.*) Turonense an. 1583, *Omnibus prohibentis, inquit, publicas nundinas, & alios quoscunque mercatus, quâcumque in contrarium consuetudine non obstant, diebus dominicis... & solemnioribus festis frequentare.* (*Ibid. pag. 1018. & 1019.*)

Varia sunt ea de re Principum nostrorum Edicta: sed prævaluit consuetudo nundinas & mercaturam diebus dominicis & festis minus solemnibus exercendi; tum quia tunc diebus convenire solet populi multitudo; tum propter rusticorum & pauperum utilitatem, qui profectis diebus nundinas adire non possent, nisi suarum operarum jacturam facerent. Hujusmodi consuetudines, ubi temporis diurnitate & Superiorum consensu investæ sunt & firmatas, communi Doctorum suffragio, inquit *Concina*, excusantur à culpa; sed ab audiendâ Missâ præcepto non liberant, & à Pastoribus admonendi sunt fideles, ut inter nundinas Sacrum non omittant; ut divinis rebus, quantum fieri potest, vacent; utque à fraudibus & jurgiis abstinant.

Quæres 4^o. an diebus dominicis & festis iter facere liceat.

Resp. id sine causa justa licitum non esse, quia itinera mentem à cultu divino, cui speciatim consecrati sunt dies festi, avocant; *Abstinendum est, inquit S. Antonius, ab itinere, nisi necessitas cogat, vel aliud pium opus inducat.* (*2. part. tit. 9. cap. 7. sect. 5.*) Ea de re sic præcipit Concilium Mediolanense V: *Ne quis diebus dominicis festisque ex urbe, oppido, alioque loco, cum iter facturus est, ante discedat, quàm Missæ sacrificio interfuerit, nisi ad eum locum proficiscatur, ubi in tem-*

porè interesse possit. (*Tom. 15. Concil. pag. 572.*) Non tamen mortaliter peccare censendi sunt qui, etiam sine causa, iter faciant, quia consuetudo universalis obtinet ut possint Christiani festis diebus, absquæ culpa saltem gravi iter fuscipere: ita vulgò sentiunt Theologi.

Quæres 5^o. an liceat actus judiciales & forenses exercere.

Resp. in his prohibendis consentire jus tum canonicum, tum civile. *Ne in diebus dominicis... causationes, disceptationesque exercentur,* inquit Concilium Arelatense VI an. 813. (*Can. 16. Tom. 7. Concil. pag. 1237.*) Meldense jam multoties laudatum, an. 845 præcipit ut per dies sacros *abstineatur ab omni opere forensi.* In Capitularibus Caroli Magni sic prohibetur: *Placita publica, (gallicè plaids) non faciant.* (*Tom. 1. Capitular. edit. Baluz. pag. 253.*) Interdictionem hanc sic confirmat Gregorius IX: *Quamvis non prorogari, sed expediri debeat quæstiones, debet tamen judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse stulti.* (*Lib. 2. Decretal. tit. 9. cap. 5. pag. 598.*)

Quæres 6^o. an saltationes, ludii scenici & theatrales, diebus festis specialiter prohibeantur?

Resp. Tot ea de re extant Conciliorum decreta, ut si omnia velim recensere, tempus me deficeret. Ex innumeris pauca delibabimus *Irreligiosa consuetudo est, ait Concilium Tridentinum III, quam vulgus per sanctorum solemnitates agere consuevit, ut populi qui debent divina Officia attendere, saltationibus & turpibus invigilent cantiois.... Hoc ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum & Judicum curæ à Concilio sancto committitur.* (*Tom. 5. Concil. pag. 1014. & 1015.*)

Idem prohibet Synodus Mediolanensis III: *Quoniam usu jam... nimis compertum est... ad cho-*

teas, tripodia, saltationes, & id genus alia nunquam ferè conveniri sine multis, & iis quidem gravissimis Dei offensionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obscenè dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas, & perniciosas ad omnia opera carnis Alcebras illis perpetuò conjunctas. (Tom. 15. Concil. pag. 372.)

Concilium Bituricense an. 1584: Prohibetur populus... choreas, tripodia, larvas, & theatrales ludos, diebus festis exercere. (Ibid. pag. 1076.) Turonense an. 1583 sic vetat: Diebus dominicis præsertim & aliis festis, ... saltationes & choreas fieri, ... comedias, ludos scenicos vel theatrales, & alia hujus generis irreligiosa spectacula agi, sub anathematis pena prohibes hæc Synodus. (Ib. pag. 1019.)

Serio nunc animo tecum reputes, inquit Concina, utri opinioni sit adhaerendum, Casuistarum nempe, an Conciliorum. Casuistæ absolute docent choreas, saltationes & similia, diebus festis esse licita, propterea quod non sunt opera servilia, neque ex suo genere mortalia. Contra Episcopi quos posuit Deus regere Ecclesiam suam, in Conciliis congregati, longâ experientiâ edocti, testantur saltationes, choreasque malorum seminaria esse, easque severe reprobant, diebus potissimum festis, tanquam sacri illius temporis sacrilegas profanationes.

Conciliorum decretis accedunt nostrorum Principum Edicta, Aurelianense & Blesense. Aurelianense an. 1560 ita se habet: Défendons à tous Juges de permettre qu'ès jours de Dimanches & Fêtes annuelles & solennelles aucunes foires & marchés soient tenus, ni danses publiques faites, & leur enjoignons de punir ceux qui y contreviendront. (art. 3.)

Blesense verò sic declarat: Enjoignons à tous Juges de faire garder & Observer étroitement les défenses portées par les Ordonnances faites à Or-

leans, tant pour le regard des foires & marchés, & danses publiques, es jours de Fête, que contre les joueurs de farces, bateleurs, &c. (Mém. du Clergé, édit. de 1716. tom. 5. pag. 1248 & 1249.)

PARAGRAPHUS III.

De causis quæ ab observatione Præcepti opera servilia per dies festos prohibentis, eximant.

Prima est consuetudo legitime investa, id est, videntibus, & tacite annuentibus Superioribus. Observatio Sabbati, inquit venerabilis Geronius, quoad circumstantias temporis, & modi & loci, pro maxima parte relicta est determinationi Prælatorum, quæ cognoscitur tum ex eorum institutis, tum ex consuetudinibus per eos legitime toleratis. (Reg. 104. tom. 3. pag. 96. édit. Dupin.) Sic permittitur rerum parvi momenti emptio, præsertim earum quæ usu quotidiano consumuntur, ipsarumque venditio, clausâ officinâ.

Secunda est caritas erga proximum, ut patet exemplo Christi. Occurrente homine cui manus erat arida, & interrogantibus Phariseis, si licet Sabbatis curare, respondit Christus: Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, & si ceciderit Sabbatis in foveam, nonne tenbit & levabit eam? Quanto magis melior est homo ovis! Itaque licet Sabbatis benefacere. (Matth. 12. v. 10. 11. 12.) Sic propter caritatis officium licet pro infirmis medicamenta quibus indigent parare.

Tertia causa est necessitas propria vel aliena, spiritualis vel corporalis; cum scilicet sine gravi damno opus aliquod omitti, vel differri nequit: Sabbatum enim, ait Christus, propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum. (Matth. 2. 27.)

Sic excusantur 1^o. pauperes qui, postquam divino interfuerunt officio, clam & absque scandalo laborant, quando aliter se suosque alere non

possunt. *Videtur licitum cuilibet*, ait S. Antoninus, *laborare pro sustentatione sui & familiae suae, quando aliter sustentari non valet, ita tamen quod non dimittantur divina; ... & erit bona cautela, ut hoc fiat cum dispensatione Episcopi.* (Part. 2. tit. 9. cap. 7. sect. 5. sub finem.)

2º. Famuli qui à dominis suis laborare coguntur, alioquin grave damnum passuri: *Opus enim corporale*, inquit S. Thomas, *quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum.* (2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.) Quod tamen si contingat lapsus, debent tales dominos deferere ne deferantur à Deo, quo protegente, alios inveniant.

3º. Instauratores pontium, fontium, viarum publicarum, & similibus, quæ moram non patiuntur, nec possunt absque boni communis detrimento differri.

4º. Molitores & nauceri quorum ministerium ab instabilibus ventis pendet.

5º. Laniones & pittores qui carnes & panes alio tempore præparare aut coquere non possunt, in magno scilicet populorum & festorum concursu.

6º. Sartores qui, nisi per aliquam diei festi partem laborent, non possunt vestes absolvere, quando urget earum usus, ob nuptiarum vel exequiarum solemnitatem. Peccant tamen si in eam necessitatem suâ culpâ sese conjecerint, quod non raro contingit.

7º. Tonsores, dum barbam radunt rusticis vel opificibus, quibus non finit labor perpetuus, ut ipsos profectis diebus adeant. Numquid autem à peccato mortali excusandi sunt tonsores qui, nisi barbam radant, ab iis qui ipsorum operâ uti solent, deferentur & lucri jacturam facient? Ut recte solvatur hæc quaestio, circumstantiarum habenda est ratio. Qui ob solam lucri aviditatem, diebus festis artem suam exercent, damnandi sunt.

qui verò propter familiæ sustentandæ necessitatem sic agunt, tolerandi sunt & admonendi ut Missam audiant, divinisque Officiis, quantum fieri potest, intersint.

8º. Qui coquendis lateribus, calci, ferro, vel conflandis vasis vitreis allaborant, quoties opera hæc semel inchoata, sine grandi damno interrumpi nequeunt, ut contingere solet.

9º. Qui vecturam faciunt, gallicè *les volutiers*, si nequeant inceptam iter sine gravi detrimento interrumpere. Sed diebus dominicis & festis, Missam reverenter audiant necesse est, priusquam institutum iter manè persequantur.

10º. Tandem propter necessitatem excusantur rustici qui, ob æris temperiem, hostiles incurfus, &c. segetes metunt, sœnum, fructus, vel uvas diebus festis colligunt. Prius tamen Pastoris consensum obtineant oportet, nisi manifestum sit in mora periculum.

Quæres 1º. quænam diei festi pars operi servili impensa, sit gravis vel levis.

Resp. ea de re in varias opiniones scindi Theologos, & maxime Casuistas. Alii tres horas, alii duas ut rem levem habent, quæ à peccato mortali excuset; alii unicum horam integram in opere servili consumptam, affirmant gravem esse temporis partem quæ culpæ mortali sufficiat; id verò prudentis viri iudicio permittimus, qui ex personæ statu, affectu, aliisque circumstantiis, potius quàm ex uno vel altero quadrante, statuet utrum peccatum mortale sit an leve: sed tanquam certum tenendum est, eos in poenitentia tribunal non esse absolvendos, qui absque justa causa vel per unicum horam diebus festis laborant, nisi promiserint se in posterum ab opere servili cessaturos.

Quæres 2º. an peccatum mortale per dies festos

commisum, novam ex circumstantia temporis ducat malitiam mortalem.

Resp. rem ita esse: nam crimen exterius, v. g. factum in templo commissum, præter propriam deformitatem, novi peccati, nempe sacrilegii, malitiam induere fatentur adversarii; propter irreverentiam & injuriam loco sacro factam; quidni pariter idem sentias de crimine per diem festum perpetrato, v. g. de ebrietate? Numquid diei festi tempus minus sacrum est, quam locus Deo dedicatus? Eadem itaque esse debet utriusque ratio. *Peccatum mortale commissum die festo*, inquit S. Antoninus, *est multò gravius quàm alià die... Nam ultra propriam deformitatem, ... habet specialem deformitatem ex illa circumstantia temporis sacri, quâ festum violatur. Unde talis non solum agit contra unum præceptum, scilicet: Non mæchaberis, aut illud: Non furtum facies; sed etiam contra illud de sanctificatione Sabbati.* (Part. 2. tit. 9. cap. 7. sect. 3.)

Inde sequitur à Confessariis interrogandos esse penitentes de tempore quo in mortalia peccata lapsi sunt, maxime si hujusmodi sunt, ut festorum cultui maximum afferant impedimentum, qualia sunt ebrietas, choreæ, aliaque similia. Temporis enim sacri circumstantia peccati speciem mutat, efficiatque ut duabus simul virtutibus adverferet. Ebrietatis, v. g. crimen die festo commissum, simul opponitur & temperantiæ, & virtuti Religionis quæ dies festos sanctificari jubet. Hinc S. Thomas, *Primo*, inquit, *accusabilis redditur aliquis ex hoc quòd homicidium fecit; secundariò verò ex hoc quòd fecit... vel in tempore, vel in loco sacro.* (1. 2. q. 7. art. 1. ad 1.) Qua de re admonendi sunt Fideles.

Præterea etiam si temporis sacri circumstantia peccati speciem non mutaret, nihilominus in penitentia tribunali esset exprimenda, quia criminis gravitatem non parùm auget, Quæ de re Synodum

quamdam Lingonensem allegat Juenin; (Theol. Moral. tom. 4. pag. 75.) cujus Synodi hæc sunt verba: *Gravius peccat qui peccat in festo, puta furatur, fornicatur, quàm qui in aliis diebus hoc facit. Teneri autem Fideles in confessione declarare circumstantias, quæ peccatum longè gravius efficiunt, ostendimus in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.*

CAPUT III.

De Præcepto Ecclesiæ quo certis diebus jejunium præscribitur.

JEFUNIUM ecclesiasticum de quo hic agitur, describi solet *abstinentia à pluribus refectioibus*, (gallicè *repas*) certoque ciborum genere, secundum Ecclesiæ regulas. Quæ descriptio iis explanabitur quæ sumus exposituri. Ad octo articulos revocari possunt; in primo inquiremus an Ecclesiæ possit jejunia instituere, quæ conscientiam obligent; in secundo, de præcipuis Ecclesiæ jejniis; in tertio, de conditionibus ad jejunium ecclesiasticum requisitis; in quarto, de iis qui jejunii lege obstringuntur; in quinto, de iis qui violationis jejunii sunt participes; in sexto, de causis à jejunii lege exemptibus; in septimo, de jejunii utilitate; in octavo denique, de regulis quæ observari debent ut jejunium sit utile, dicturi sumus.

commisum, novam ex circumstantia temporis ducat malitiam mortalem.

Resp. rem ita esse: nam crimen exterius, v. g. factum in templo commissum, præter propriam deformitatem, novi peccati, nempe sacrilegii, malitiam induere fatentur adversarii; propter irreverentiam & injuriam loco sacro factam; quidni pariter idem sentias de crimine per diem festum perpetrato, v. g. de ebrietate? Numquid diei festi tempus minus sacrum est, quam locus Deo dedicatus? Eadem itaque esse debet utriusque ratio. *Peccatum mortale commissum die festo*, inquit S. Antoninus, *est multò gravius quàm alià die... Nam ultra propriam deformitatem, ... habet specialem deformitatem ex illa circumstantia temporis sacri, quâ festum violatur. Unde talis non solum agit contra unum præceptum, scilicet: Non mæchaberis, aut illud: Non furtum facies; sed etiam contra illud de sanctificatione Sabbati.* (Part. 2. tit. 9. cap. 7. sect. 3.)

Inde sequitur à Confessariis interrogandos esse penitentes de tempore quo in mortalia peccata lapsi sunt, maxime si hujusmodi sunt, ut festorum cultui maximum afferant impedimentum, qualia sunt ebrietas, choreæ, aliaque similia. Temporis enim sacri circumstantia peccati speciem mutat, efficiatque ut duabus simul virtutibus adverferet. Ebrietatis, v. g. crimen die festo commissum, simul opponitur & temperantiæ, & virtuti Religionis quæ dies festos sanctificari jubet. Hinc S. Thomas, *Primo*, inquit, *accusabilis redditur aliquis ex hoc quòd homicidium fecit; secundariò verò ex hoc quòd fecit... vel in tempore, vel in loco sacro.* (1. 2. q. 7. art. 1. ad 1.) Qua de re admonendi sunt Fideles.

Præterea etiam si temporis sacri circumstantia peccati speciem non mutaret, nihilominus in penitentia tribunali esset exprimenda, quia criminis gravitatem non parùm auget, Qua de re Synodum

quamdam Lingonensem allegat Juenin; (*Theol. Moral. tom. 4. pag. 75.*) cujus Synodi hæc sunt verba: *Gravius peccat qui peccat in festo, puta furatur, fornicatur, quàm qui in aliis diebus hoc facit. Teneri autem Fideles in confessione declarare circumstantias, quæ peccatum longè gravius efficiunt, ostendimus in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.*

CAPUT III.

De Præcepto Ecclesiæ quo certis diebus jejunium præscribitur.

JEFUNIUM ecclesiasticum de quo hic agitur, describi solet *abstinentia à pluribus refectioibus*, (*gallicè repas*) certoque ciborum genere, secundum Ecclesiæ regulas. Quæ descriptio iis explanabitur quæ sumus exposituri. Ad octo articulos revocari possunt; in primo inquiremus an Ecclesia possit jejunia instituere, quæ conscientiam obligent; in secundo, de præcipuis Ecclesiæ jejniis; in tertio, de conditionibus ad jejunium ecclesiasticum requisitis; in quarto, de iis qui jejunii lege obstringuntur; in quinto, de iis qui violationis jejunii sunt participes; in sexto, de causis à jejunii lege exemptis; in septimo, de jejunii utilitate; in octavo denique, de regulis quæ observari debent ut jejunium sit utile, dicturi sumus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum jejunia instituire possit Ecclesia.

Ab Ecclesia indici posse jejunia quæ conscientiam obligent, negant Pseudo-Reformati: *Non damnantur ipsa jejunia*, inquit Confessio Augustina, *sed traditiones quæ certos dies, certos cibos præscribunt cum periculo conscientia, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.* (Edit. Lips. in 16. an. 1585. pag. 30.)

P R O P O S I T I O.

Potuit Ecclesia instituire jejunia.

Prob. 1^o. exemplo Synagogæ quæ potuit jejunia à Deo minime præcepta instituire, ut patet tum ex cap. 9 Esther, ubi indicitur jejunium, ut insignis beneficii memoria recoleretur, quo Deus gentem Judaicam ab impii Aman vexatione liberaverat; tum ex cap. 8. Zachariæ, ubi sermo est de jejunii quarti, quinti, septimi & decimi mensis, quæ à Moyse sancita non fuerant: quis autem sanus dixerit id non potuisse Ecclesiam, quod potuit Synagoga?

2^o. Quia licitum fuit Apostolis quorundam ciborum, nempe sanguinis & suffocati, usum interdiceret ut Gentiles & Judæi in unum corpus facilius coirent; quidni ergo pariter potuerunt Apostolorum successores quosdam cibos prohibere, ob finem perinde honestam, ut videlicet coërceatur lascivientis carnis petulantia, utque animus ad cœlestium meditationem facilius affurgat?

3^o. Quia jam à primis purioribusque Ecclesiæ sæculis constitutam legimus jejunii Legem, ut innumeris ex Canonibus compertum est: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, ait Canon 68 inter Apostolicos, sanctam Pas-*

chæ quadragesimam non jejunat, ... præterquam si propter inbecillitatem corporalem impediatur, deponatur, & si laicus sit, segregetur. (Tom. 1. Concil. pag. 39.) Concilium Gangrense circa an. 324. ita pronuntiat: *Si quis ... absque necessitate corpora, tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita superbiendo dissolvit, ... anathema sit.* (Tom. 2. Concil. p. 423.) Laodicense IV sæculo celebratum, *Oportet, inquit, per totos hos dies (quadragesimæ) jejunare, & escis abstinentia convenientibus, id est, aridioribus uti.* (Can. 50. tom. 1. Concil. pag. 1520.) Hinc ærium juniorum ab Ecclesia præscriptorum contemptorem, ut novi propriique dogmatis autorem habent S. Epiphanius, (Hæres. 75.) & Augustinus cujus illa sunt verba: *Aerius ... fertur ... in Arianorum hæresu lapsus, propria quoque dogmata addidisse ... non statim solemniter celebranda esse jejunia; sed cum quisque voluerit jejunandum, ne videatur esse sub lege.* (Tom. 8. pag. 18.) Quis autem sanæ mentis dixerit Ecclesiam, jam à prioribus sæculis, potestatis suæ limires fuisse prætergressam?

ARTICULUS II.

De præcipuis Ecclesiæ jejunis.

Præcipua Ecclesiæ jejunia, ut nemo nescit, sunt quadragesimale, quatuor temporum, & quæ insigniorum quorundam festorum vigiliis observari solent.

Quæres 1^o. utrum antiqua jejunii quadragesimalis consuetudo.

Resp. jejunium quadragesimale ab ipsis Apostolis fuisse institutum, & non interrupta temporum serie à fidelibus semper observatum. Id colligitur ex celebri regula quam tradit Augustinus: *Quod uni-*

versa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum recensissimè creditur. (Tom. 9. pag. 140.) Atqui jejuni quadragesimalis institutio, neque in Scripturis, neque in Conciliis primùm sancita legitur. Primum Concilium generale in Ecclesia celebratum, est Nicænum an. 325; jejuni autem quadragesimalis, tanquam prioribus temporibus jam instituti, meminit hæc Synodus: Concilia, inquit, celebrentur, unum quidem ante quadragesimam Paschæ, secundum verò circa tempus autumnii. (Cap. 5. tom. 2. Concil. pag. 40.) S. Leo admonet ut apostolica institutio quadragesimæ dierum jejuni impletur. (Serm. 6. de quadrag. cap. 2. tom. 1. pag. 222.) S. Hieronymus, Nos, inquit, unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum... jejunamus. (Epist. ad Marcellam. tom. 4. part. 2. pag. 64 & 65.) Quis igitur Calvinii impudentiam non miretur, qui jejuni quadragesimale vocat superstitiosum inventum? Tunc, inquit, passim invaluerat superstitiosa quadragesimæ observatio. (Lib. 4. instit. cap. 12. scd. 20.)

Quæres 2º. quamnam sint causæ propter quas institutum fuerit jejuni quadragesimale?

Resp. Variæ à Patribus assignantur. Prima, ut fideles ad ritè celebranda passionis & resurrectionis dominicæ mysteria præparentur. Cognoscimus, inquit S. Leo, ad celebrandum Paschæ diem meritò nos quadragesimæ dierum jejuni præparari, ut digni possimus divinis interesse mysteriis. (Tom. 1. pag. 233.) Secunda, ut Christiani pro dilectis per annum commissis poenitentiam agant, & Deum conjunctis precibus atque lacrymis ad misericordiam flectere studeant. Magnâ, inquit S. Leo, divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem, quadragesimæ nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia casta deco-

querent. (Ibid. pag. 214.) Tertia, ut Christi Domini qui caput nostrum est, jejuni pro modulo nostro imitemur. Dominus, ait S. Hieronymus quadragesimæ diebus Christianorum jejuni sanctificavit. (Lib. 2. advers. Jovinian. tom. 4. part. 2. pag. 210.)

Quæres 3º. utrùm antiquitus, & quas ob causas instituta fuerint quatuor temporum jejunia?

Resp. Quatuor temporum jejunia hæc dicta sunt, quia in singulis anni tempestatibus, quæ numero sunt quatuor, observantur. Ipsorum originem ab ipsi Apostolis repetendam esse quidam existimant, secus verò alii. At certum est eorum jejuniorum consuetudinem esse perantiquam, eum de ea, ut jam suis temporibus vigente, sermonem habeat S. Leo: Jejunia, inquit, ita per totius anni circulum distributa sunt, ut Lex abstinentiæ omnibus sit ascripta temporibus; siquidem jejuniæ vernam in quadragesima, æstivam in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale autem in hoc qui est decimus, celebramus. (Serm. 8. de jejuni. decimi mensis, cap. 2. tom. 1. pag. 138.)

Hæc jejunia instituendi causas recenset idem Doctor. (Serm. 6. de jejuni septimi mensis.) Prima est, ne Christiani Judæis in ea re palmam oederent; jejunabant autem Judæi quatuor anni temporibus, ut patet ex illis Zachariæ verbis: Jejuniæ quarti, & jejuniæ quinti, & jejuniæ septimi, & jejuniæ decimi mensis erit domus Judæ in gaudium. (Cap. 8. 19.) Secunda, ut postuletur à Deo fructuum terræ conservatio, aut pro iis jam collectis grates rependantur. Tertia, ad Deum orandum ut sanctos Ecclesie suæ ministros suppediret; præfatis enim temporibus, conferuntur sacri Ordines. Quarta, ut nulla sit anni tempestas, quæ per speciale jejuniæ Deo non consecratur.

ARTICULUS III.

De conditionibus ad jejunium ecclesiasticum
requisitis.

Jejunii ecclesiastici lege duo potissimum præcipiuntur, nimirum ut à quibusdam cibis, maximè à carnibus, abstinemus, & unica refectioe contenti simus ex consuetudine tamen ubique receptâ permittitur vespertina coenula, gallicè *collation*. De his tribus seorsim agendum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De abstinentia à carnibus.

Facetur quidem Calvinus utilem esse jejunii observationem, neapè vel ad macerandam & subigendam carnem, ne lasciviat; vel ut ad preces ac sanctas meditationes meliùs simus comparati; vel ut testimonium sit nostræ coram Deo humiliationis. (Lib. 4. instit. cap. 12. scđ. 15.) Sed acriter invehitur in abstinentiam à carnibus, quam impiis legibus fanaticam contendit, unde ad jejunium satis esse docet, ut parcius ac leviùs, vilioribusque cibis velcamur. (Ibid. scđ. 21.)

J. Launoy dissertationem edidit de veteri ciborum delectu in jejunii Christianorum. Ibi ab Hæreticis quidem in eo recedit, quod abstinentiam à carnibus jejuniorum tempore non rejiciat, sed laudet; à communi autem Catholicorum sententia in eo discrepat, quod pro variis Ecclesiis varium fuisse contendat servandi jejunii ritum, etiam quoad delectum ciborum, & fidelibus liberum fuisse ut carnem ederent.

PROPOSITIO.

Ecclesia Catholica in jejunii nunquam carnis usum admittit.

Prob. ex Patribus qui egregii sunt disciplinæ ecclesiasticæ testes. S. Basilius, *Carnes*, inquit, non edis, *vesperam expectas ut cibum sumas.* (Homil. 1. de jejun. n. 10. tom. 2. pag. 9. edit. BB.) Cyrillus Hierosolymitanus: *Jejunamus carnibus abstinentes.* (Catech. 4. n. 27. pag. 65. edit. BB.) Nicephorus narrat Imperatoris Justiniani iussu, urgente fame gravissimâ, à laniis carnes expositas fuisse in urbe Constantinopoli, secundâ quadragesimæ hebdomadâ; populum autem abstinentiam à carne ita sacram habuisse, ut fame potius mori vellet, quàm carnes comedere, & quidquam de patris moribus ac traditionibus imitari. (Lib. 17. histor. Eccles. cap. 32. tom. 2. pag. 187 & 188.) *Abstinemus nos à carnibus*, inquit autor antiquus, quibus aliis diebus uti licet. (Serm. 143. in append. tom. 5. oper. S. Augustini, n. 2.) S. Hieronymus in hæc verba Danielis, panem desiderabilem non comedi, sic habet: *Docentur hoc exemplo, tempore jejunii à cibis delicatioribus abstinere, nec carnem comedere.* (Tom. 3. pag. 1118.)

Ne quis autem cum Dallæo sibi fingat in præfatis locis agi de libera, non verò de necessaria à carnibus abstinentia, non abs re erit hic decretum adficere Concilii Toletani VIII. an. 653: *Quisquis absque inevitabili necessitate, Quadragesimâ diebus, esum carniùm præsumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis dominicæ, verùm etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione, & hoc illi cumuletur ad penam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carniùm abstinat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam* (Tom. 6. Concil. Pag. 407.)

Solvuntur objecta.

Objiciunt 1^o. Heterodoxi hanc Christi sententiam: *Manducate quæ apponuntur vobis*; (Luc. 10. 8.) & istam aliam: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*; (Matth. 16. v. 11.) unde concludunt non potuisse Ecclesiam à carnibus abstinentiam præcipere, quin verba Christi violaverit.

Resp. ad primum, suis Discipulis præcipere Christum ut cum apud aliquem hospitium nacti fuerint, non quærant delicatiorès cibos, sed iis qui sibi apponentur, etiamsi vilioribus, contenti sint. Ad secundum in promptu est responsio; scilicet eo sensu accipienda est Christi sententia quòd nullus cibus animam inquinat, quando nullà prohibetur lege; sicque Phariseorum superstitionem refellit, qui sibi singebant alimenta illotis manibus sumpta, nescio quid sordium contrahere quo anima ipsa inficeretur; minime verò cujuslibet cibi quovis tempore usum approbat Christus; alioqui nihil iniquationis in crapula ex ebrietate deprehendisset, quòd cogitare nefas est.

Objiciunt 2^o. nonnulla Apostoli loca, qualia sunt ista: *Omne quod in mactello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* (1. Cor. 10. 25.) *Nemo vos judicet in cibo aut in potu.* (Coloss. 2. v. 16.) *In novissimis diebus discedent quidam à fide, ... prohibentes ... abstinere à cibis quos Deus creavit.* (1. Tim. 4. v. 1. & 2.)

Respondeo in præfatis Apostoli locis aliquid prædicii frustra quærere adversarios. In 1^o. enim ea est Apostoli mens, ut Corinthios ab animi anxietate malè concepta liberet. Religio scilicet ipsis erat emere vel comedere cibos idolis immolatos, qui in foro venales prostabant. Ut ab illo scrupulo eos liberet Apostolus, ipsis ita præcipit: *Omne quod in mactello venit manducate, nihil interrogantes an caro idolis immolata, necne;*

quia idolum nihil est, nullusque cibus ex natura sua est immundus.

In 2^o. vetat Apostolus ne quis Colossenses *judicet* (sive condemnet & redarguat) *in cibo aut in potu*, quali alii cibi mundi sint, alii immundi vi Legis Mosaica, cujus abrogata fuerant præcepta ceremonialia. Hanc esse apertam Apostoli mentem probat ipsemet locus integer: *Nemo vos judicet in cibo aut in potu, ... aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi, id est, illius umbra corpus seu veritas est Christus*, quasi diceret Apostolus: ceremoniales illæ observantiæ totidem erant rerum futurarum figuræ quæ suam à Christo veritatem habuerunt; cum ergo Christum teneatis, nemini licet vos redarguere, quòd umbras & imagines non amplectamini.

In 3^o. demum qui objicitur loco Apostolus *proprie designat Manichæos*, inquit S. Augustinus, *qui non propterea temperant à cibis talibus, ut concupiscentiam suam refrenent, ... sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant.* (Lib. contra Adimantum Manichæum, cap. 14. n. 2. tom. 8. pag. 130.) Apostolum eodem modo interpretantur Tertullianus, (Lib. de jejun. cap. 1.) S. Hieronymus, (Lib. 2. adversus Jovinian.) & alii Patres. Porro à manichæorum errore præcis aliena est Ecclesia Catholica, quæ carnium elum certo tempore interdicit, non quòd eas ex natura sua immundas judicet, cum iis vesci aliis temporibus permittat; sed quia hæc abstinentia concupiscentiæ petulantiam cohibet, corpusque spiritui facilis subjicit.

Objicitur 3^o. factum S. Spiridionis quòd narrat Sozomenus. (Lib. 1. Hist. Eccles. cap. 11.) Spiridion, hospite per quadragessimam recepto, cum nihil aliud ciborum apud se haberet, præter carnes suillas sale conditas, eas hospiti suo de via valde fessio comedendas apposuit, moque

exemplo illum hortatus est ut ederet: quod iste facere recufabat, allegans se Christianum esse. Numquid autem ita se gessisset S. Spiridion, nisi tunc, etiam tempore quadragesimæ, libera fuisset à carnibus abſtinentia?

Resp. historiam hanc aduſariorum errorem penitus conuelleret, nedum ipsi faveat; 1º. enīa ex Sozomēno Spiridion, oratione præmissā, *ueniam petit à Deo*: quorū autem hæc ueniam petitio in re prorsus liberā? 2º. Cū hospitem fame oppressum hortatur ut carnem comedat, dicit illi, *idque sibi licitum negat quia Christianus est*; Christianis ergo vetitum erat ne jejuniorum tempore carnibus vescerentur; alioqui vana fuisset excusatio. Cur ergo Spiridion viatorem ut carnem comedat impellit, suoque exemplo provocat? quia deficientibus pane & farina, ut narrat scriptor, non aliter potuit hospiti fame periclitanti subuenire; præceptum autem vitæ seruandæ præualet Legi quæ tempore jejunii carnis esum prohibet. Nec obijcias cum Dallæ potuisse Spiridionem in sua ciuitate cibos quadragesimales ab amicis postulare: hoc enim factum in urbe contigisse non refert Sozomēnus. Potuit igitur accidere, cū ruri viveret Spiridion, antequam ad episcopatum eueheretur; id satis indicant illa de Spiridione verba: *Rusticus hic fuit. Auunt improbas homines aliquando ad ejus ouile venisse noctu.* (Ibid.)

Observatio.

Non à carnibus duntaxat, verū etiam ab aliis cibis, juxta locorum consuetudinem prohibitis, abſtinendum est. Lacticia (gallicè *laitage*) & ova quibusdam in diocēſibus vetita, ibidem sine peccato comedi non possunt. In aliquibus locis horum usus propter necessitatem concessus est. Circa quorum abſtinentiam, ait S. Thomas

diversæ

diversæ consuetudines existunt, quas quisque observare debet secundum morem eorum inter quos conversatur. (2. 2. q. 147. art. ult. ad 3.)

Nunc proponendæ sunt nonnullæ quæſtiones, ad Legem spectantes, quæ usus carniū tempore jejunii prohibetur.

Quæres 1º. quosnam cibos *carnis* nomine prohibeat Ecclesia.

Resp. hoc nomine intelligi eorum animalium carnem, quæ à piscibus verè distinguuntur: sed multa sunt animalia de quibus disputatur, an piscium generi sint annumeranda. Qua de re hanc regulam statnere solent Doctores, scilicet ad piscium genus revocanda esse animalia, quæ extra aquam diu vivere nequeunt, quales sunt ranæ, conchæ, lutræ; quibus etiam juxta communem exſtimationem junguntur gallinæ aquaticæ. Si verò quædam animalia ita sint ambigua, ut incertum sit an ea comedere tempore jejunii liceat, tunc consulendi sunt Episcopi. Si quædam tolerentur in una diocēſi, & prohibeantur in altera, ab iis abſtinendum est in locis ubi vetita sunt, quia debet unusquisque Ecclesie suæ disciplinam observare. Eadem Lex quæ prohibet ne diebus jejunii quibusdam animalibus vescamur, vetat etiam ne quidquam ex iis comedamus, quæ ad hujusmodi animalia pertinent; qualia sunt sanguis, adeps, jusculum ex eorum carnibus expressum.

Quæres 2º. an mortaliter peccent qui tempore jejunii carnes prohibitas comedunt.

Resp. eos mortaliter peccare, nisi materia levis aut ignorantia excuset. Occurrere enim posse in hoc præcepto, quemadmodum & in aliis, materiam levem communis est Theologorum sententia. Quænam verò carnis prohibita quantitas materiam levem efficiat, ambigitur; alii dimidiam unciam; alii octavam uncie partem &c. pro re

Tom. VI.

G

levi habent: cum autem ea de re statui non possit certa regula, quisquis die jejunii carnem comederit, id tanquam peccatum mortale dubium confiteri debet.

Quæres 3^o. an jejunii Lege teneantur Christiani qui, non propter gravem infirmitatem, sed quia cibi quadragesimales ipsis nocui sunt, licentiam obtinuerunt carnem comedendi.

Resp. hujusmodi Christianos à jejunii Lege exemptum indulgentiores quidam Casuista. *Essentiam* jejunii, inquit, constituit à carnibus abstinencia, quæ proinde sublata, tollitur etiam jejunii præceptum. Sed apage hujusmodi subtilitates, quibus moralem Theologiam evertunt benigniores Casuista. Duo enim complectitur Lex jejunii, nempe abstinentiam à carnibus, & unicam refectionem. Porro ubi Lex plura præscribit, quorum unum sine altero servari potest, ratio naturalis dicitur jubetque impleri partem, quando totum observari non potest. Qui propter urgentem necessitatem die festo licentiam obtinet servilibus operibus vacandi, numquid solvitur audiendæ Missæ præcepto, cum eam audire potest? Qui centum nummos debet, & quingentos tantum potest reddere, numquid ab istorum solutione liber est? Patitur ergo cum Lex jejunii duo præcipiat, nimirum abstinentiam à carnibus, & unicam refectionem, qui unum exequi non valet, alterum debet observare, si non obstat specialis infirmitas. Quinimò qui carnibus vescuntur, ad unicam refectionem strictius obligantur, quia carnes sunt alimentum valentius, stomachum validius roborant, & concupiscentiam cupiditatesque corporeas magis fovent, & adversus spiritum commovent.

PARAGRAPHUS II.

De unica refectione ad jejunium ecclesiasticum requisita.

Ad jejunium requiri ut intra spatium diei naturalis, unica tantum refectione contenti simus, semper persuasum habuit Ecclesia, quamvis illius sumendæ hora vicissitudinis obnoxia fuerit. *Ecclesie moderamine statutum est*, ait S. Thomas, *ut semel in die à jejunantibus comedatur.* (2. 2. q. 147. art. 6. in corp.) Jam à prioribus Ecclesie sæculis obtinuerat consuetudo, ut jejunium ad vesperam usque produceretur: *Quotidiè semel sub noctem reficere corpus* (in diebus jejunii) *est usquequaque usitatissimum*, inquit S. Augustinus. (Lib. 1. de moribus Eccles. cap. 33. n. 70. tom. 1. pag. 711. & 712.) *Vesperam expectas*, ait S. Basilus *ut cibum sumas.* (Homil. 1. de jejun. n. 10.)

Sæculo XII eadem vigeat disciplina, ut patet ex S. Bernardo, jejunium enim monachale à jejunio ecclesiastico in eo distinctum tradit, quod prius horâ nonâ quæ est tertia post meridiem, solveretur; posterius verò nonnisi post vesperam. *Hæcenus*, inquit, *usque ad nonam jejunavimus soli: nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper.* (Serm. 3. de quadrag. n. 1. tom. 1. pag. 819.)

Temporum lapsu immutari cœpit hæc disciplina, ita ut sæculo XIII obtinuerit consuetudo jejunium solvendi horâ nonâ, sive tertiâ post meridiem; cujus rei testis est S. Thomas qui eodem sæculo floruit: *Ut jejunans*, inquit, *aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam.* (2. 2. q. 147. art. 7.) Tandem

temporis decursu jejunium solvi cœptum est hora sexta, sive meridiana. Quæ mutatio ad summum labente sæculo XV & incunte XVI facta est; liquidem S. Antonini ærate qui sæculo XV; nempe anno 1459, obiit, adhuc vigeabat consuetudo jejunium ante horam nonam non solvendi, ut colligitur ex ejus Summa. (2. part. tit. 6. cap. 11. sect. 10.) Ut autem super sit aliquod veteris disciplinae monumentum, & meminerint fideles olim, non nisi post vespertinum Officium, permissam fuisse refectioem, per quadragesimam Vespera: ante refectioem celebrantur.

Quæres 1^o. an potus extra refectioem sumptus frangat jejunium.

Resp. 1^o. Certum videtur prioribus Ecclesie sæculis vinum jejunii tempore interdictum fuisse. In diebus Paschæ, inquit Autor Constitutionum Apostolicarum, *jejunate, incipientes à feria secunda, . . . abstinere tunc autem vino & carne.* (Lib. 5. cap. 18. tom. 1. p. 322. apud Coteler.) Nequaquam diebus quadragesimæ vini poculum suscipimus, ait Theophilus Alexandrinus. (Tom. 5. biblioth. PP. pag. 855. col. 2.) *Jejunamus,* inquit Cyrillus Hierosolymitanus, *vino & carnibus abstinentes.* (Catech. 4. ubi supra.)

Resp. 2^o. Jejunium olim vel ipso potu violabatur, ut variis probat testimoniis Natalis Alexander; (cap. 5. de 3. Decalogi præcepto, art. 7. Reg. 14. tom. 2.) Ex quibus pauca referemus. S. Fructuosus Tarracensis Episcopus, cum duceretur ad martyrium, oblarum sibi potum recusavit, quia jejunii dies erat, & nondum illuxerat hora nona: *Jejunamus,* ait, *recuso potum, nondum nona diem resignat hora, nunquam conviolabo jus licatum.* Ita refert S. Prudentius. (Lib. peri. Stephanon hymn. 6. vers. 54. edit. ad usum. Delph. pag. 188.) S. Ambrosius, vel quisvis autor sermonis de jejuniis & elemosynis, eos qui jejunium

æstivo tempore propter sitim se ferre non posse allegabant, sic redarguit: *Dic mihi, o delicate Christiane, qui æstum solis jejunando ferre non potes, numquid æstus quem sustentaturus es, torrenrior est gehennâ?* (In append. tom. 2. operum S. Ambrosii serm. 40. pag. 443. & 444. edit. BB.)

Resp. 3^o. Prædictam veteris disciplinae severitatem temperavit Ecclesia, nec potum extra refectioem, positis quibusdam conditionibus, interdicit, ut sic docet S. Thomas: *Non intendit Ecclesia interdicare sumptionem potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis sedandam, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem; . . . & ideo licet jejunantibus pluriès bibere.* (2. 2. q. 147. art. 6. ad 2.) Itaque juxta S. Thomam, jejuniorum tempore non licet extra refectioem potum sumere, nisi ad corporis alterationem, nimiamque sitim compescendam, & alimentorum concoctionem juvandam, ne scilicet in stomacho comburantur, ait idem Doctor; (In. 4. dist. 15. q. 3. art. 4. quæstionc. 1. ad 2.) minime verò ad nutriendum corpus & famem propulsandam.

Quantum igitur à mente S. Doctoris absuerunt recentiores quidam Casuista qui vulgari hoc proverbio, *Liquidum non frangit jejunium*, abutentes docuerunt *Licere intra diem jejunii bibere vinum, mustum, cerevisiam, aquas ex herbis, vel ex eodem vino distillatas, etiam de mane, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem jejunii.* Sic Tamburinus, (de præceptis Decalogi, lib. 4. cap. 5. sect. 2. n. 4. edit. in-fol. Lugd. an. 1669. part. 1. pag. 187. col. 2.) Quasi verò non eo spectet jejunii Lex, ut per abstinentiam in cibo & in potu corpus subigat cupiditatumque vim imminuat? quasi verò fidelium auribus non infonarent ista Ecclesie verba: *Carnis terat superbiam potus cibi que parcitas.*

Quæres 2^o. an graviter peccet qui horam solvendo jejuniæ præfixitam quæ, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, est circiter meridiana, notabiliter antevertit.

Resp. eum graviter peccare, nisi legitimam ob causam ita se gerat. Ille jejunium solvit, ait S. Thomas, ac proinde mortaliter peccat, qui Ecclesiæ determinationem non servat; unde cum Ecclesiæ instituit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit. (In 4. distind. 15. q. 3. art. 4. quæstiunc. 3 in corp.)

Quodnam verò temporis intervallum requiritur, ut notabilis sit hæc anticipatio? Eo in capite dissident Auctores: alii quadrantem, alii semihoram, alii horam integram assignant. Postrema hæc sententia magis communis est ac probabilis. Nam hora integra, ex vulgari existimatione, constituit tempus notabile; minime verò quadrantis aut semihoræ breve spatium. Hinc in variis Ordinibus Religiosis & Seminariis obinet consuetudo, ut mediâ ante meridiem horâ prandeatur.

PARAGRAPHUS III.

De Cænula ferotina quæ Collatio vocitari solet.

Collationis nomen apud Monachos piam quamdam lectionem & colloquutionem primam significabat, quæ post cœnam fieri consueverat: post cœnam enim conveniebant Monachi, sacros legabant Codices, & de iis quæ ad spiritualem animæ profectum pertinebant, colloquebantur. Deinde modo vinum, modo aquam bibebant, ad cœnæ quam paulò ante sumplerant concoctionem juvandam, sitimque extinguendam. Ab iis autem collationibus monasticis nomen duxit cænula ferotina, cujus nunc jejuniorum tempore viget usus. Ex multis Scriptoribus colligendum existimat Concina in ferotina collatione nihil cibi sumptum fuisse

quandis stetit consuetudo non nisi horâ nonâ, sive tertîâ post meridiem, jejunium solvendi. Cum autem horâ sextâ, sive meridianâ solvi cœptum est, tunc præter potum aliquid cibi, quanquam parvum, in collatione sumendi data est licentia.

Hanc autem jejuniæ ecclesiasticæ minime adversari, ut calumniantur Lutherani & Calvinistæ, planum est: jejunium quippè ideo nuncupatur ecclesiasticum, quia Ecclesiæ auctoritate institutum approbatumque est, & juxta formam ab eadem Ecclesiæ præscriptam observari debet; hanc verò formam, prout expedire judicaverit, variare potest Ecclesiæ. Hinc solvendi jejunii horam bis mutatam vidimus: quibus mutationibus successit altera, nempe usus modicam cibum vesperè sumendi.

Quæres 1^o. quænam cibi quantitas in collatione ferotina sit licita.

Resp. id non videri certâ regulâ definiti posse: ubique enim & omnibus eadem statui non potest cibi quantitas; sed varia esse debet pro diverso corporum habitu, pro diversis laboribus, pro diversa regionum temperatione, quæ cum sint aliæ aliis frigidiores, plus minùsve alimentorum necessarium habent. Quantitas cibi, inquit S. Thomas, non potuit eadem omnibus taxari, propter diversas corporum complexionones, ex quibus contingit quòd unus majori, alter minori cibo indiget. (2. 2. q. 147. art. 6. ad. 1.) Generatim tamen dici potest eâ quemque cibi quantitate contentum esse debere, quæ sufficiat ad corporis & animæ functiones exercendas, licet cum aliqua molestia quæ à jejuniæ disjungi non potest. Non abs re erit hic advertere S. Carolum unciam tantum panis cum dimidia, & vini populum pro cænula permisisse. (Ad. Eccles. Mediol. part. 5. pag. 812. col. 2. Edit. Mediol. an. 1599.) Quidam verò Casuista, pro suo more, longè benigniores, octo panis un-

cias liberaliter permittunt. Quis autem de sua salute paululum sollicitus, hæc indulgentiâ uti velit?

Quæres 2^o. quinam cibi in collatione ferotina sint permitti.

Resp. juxta communem veramque sententiam, licitum esse modico pane uti cum fructibus, aliisque cibis levioribus, cujusmodi sunt ficus, uvæ vel recentes vel siccæ, oleæ, nuces, poma: ii enim cibi partim nutriunt, & illorum usum innoxiam eadem consuetudo quæ collationem introduxit. Iis adjiciant quidam Casuistæ, numero tamen pauci, pisciculos, ova, lacticiuia: at sententiam hanc improbant, non modo graviore Theologi, verum etiam indulgentiores alii Casuistæ. Unum allegamus Dianam quem austeriore esse nemo suspicabitur: *Affero, inquit, in collatione sub onere peccati mortalis quantitatem licitam non sumi posse in piscibus, ovis, & aliis lacticiuiis, seu cibis substantiâlibus: ... ratio est, quia... nunquam per consuetudinem in collatione introducti sunt cibi, qui communiter ordinantur ad sustentationem, ... ut pisces, ova, legumina, &c. (Tract. 9. de jejun. resol. I. tom. 1. Edit. Lugd. an. 1646. pag. 140. col. 1.)* Ad confirmandam hanc doctrinam multos profert Casuistas, quorum notissima est in moralibus indulgentia, nempe Reginaldum, Filucium, Laymanum, &c.

Quæres 3^o. an licitum sit collationem meridiè sumere, refectione in vesperum dilatâ.

Resp. id licitam non esse citra justam causam, quia sine ratione legitima nemo potest ordinem ab Ecclesia, sive lege, sive consuetudine statutum & firmatum invertere: justâ autem occurrente causâ, nempe urgentis negotii, itineris, concionis, debilitatis, alteriusve rei similis, citra culpam poterit aliquis collationem meridiè sumere, refectione in ferotinum tempus dilatâ. Si enim causa

legitima ab ipsius jejunii observatione excusare potest, multo magis ab illius circumstantia poterit.

ARTICULUS IV.

De iis qui jejunii Lege obstringuntur.

Omnes Christianos quibus est ætas competens, obligat jejunii Lex: *Adest maximum sacratissimumque jejunium*, ait S. Leo, *quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat, quia nemo tam sanctus est, ut non sanctior; nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior. (Serm. 11. de quadrag. cap. 1. tom. 1. pag. 236. Edit. Quænel.)* Præterea rationes propter quas institutum fuit jejunium, ad omnes sive justos, sive non justos pertinent: ii enim omnes corpus subigere, carnem spiritui subicere, & pro decessis præteritis Deo satisfacere tenentur; quæ singula præstat jejunium.

Quæres 1^o. quandonam incipiat ætas jejunio competens.

Resp. juxta S. Thomæ sententiam communi Theologorum consensu firmatam, fideles ad jejunium non obligari, nisi post expletum annum vigesimum primum; juvenes enim, *quandiu sunt in statu augmenti quod est (ut in pluribus) usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad ecclesiasticæ jejunia observanda: conveniens tamen est ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant, plus vel minus secundum modum suæ ætatis. (2. 2. q. 147. art. 4. ad. 2.)* Quamvis autem juvenes ad jejunium obligari vulgò non soleant, nisi expleto tertio septennio, tenentur tamen abstinere à carnibus aliisque cibis vetitis, statim ac rationis usu præditi sunt, quod circa septennium primum contingere, solet & peccant qui cibos prohibitos illis subministrant.

Imò qui ante vigesimum primum annum vegeti sunt & robusti, à parentibus Confessariis ad jejunium inducendi sunt, si non per totam quadragesimam, saltem per duos, tresve in hebdomada dies: ejusmodi enim juvenes tenentur æstuantem, eâ præsertim ætate, concupiscentiam reprimere, rebellemque carnem moderatâ inedia subigere. Præterea certum non est accretionis tempus usque ad annum vigesimum primum pertinere, & maxime verisimile est multos esse juvenes, in quibus natura suum incrementi terminum citius attingat. Hinc patet graviter errare Casuistas, qui à jejunio penitus eximunt juvenes, quibus aliquot horæ vel dies desunt ad explendum vigesimum primum ætatis annum; quasi verò aliquot horæ vel dies magnam corporis constitutioni mutationem afferre valeant? quasi verò hodiè jejunio impar sit, qui post aliquot dies eidem censetur idoneus?

Quæres 2^o, utrum à jejunii Lege soluti sint senes qui annos sexaginta compleverint.

Resp. vi ætatis sexagenariæ solutos esse à jejunii Lege senes, non modo debiles, sed etiam robustos fortesque docent nonnulli Recentiores; sed immerito prorsus. Senes, inquit S. Antoninus, si sunt multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis, ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sunt fortes ad sufferendum jejunium. (2. part. tit. 6. cap. 2. sect. 6.) Septuagenarios non paucos reperias, qui non minus commodè jejunent, quam multi quinquagenarii & quadragenarii; quod exemplo suo confirmant, tum Navarras, (Manual. cap. 22. n. 16.) tum Pontas, (Cas. 18. de jejunio.) Quæ de senibus viris dicimus, ad feminas etiam pertinent, quæ facilius quam viri jejunium tolerant, ut docet experientia.

ARTICULUS V.

De iis qui violandi jejunii occasionem & locum præbent.

Quæres 1^o. an liceat cauponibus, tempore jejunii, spontè cœnam hospitibus ministrare.

Resp. non posse caupones sponte suâ iis hospitibus cœnam ministrare, quos vel certò, vel probabiliter credunt jejunii Lege obligatos. Id enim adversatur tum dilectioni Dei, quæ jubet curare, quantum fieri potest, ne divina majestas vel à nobis, vel ab aliis offendatur; tum dilectioni proximi cujus spiritualem perniciem pro viribus arcere debemus. Quinimò eandem ob rationem caupones, etiam justî, non possunt cœnam parare, cum certò vel probabiliter judicant hospites suos jejunii Lege obstrictos esse. Sicut enim non licet gladium penitenti concedere, quo ipsum prævidemus malè usurum; ita non licet cibos illi ministrare, quem certò vel probabiliter credimus eosdem in jejunii violationem, & animæ suæ perniciem esse adhibiturum. Cum autem peculiare dubitandi causæ non occurrunt, tunc conicere debent caupones hospitibus cœnam postulantis non incumbere jejunandi obligationem; vel quia impransî accedunt, vel quia propter aliam causam excusantur: de proximo enim non quod deterius, sed quod melius est, sentire debemus.

Quæres 2^o. an teneantur patresfamilias curare ut domestici, sive filii, sive famuli, jejunent.

Resp. teneri, quia filiorum & domesticorum curam ac disciplinam ad parentes dominosque pertinere certum est: Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, inquit Apostolus, fide negavit, & est infideli deterior. (1. Tim. 5. v.

8.) *Patres, ... educate illos (filios) in disciplina & correptione Domini. (Ephes. 6. 4.)* Unde colligitur parentibus & dominis curandum esse ut domesticos omnes, sive filii, sive famuli, præcepta rùm divina, tum ecclesiastica observent; debent igitur iis alimenta jejuniis congrua ministrare; debent, si filii vel famuli jejuniis Legem infringant, illos admonere, corripere, increpare, ad implendumque præceptum, cã quã valent autoritate, urgere; quòd si famuli jejunare contumaciter detrectent, è domo pellendi sunt.

Hinc sequitur graviter peccare nonnullos dominos qui, vel famulos ad laborem compellunt, quo jejuniis impediatur; vel nolunt eos conducere, nisi cum pacto ut non jejunent. *Nec illi à peccato immunes sunt*, ait S. Thomas, qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto ut jejuniis solvant, nisi forte sit causa necessaria, quã festinationem operis pro quo laboratur, exposcat. (*In. 4. dist. 15. q. 4. art. 2. ad. 3.*) Ratio est quòd, ex modo dictis, teneantur domini pro viribus curare ut domestici omnes & famuli jejuniis observent; quanto magis igitur debent obstacula non ponere, quã eos à jejuniis abducant?

ARTICULUS VI.

De causis à jejuniis Lege eximentibus.

Tres numerari possunt causæ quæ à jejunandis obligatione liberant; nempe impotentia, labor & melius aliquod pietatis opus. De singulis seorsim agendum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De iis qui propter impotentiam à jejuniis liberi sunt.

Duplex distinguitur servandi alicujus præcepti impotentia; alia *physica*, cum præceptum impleri absolute non potest; alia *moralis*, cum præcepto satisfieri nequit sine gravi quodam detrimento. In utroque illo casu, ut alibi diximus, non obligant Ecclesiæ Leges. Variis autem ex causis nasci potest impotentia moralis,

1º. Alia est quæ ab ætatis imbecillitate oritur, de qua diximus supra.

2º. Alia est quæ provenit ex morbo & languore, ratione cujus à jejuniis immunes sunt, non solum ægroti in lecto decumbentes; sed etiam languidi, convalescentes, & qui ita comparati sunt, ut vacuo stomacho, capitis dolorem aut vertiginem patiantur, vel noctes duceant insomnes. Difficilior tamen vel brevior somnus legitima non foret excusatio, cum jejuniis ad carnem assidendam institutum fuerit, & somno minus indigere pars sit poenitentia: neque etiam excusarentur qui magnam noctis partem, nisi sumptã cenã, dormire nequeunt: huic enim occurrent incommodo si meridie collationem fumant, plenamque refectionem ad vespertinum differant. Quando autem suboritur dubitatio, utrum sit gravis sit infirmitas & debilitas, necne, consulendus est Medicus religiosus, & à Superioribus pro majori securitate postulanda licentia.

3º. Alia est impotentia quæ ex personarum conditione oritur. Sic juxta S. Thomam, à jejuniis Ecclesiæ excusari videntur illi (pauperes) qui frustatim elemosynas mendicant, quique non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat; alii verò pauperes qui possunt habere quod eis sufficiat ad

unam comestionem, non excusantur. (2. 2. q. 147. art. 4. ad. 4.) Suâ pariter conditione excusantur mulieres prægnantes & lactantes; imò debent dimittere jejunium, inquit S. Antoninus, si debilitas impediatur eas, vel si ex hoc timetur de periculo earum, aut abortus, vel defectus alimentum pueri. (2. part. tit. 6. cap. 2. sect. 6.) Si tamen adeo robustæ & validæ forent, ut sine ullo vel sui vel foetus periculo & detrimento jejunium servare possent, tunc non viderentur jejunio prorsus eximendæ. Quàmvis autem prægnantibus & nurricibus permittatur non jejunare, non idcirco licet carnibus vesci, quia ab iis sine periculo possunt abstinere, ut declarat experientia; nisi tamen carnes comedendi tantâ cupidine teneantur, ut iis fraudari nequeant, quin foetus in discrimen adducatur.

PARAGRAPHUS II.

De labore qui à jejunio excusat.

Jejunandi obligationem non tollit quicumque labor, sed ille tantum qui non potest cum jejunio conciliari. Eam ob causam excusantur fabri ferrarii, lignatores, agricolæ, aurigæ, cursores, & alii qui artes verè laboriosas exercent. Si tamen ita robusti sint, ut absque gravi incommodo jejunare valeant, & cibos habeant ad jejunium opportunos, tunc ab eo non sunt immunes. Multum laborantes, inquit S. Antoninus, quibus imminet necessitas... multum laborandi, si non possunt jejunium observare, excusantur; aliàs si possunt utrumque commodè facere, tenentur jejunare. (Part. 2. tit. 6. cap. 2. sect. 6.)

Hinc colliges 1^o. divites qui exercent artes laboriosas, non ex indigentia, sed tantum majoris lucri acquirendi gratiâ, à jejunii Lege non esse liberos. Si operis labor, inquit S. Thomas, commodè differri possit aut diminui absque detrimento

corporalis salutis, ... non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda. (2. 2. q. 147. art. 4. ad. 3.) Solus igitur ille labor excusat qui, vel ad propriam, vel ad familiæ sustentationem necessarius est.

Colliges 2^o. futores, sartores, pictores, sculptores, tonsores, advocatos, scribas, notarios, & alios qui artes exercent quibus non multum debilitantur corporis vires, à jejunii præcepto solutos non esse. Cum tamen omnes non æquè fortes & robusti sint, licet ipsorum artes non magnam exigant corporis contentionem & defatigationem, fieri potest ut propter peculiarem corporis habitum, à jejunandi obligatione excusari possint, quod Superioris, vel prudentis Confessarii judicio permittendum est.

Quæres utrum à jejunio immunes esse debeant qui iter agunt.

Resp. qui iter faciunt, jejunio non esse obnoxios, positis duabus conditionibus. Prima est, ut peregrinario commodè differri non possit, & imminet necessitas statim peregrinandi, ut ait S. Thomas, (Ibid.) Secunda, ut iter corporis vires multum debilitet & atterat: ii proinde soli viatores à jejunii Lege solvuntur, qui labore itineris, inquit idem Doctor, adeo affliguntur, ut simul cum jejunio itinerari non possint. (In. 4. dist. 15. art. 2. quest. 4. ad. 1.)

PARAGRAPHUS III.

De pietatis operibus quæ à jejunii Lege excusant.

Pietatis & caritatis opera justam esse posse omitendi jejunii causam, communis est Theologorum opinio. Tres autem conditiones adhiere necesse est; prima, ut pietatis actus in fraudem jejunii non fiant: si quis enim eos susciperet, ut à jejunio

fese liberaret, is jejuniū præceptum infringeret; secunda, ut ejusmodi opera in aliud tempus differri nequeant, tertia, ut manifestè sint majus bonum quàm jejuniū. Tunc autem de majori bonitate constat, cum aperta est proximi indigentia, quæ nostrâ caritate & pietate sublevari opus habet. Sic excusantur qui per totam vel majorem noctis partem vigilantes, infirmis opem ferunt, & qui in Nosocomiis (gallicè *les Hôpitaux*) agrotis laboriosè suam curam impendant, quando hujusmodi opera cum jejuniō sociare non possunt. Idem de iis sentiendum, qui plures eadē die conciones habent, qui audiend's confessionibus, aliisque piis functionibus, vel totâ die, vel maximâ ejus parte vacant, si in aliud tempus commode rejici non possunt. Hujusmodi homines legitimam habent omittendi jejuniū causam, si laboris magnitudinē cum eorum viribus comparatâ, sustinendo jejuniō sint impares.

Quæres utrū qui ter vel quater in hebdomada concionantur, à jejuniō sint liberi iis diebus, quibus concionandi ministerium non exercent.

Resp. 1^o. Concionatores ob prædicationis quadragesimalis ministerium, non posse carnes comedere. Idcirco Religiosorum Ordinum constitutiones, inquit *Concina*, vulgò decernunt ut Concionatores qui cibis quadragesimalibus vesci non possunt, munus illud abjiciant. Quo pacto eam abstergentiam, jejuniū, poenitentiam laudare valent, qui carnium usum aliis interdictum sibi permittunt, licet ratione Ministerii Apostolici, severiori vitæ instituto sint adstricti? Audiant Apostolum Concionatorum magistrum, dicentem: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* (1. Cor. 9. 27.)

Resp. 2^o. longè molliorem esse Thomæ Sanchez sententiam, qui verbi divini præconem, ter aut

quater in hebdomada concionantem, à jejuniō per totam quadragesimam solum declarat, ut scilicet *conserverent vires, & possit plures quadragesimas prædicare.* (Lib. 5. consil. cap. 1. dub. 13. n. 6.) Ex ea opinione sequeretur artifices etiam qui ter in hebdomada artes laboriosas exercent, per totam quadragesimam à jejuniō Lege esse prorsus exemptos, quod absurdum est. Quisquis Concionator huic Casuistarum opinioni sese accommodaverit, audiat S. Hieronymum sic eum alloquentem: *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat.* (Lib. 2. Epist. famil. Epist. 34. ad Nepotianum, tom. 4. pag. 261.)

ARTICULUS VII.

De jejuniū utilitate.

Varios fructus qui è jejuniō ritè observato percipiuntur, paucis iis verbis exprimit Ecclesia: *Qui corporali jejuniō vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.* 1^o. Quidem ad reprimendam carnis libidinem plurimum valet. *Jejuniā*, inquit S. Leo, *concupiscentiis vincunt.* (Serm. 4. de jejun. dicimī mensis, cap. 2. tom. 1. pag. 128. Edit. Quæsnel.) *Assumit jejuniū*, ait S. Thomas, *ad concupiscentias carnis reprimendas.* (2. 2. q. 147. art. 1.) *Semper enim saturitati juncta est lascivia*, inquit vetus Autor. (Serm. 144. in append. tom. 5. Aug. pag. 255. n. 1.)

2^o. Animum à terrena fece veluti segregatum, ad orationem rerumque cælestium contemplationem erigit. *Jejuniū*, ait S. Chrysostomus, *animæ nostræ alimentum est, leves ei pennas parat*

ut in sublime feratur, & summa contemplari queat. (Homil. 1. in Genes. n. 4. tom. 4. pag. 5. Edit. BB. (Hinc Moyles ad coeleste cum Deo colloquium 40 dierum jejuniis sese præparavit. (Exod. 34.) Hinc per idem temporis spatium jejunans Elias in monte Horeb, ad familiarem cum Deo congressum admittitur. (Lib. 3. Reg. 19.) Hinc demum Paulus Eremita, S. Antonius, aliique multi, id à perpetuis jejuniis assecuti sunt, ut orationi rerumque divinarum meditationi noctu diuque vacarent.

3^o. Jejunium Deum placabilem & propitium efficit divinæque justitiæ pro peccatis satisfaciit : *Iram & offensam ejus jejuniis*, inquit S. Cyprianus, *sicut admonet ipse, placemus.* (Lib. de lapsis, sub finem, pag. 191. Edit. Baluz.) Per jejunium satisfactio Deo, ait S. Basilius, *Ora. 1. de jejun. n. 3. tom. 2. pag. 3. Edit. BB.* Eandem veritatem confirmant innumera exempla. Nonne David, ut Deum sibi iratum placaret, jejuniis animam suam affligebat? *Humiliabam in jejunio animam meam.* (Psal. 34. 13.) Nonne jejunantes Filii Israel cum Samuele Dei vindictam à se depulerunt? (Lib. 1. Reg. 7.) Nonne jejuniis obtinuit impius Achab, ut Deus à malis ipsi denunciatis desisteret? *Jejunavit & dormivit in sacco..... quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus.* (Lib. 3. Regum, 21. v. 27. & 29.) Nonne indicto solemnè generalique jejunio, Ninivitarum divinam justitiam exarmarunt, turæque urbis subversionem averterunt?

4^o. Eam esse jejunii virtutem quæ Dei beneficia impetret, variis tum veteris, tum novi Testamenti locis constat. Jejunii Anna Elcanæ conjux filium, nempe Samuelem, obtinuit, & inane cibo ventrem filio meruit implere, ait Hieronymus contra Jovinianum. Jejunii Sara à demonio liberatur. (Tob. 3.) Jejunii ex Holoferne extrema comminante triumphant Judæi, (Judit. 4.)

Jejuniis Populus Judaicus ab intereptione quam ei paraverat impius Aman, servatus est incolumis. (Esther. 4.) Jejuniis denique eam efficaciam attribuit Christus, quæ valeat demones à corporibus expellere : *Hoc autem genus (demoniorum) non ejicitur, nisi per orationem & jejunium.* (Matth. 17. 20.)

Hinc S. Leo jejunandum esse docet, ut per humilitatem jejunii, contra omnes hostes nostros divinum mereamur auxilium. (Serm. 1. de jejun. septimi mensis, cap. 1. tom. 1. pag. 347. Edit. Quesnel.)

ARTICULUS VIII.

Quanam observari debeant, ut jejunium utile sit Deoque gratum.

Ad percipiendos jejunii fructus, non satis est ut à cibis vitis abstineant Christiani, & unicâ refectioe contenti sint; sed alia sunt observanda, sine quibus sterile nulliusque meriti jejunium erit.

1^o. Quidem jejunii accedere debet à vitis abstinentia. Regulam hanc passim tradunt SS. Patres. Ne jejunii utilitatem, ait S. Basilius, solâ escarum abstinentiâ metiaris: *verum enim jejunium est à vitis esse alienum.* (Serm. 1. de jejun. n. 10.) S. Chrysostomus: *Jejunium dico abstinentiam à vitis.* (Homil. 8. in Genes. n. 5. tom. 4. pag. 62.) S. Leo: *Apostolica institutio 40 dierum jejunii impleatur, non ciborum tantummodò parcitate, sed privatione maximè vitiorum.* (Serm. 43. & quadrag. 6. cap. 2. tom. 1. pag. 222.) S. Bernardus: *Si gula sola peccavit, sola quoque jejuset, & sufficit: si verò peccaverunt & cetera membra, cur non jejurent & ipsa? Jejuset ergo oculus qui deprædatus est animam; jejuset auris, jejuset lingua, jejuset*

manus; sed multò magis jejunet anima ipsa à vitiiis. (*Serm. 3. de quadrages. n. 4. tom. 1. pag. 820.*) S. Antoninus: Nihil prodest jejunare, & alia Religionis opera facere, nisi mens ab iniquitate coerceatur. (*2. part. tit. 6. cap. 11. sect. 8.*)

2º. Parcius utendum est ludis, jocis, venatione, & aliis oblectationibus. An putatis, inquit Autor antiquus, illum jejunare qui surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus sylvasque perlustrat? ... qui ejusmodi es... quamvis, declinante jam sole, manduces, potes videri tardius te refecisse, non tamen Domino jejunasse. (*Serm. 146. in append. tom. 3. Aug. n. 2. pag. 257.*) Nicolaus I, Pontifex Maximus, in responsis ad consulta Bulgarorum, eos hortatur ut per quadragesimam à jocis abstineant: Non enim lamenta, inquit, cum jocis conveniunt, & fallax ac deceptrix lætitia veraces lacrymas producere nescit. (*Cap. 47. tom. 8. Concil. pag. 534.*) Concilium Mediolanense V sic docet: Omni tempore à jocis christianum hominem abstinere convenit; at quadragesimæ ac jejunii tempore, tantò diligentius quantò frequentius orationi, omnique penitentia generi incumbendum est. (*Tom. 15. Concil. pag. 576.*)

3º. Eleemosynam, & quidem solito abundantiorē, jejunii comitem esse debere sexcentis in locis docent SS. Patres. Jejunium sine eleemosynâ omnino non sufficit, inquit S. Cæsarius Arelatensis. (*Tom. 8. Biblioth. PP. pag. 820. col. 2.*) S. Augustinus hortatur ut quadragesimali tempore, exerceamus eleemosynas nostras impensius & frequentius, quia jejunium sine misericordia ei nihil est qui jejuna. (*Tom. 5. pag. 923.*) S. Leo: In distributione eleemosynarum & pauperum cura pinguescant christiana jejunia, & quod suis quisque delictis subtrahit, debilibus impendas & egenis. (*Serm. 11. in quadrag. cap. 6. tom. 1.*

pag. 239.) Erroganda autem eleemosynæ majoriis incumbit obligatio, qui propter infirmam valetudinem, impositam jejunii Legem non possunt exequi, ut scilicet eum penitentia defectum caritatis exercitio compensent. Pro eo quòd non potest (aliquis) jejunare, ait S. Cæsarius, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata quæ non potest jejunando curare, possit eleemosynas dando redimere (*Ubi suprâ.*)





TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

QUEM aggredimur Tractatum quatuor complectimur dissertationibus: prima erit de justitia: secunda, de jure; tertia, de restitutione; quarta, de contractibus. Plurima continet hic Tractatus, quorum cognitio conscientiarum Moderatoribus maximi est momenti.

DISSERTATIO I.

De Justitia.

JUSTITIA, prout hic accipitur, una est è quatuor virtutibus cardinalibus, & definitur: *virtus moralis voluntatem constanter inclinans ad reddendum alteri jus suum, ad æqualitatem.*

Dicitur autem 1^o. *virtus*, nempe habitus rationi consentaneus hominemque perficiens. Quid enim rationi magis congruit, quam alteri reddere quod ipsi debitum est?

2^o. *Moralis*; neque enim est theologica, cum virtutis theologice objectum immediatum sit Deus; justitia autem versetur circa jus alteri reddendum.

3^o. *Constanter inclinans*; quia virtus justitiæ non fita est in proposito alteri quod suum est reddendi in nonnullis tantum occasionebus, sed in omnibus: *Non enim sufficit*, ait S. Thomas, *ad rationem justitiæ, quod aliquis velit ad horam in aliquo negotio servare justitiam; quia vix invenitur aliquis qui velit in omnibus injuste agere; sed requiritur quod homo habeat voluntatem perpetuam & in omnibus justitiam conservandi.* (2. 2. quæst 58. art. 1. ad. 3.)

4^o. *Ad æqualitatem*: quo nomine hic intelligitur accurata rei quæ redditur cum alterius jure mensura. Hinc qui centum nummos suo creditori debitos solvit, servat æqualitatem, quia hæc pecuniæ summa jus creditoris adæquat & exhaurit.

Quæres 1^o. quotuplex sit justitia.

Resp. eam potissimum dividi, in *commutativam, distributivam & vindicativam*. *Commutativa* dirigit commutationes sive contractus, ut in iis perfecta sit æqualitas, inter mercem, v. g. & pretium. *Distributiva* versatur circa distributiones eoque spectat ut communitas vel qui eam refert, debitam servet proportionem inter ea quæ distribuuntur, & conditionem ac meritum personarum quibus fit distributio.

Dux illa justitiæ species non eandem servant proportionem. *Commutativa* enim sequitur proportionem, ut aiunt, *arithmetica*, quæ est *æqualitas rei ad rem*, v. g. mercedis ad laborem, rei restituta ad sublatam, nullâ habitâ ratione dignitatis & meriti personarum; justitia autem *distributiva* servat proportionem quæ dicitur *geometrica*, quâ scilicet in bonis distribuendis habetur ratio conditionis & meriti personarum, & tanto magis tribuitur uni quam alteri, quanto unus dignior est

præ altero. Quapropter si 12 nummos accipiat qui dignus est ut 2, 24 obtinere debet qui dignus est ut 4. Contrà verò in distributione onerum communium, si centum nummos contribuat, qui viginti millia nummorum habet, quinquaginta solum ab eo sunt exigendi, cujus facultas & fortuna sunt mediâ parte breviores.

Justitia vindicativa est virtus quæ reo infligit pœnam ejus culpæ debitam sive parem, juxta illud Scripturæ: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* (Deut. 25. 2.) Hæc justitiæ species diligentè servari debet tum à Principibus, tum à ceteris Superioribus qui ex officio suo & ratione stipendii quod à Republica recipiunt, tenentur non solum communi, sed etiam privatorum bono prospicere, & curare ut eorum qui læsi sunt damnum resarciatur: quod nisi præstiterint, restitutioni sunt obnoxii.

Quæres 2^o. an justitia distributiva sit justitia strictè sumpta.

Resp. non esse justitiam strictè sumptam, quia communitatis membra quibus distribui debet aliquid, in illud jus strictum non habent; id est, quod hujusmodi sit, ut qui illud violaverit, restituere teneatur. Id patet ex beneficiis ecclesiasticis, & officiis sæcularibus: ita quippè dividi possunt, ut qui nullam, vel levem duntaxat partem recipiant, de Superioris distribuente agendi ratione, tanquam strictè injusta, conqueri non possint. Qui enim alieni, modò sit dignus, officium vel beneficium confert, alteri etiam digno quod suum est non aufert.

Annotandum tamen justitiam distributivam sæpiùs intimo nexu devinctam esse commutativæ quæ est justitia strictè sumpta, ita ut qui priorem offendit, posteriorem quoque communi lædat injuriâ, & proinde restituere teneatur. Quo vitio laborant 1^o. qui indignis officia conferunt: tunc enim

enim violant fidelitatem Reipublicæ debitam; siquidem tacitum cum ea pactum inierunt, de non promovendis ad officia indignis; ergo quando promissis suis non stant, justitiam, commutativam simul & distributivam offendunt.

2^o. Qui animo vindictæ ducti, aut leviori examine adhibito, privatos variis oneribus, qualia sunt militum hospitium, annua tributa, opprimunt: jus enim lædunt quod habent privati, ne plus ab iis exigatur, quàm ferunt ipsorum facultates.

3^o. Qui in concursu minùs dignum antefecerunt digniori: Superior enim qui vocat ad concursum, censetur cum variis contententibus pactum facere, de beneficio vel officio ei conferendo qui, omnibus maturè ponderatis, alios vicerit; ex pacto autem nascitur jus strictum; si ergo Superior digniorem posthabeat minùs digno, peccat contra jus dignioris, & justitiam tum commutativam, tum distributivam lædit.

Quæres 3^o. quomodò appelletur peccatum justitiæ distributivæ oppositum.

Resp. illud esse & appellari *personarum acceptiorem*, quæ scilicet in dividendis bonis communitatis, non meritum, sed ipsa persona attenditur; ut si quis Superior, omisis dignioribus, Reipublicæ officia, vel Ecclesiæ beneficia minùs dignis conferat, quia sunt ejus consanguinei, vel amici. Ad peccatum autem *acceptiorem* duo requiruntur; primum, ut qui distribuit, ad illud teneatur ex justitia, quia bona illa quæ dividit, non sua sunt; at Reipublicæ: idcirco personarum acceptio in Deum cadere non potest, etiam si indigniori uberiora gratiæ auxilia largiatur, quia nemini quidquam debet; secundum, ut ad quamdam personæ conditionem attendatur, quæ eum cui datur officium vel beneficium, non efficiat digniorem, nec Reipublicæ vel Ecclesiæ utiliorem.

DISSERTATIO II.

De Jure.

JURIS nomine hic intelligitur legitima, sive à Lege concessa potestas de re, tanquam sua, statuendi, per se efficiens ut nemo, nobis rationaliter invitis, de eadem re possit statuere. Rei autem voce significatur quidquid ad nos pertinere potest.

Duplex distinguitur juris species: aliud dicitur *jus ad rem*, & aliud appellatur *jus in re*. *Jus ad rem* est potestas legitima quam habet aliquis, ut res fiat sua, utque eam obtineat; tale est jus illius cui res vendita fuit, nondum verò tradita. *Jus* illud non dat actionem in rem, sed in personam quæ rem debet tradere; id est, ex eo jure nascitur facultas, non quidem rei occupanda, sed personæ in judicio prosequendæ. *Jus in re* illud est quod habet aliquis in rem jam suam & obtentam. Hæc juris species dat actionem in rem ipsam, quæ vindicari & repeti potest, ubicumque fuerit.

Varia sunt *juris in re* species. Cùm autem singulas persequi non sinat hujus operis brevitatis, & inter eas principem locum teneat *dominium*, de eo solo dicturi sumus duobus in capitibus. In 1^o. de natura, divisione, subjecto & objecto domini; in 2^o. de variis illius acquirendi modis differemus.

CAPUT PRIMUM.

De natura, divisione, subjecto & objecto domini.

DOMINIUM dividitur in plenum, seu perfectum, quod definitur: *Jus de re simul & illius fructibus statuendi*; & in *dominium non plenum*, sive imperfectum quo nempe vel sola rei proprietas, vel solus ejus usus aut usufructus habetur: idcirco *dominium imperfectum duplex etiam distinguitur*; aliud appellatur *directum*, quod solam rei proprietatem includit, sine jure illius fructus percipiendi; aliud dicitur *utile*, quod intra solam rei utilitatem & commoditatem coercetur.

Subjectum domini dicitur quisquis illius est capax. Hic autem queri solet 1^o. utrum Religiosus aliquod conveniat *dominium in bona sive mobilia, sive immobilia*; 2^o. an Clericis comparat *dominium in fructus beneficiorum ecclesiasticorum*; 3^o. an peccatores & inhædes; 4^o. utrum parvuli & amentes sint domini capaces. Primam & secundam questionem abundè tractavimus, cùm de Clericorum officiis & de beneficiis disputatum fuit; superest igitur ut tertiam & quartam breviter exponamus. Peccatores à dominio excludunt Wiclefus & J. Hus, quorum error in Concilio generali Constantiensi proscriptus fuit, ubi damnata est ista propositio: *Nullus est dominus civilis, nullus Episcopus dum est in peccato mortali.* (Sess. 8. tom. 12. Concil. pag. 46.)

PROPOSITIO I.

Peccatores & infideles sunt domini capaces.

Probatur. Pharaon & Nabuchodonosor erant Reges legitimi. Hæc enim dicit Dominus Pharaoni: *Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam.* (Exod. 9. 16.) Daniel Regem Nabuchodonosor sic compellat: *Deus cæli Regnum, & fortitudinem, & Imperium, & gloriam dedit tibi.* (Dan. 2. 37.) Atqui tamen Pharaon & Nabuchodonosor erant peccatores & infideles; ergo, &c. Hinc S. Augustinus: *Deus, inquit, dat felicitatem in Regno cælorum salis piis; Regnum verò terrenum piis & impiis, sicut ei placet cui nihil injusti placet.* (Lib. 5. de civit. Dei, cap. 12.) Præterea si verum dominium peccatoribus & infidelibus non competeret, maxime quia gratia & fides essent radix & origo domini: atqui id falsum est: fundamentum enim domini manifestum esse debet, ut probari possit; gratia verò & fides sunt aliquid latens & in anima reconditum.

Dices, ex Apostolo, *non est potestas, nisi à Deo:* (Rom. 13. 1. atqui peccatores & infideles suam à Deo potestatem non habent, juxta hæc Dei sententiam: *Ipsi regnaverunt, & non ex me.* (Osee 8. 4. Ergo nec vera potestas, nec verum dominium peccatoribus & infidelibus competit.

Resp. Neg. min. Testatur enim Scriptura Deum nonnullis Principibus impiis & infidelibus potestatem & Imperium contulisse, ut de Pharaone & Nabuchodonosor modo retulimus; objecta igitur hæc verba, *ipsi regnaverunt & non ex me*, non eo sensu intelligenda sunt, quòd impii & infideles suam à Deo potestatem suamque Imperium non acceperint; at significant duntaxat hujusmodi Principes, juxta Domini præcepta, & Leges ab eo impositas non regnasse; siquidem statim

subjungitur: *Principes extiterunt, & non cognovi, id est, non approbavi: verbum enim cognoscere non raro in Scripturis idem exprimit ac verbum approbare.*

PROPOSITIO II.

Parvuli & amentes sunt domini capaces.

Probatur. Quanto tempore heres parvulus est, inquit Apollolus, *nihil differt à servo; cum sit omnium dominus.* (Galat. 4. 1.) Atqui heres & dominus sine dominio concipi nequeunt. Præterea parvulis & amentibus injuriam facturum, qui eorum bona invaderet, confitetur omnes: atqui nulla iis fieret injuria, si nullum iis competeret dominium.

Quæres an filii familias verum habeant in quadam bona dominium. Per filios autem familias intelliguntur ii qui sub paterna autoritate sunt constituti.

Ut solvatur hæc questio, notandum est quadruplex esse bonorum genus, quæ à filiis familias haberi possunt, *castrensia* nimirum, *quasi castrensia*, *adventitia* & *profecilia*. *Castrensia* ea sunt quæ à filio in militia justâ, vel illius occasione obtinentur, qualia sunt stipendia militum, prædæ ex hostibus raptæ. *Castrense* etiam dicitur quidquid acquirit filius familias in obsequio & aula Principis, sive ex propria industria, sive ex principis largitione, & quidquid ex iis bonis provenit, ut si ex illis fundum frugiferum comparaverit.

Bona *quasi castrensia* sic appellantur, quia castrensim sibi adjunctum habent privilegium, & quadruplicis sunt generis; nempe *clericale* quod per clericatum acquiritur; *forense* quod in foro obtinetur occasione alicujus officii publici, ut Judicis, Advocati, Tabellarii; *palatinum* quod à Rege aut Regina, vel à supremis Principibus conceditur; *scholasticum* quod à liberalium artium professione suam ducit originem.

Bona adventitia ea dicuntur, quæ à patre non proveniunt; talia sunt quæ filius vel proprio labore, non ex rebus patris, consequitur; vel quæ derivantur ex successione aut donatione; vel quæ fortuito causa obigerunt filio, ut si thesaurum repperit; vel quæ ex propria acquirit industria, ut si ex pecunia sibi mutuo data quidpiam lucri fecerit negotiando.

Bona profectitia sunt quæ filius comparat ex bonis paternis, v. g. ea negotiando vel administrando.

Resp. 10. Jure communi filiusfamilias plenum ac perfectum habeat dominium in bona castrensia, aut quasi castrensia. Ita sapientum à Legibus fuit, tum ut excitarentur ad militiam, tum ut animi dotes & industriam in bonum commune conferrent alacrius: unde sequitur filiosfamilias de hujusmodi bonis proprio arbitrio posse statuere, ea donando, alienando, &c. pater verò, si quid ex his subtrahat, tenetur restituere. 20. Bonorum adventitiorum solam proprietatem, non usumfructum, Leges filiosfamilias concedunt; non possunt igitur de his bonis citra patris consentiam statuere, quia eorum utilitas ad parentem pertinet; præter verò si ea dilabi permiserit, in restituendi obligationem incurrit, quia illorum proprietates penes filium manet: si horum fructus tantum pater dilapidaverit, restitutioni non est obnoxius, quia per legem sui sunt. 30. Bonorum profectitiorum nec usumfructum, nec proprietatem habent filiosfamilias.

Dixi jure communi, quia locorum consuetudines interdum aliter statuunt, ideoque consulenda sunt.

De objecto dominii pauca tantum sunt delibanda. Quæri autem solet; 10. utrum homo vitæ suæ dominium habeat; 20. an aliquis esse possit alterius hominis dominus, sive utrum licita sit servitus.

Resp. 10. Homo vitæ suæ non est dominus: teste enim Scripturâ, solus Deus vitæ & necis summus est arbiter: *Ego occidam, & ego vivere faciam.*

(Deut. 32. v. 39.) *Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* (Sap. 16. 13.) Unde sequitur neminem posse seipsum occidere, quin gravem Deo inferat injuriam, illiusque jura per summum nefas usurpet. Quæstionem hanc fulius exponemus, ubi de virtute fortitudinis.

Resp. 20. non illicitam esse servitutem, ut constat ex Testamento tum veteri, in quo legimus apud Judæos fuisse servos, etiam Israëlitas; (Exod. 21.) tum novo: Apostolus enim hortatur ut *quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* (1. Tim. 6. 1.) *Unusquisque in quâ vocatione vocatus est, in ea permaneat: servus vocatus es? non sit tibi cura.* (1. Cor. 7. 20.) Cum servitus apud nos locum non habeat, varias quæstiones de ea agitari solitas prætermittimus.

C A P U T II.

De variis acquirendi dominii modis.

TRIPLEX est acquirendi dominii modus, scilicet per occupationem, per inventionem & præscriptionem.

ARTICULUS PRIMUS.

De acquisitione dominii per occupationem.

Bona quæ nullius fuerunt, vel quæ nullum censentur habuisse dominum, dicuntur occupari. Talia sunt animalia, gemmæ, venæ metallicæ, &c. De iis quæ precipua sunt exponemus.

Quæres 10. an liceat occupare animalia.

Resp. Animalia ex natura sua domestica & mansueta, ut oves, gallinas, anseres, non licet occupare, quantumvis aberrent; non idcirco enim censetur libertatem suam recuperasse, cum ex natura sua sint mansueta & domestica; prioris ergo sunt domini, nec licet ea retinere si fugerint sed restituenda sunt. Idem sentiendum de animalibus ex natura sua feris & sylvestribus, quales sunt cervi, cuniculi, &c. quæ loco circumsepto coercentur, vel quæ usu mansueta, consuetudinem habeant ex libera vagatione in potestatem domini redeundi, ut columbæ, cervi cicurati, &c. in duplici enim illo casu censetur libertatem naturalem amisisse, ac proinde dominum habent, nec sunt primo occupanti.

Hinc non licet cuniculos aut columbas tuo in agro pascentes occidere, quamvis abigere possis; nec eas illecebris aut fraude tuam in columbarium allicere: habent enim dominum cui id juris inest ut non occidantur, neque sibi rapiantur. Nec obstat quod cuniculi aut columbæ quidpiam damni privati afferant. Cum enim sint Republicæ utiles, illud detrimentum propter bonum commune ferre debent privati. Id oneris videtur eis impositum à Republica, eo ipso quod aliquibus permittat columbarium erigere. His autem qui illo jure potiuntur curandum est, ut suas columbas alant, eo præsertim tempore, quo vicinis agris damnum importarent, nisi ad eos pertineant agri circumpositi.

Eis qui 50 terræ jugera non possident, vetitum est ne columbas fugaces (*fuyards*) habeant. Postulat enim æquitas ut privatus hujusmodi animalia non sibi arroget, quæ in alieno solo vescuntur, nisi ipse fundos possideat, qui vicinorum columbis idem subsidium offerant. Id recens confirmatum fuit senatusconsulto Curie Parisiensis an. 1783, contra Dominam *Carmouche de Francheville* propè Lugdunum, quæ, licet tribus tantum jugeris

terræ arabilis frueretur, ingentem habebat fugacium columbarum multitudinem (*Gazette des Tribunaux, an. 1783, n. 29. scd. 1.*)

Si verò animalia redeundi consuetudinem amiserint, naturalem libertatem censetur recuperasse, & occupanti cedunt; tunc enim nullius sunt, & ratione prioris domini perinde se habent, ac si nunquam fuissent capta, ut avis quæ ex cavea aufugit, vel piscis qui è tuo vivario in fluvium tranzit: ita statuitur in Instit. (*Lib. 2. tit. 1. n. 15.*) Hæcque doctrina in Galliis viget; hinc licitum est alterius columbas retinere, si spontè & citrà fraudem à te adhibitam, sese tuis sociaverint, & consuetudinem exuerint priorem in sedem redeundi.

Quæres 2º. utrum peccent & restituere debeant, qui venantur aut piscantur, quando utrumque vetitum est.

Resp. 1º. Clerici & Religiosi qui proprio in fundo venantur, restitutioni non sunt obnoxii; peccare tamen possent contra regulam quæ id ipsis vetat. 2º. Peccant qui venantur aut piscantur, quando id vetitum est ob utilitatem publicam, ne scilicet feræ, aves, pisces maxima ex parte tollantur, si omnibus pro suo libitu venari aut piscari liberum sit: tunc enim bono communi nocent. In Gallia piscari non licet in rivis minoribus, etiam cum linea piscatoria; jus illud pertinet ad dominos quorum prædia rivi allambunt; in fluviiis autem navigabilibus lineam uti licet, minimè verò retibus, nisi iis qui professione sunt piscatores, & quibus id juris concessum est. 3º. Quisquis venando damnum alteri infert, messem, v. g. devastando, peccat & restituendi Lege obstringitur. Omni jure prohibita est hujusmodi venatio.

Edicto Regio an. 1669 sic prohibetur: *Défensons aux gentils-hommes & autres ayant droit de chasse, de chasser à pied ou à cheval, avec chiens ou oiseaux sur terres ensemencées, depuis que le bled*

fera en tuya; & dans les vignes, depuis le premier jour de Mai, jusqu'après la dépouille, à peine de privation de leur droit de chasse, cinq cents livres d'amende, & de tous dépens, dommages & intérêts envers les propriétaires & usufruitiers.

4^o. Peccat qui in alterius fundo, muris aut sepe circumcluso venatur, invito domino penes quem est jus venationis; tum quia alteri injuriam facit; tum quia sese conjicit in grave periculum, scilicet exilii vel treremium; tum quia hoc genus venatores ita sunt animo comparati, ut nemorum custodes potius occidant, quam arma deponant. Non tenentur tamen animalia enecata restituere, quæ ex uno loco in alium perpetuo transmigrare cum soleant, ut muscicula, coturnices, &c. reipsa nullius sunt domini. His autem qui jus venandi habent cavendum est, ne ferarum nimia multitudo gravissimam agris vicinis perniciem inferat; quod nisi curaverint, ad damnum reparandum tenentur, nisi forte agros incolis cum illo onere diviserint.

Quæres 3^o. cujus sint venæ auri & argenti quæ in terræ visceribus deteguntur.

Resp. eas Jure Gallico ad Regem pertinere, qui damnum solo alieno illatum tenetur compensare. Lapidinæ autem & sodinæ ferri & plumbi cedunt domino fundi cujus sunt pars vel fructus.

ARTICULUS II.

De acquisitione domini per inventionem.

Acquiruntur inventionem thesaurus, res nuper amissa, bona derelicta.

Quæres 1^o. ad quem pertineat thesaurus inventus qui definiti solet: *Vetus quædam depositio pecuniæ cujus non extat memoria, ita ut jam dominum.*

non habeat. Pecuniæ autem nomine etiam significatur aliæ res mobiles, ut gemmæ, vasa aurea, &c.

Resp. in Gallia hæc de thesauris vulgò teneri 2^o. Si thesaurus inventus fuerit in via publica, dimidia pars cedit inventori, altera Regi, aut vicinam Curatoribus, (gallicè *Voyers*.) 2^o. Si in alieno fundo reperitur, in tres partes æquales dividi debet, quarum prima erit inventoris, secunda domini ad quem pertinet fundus, tertia Dynastæ *Seigneur Haut-Justicier*, vel Regis si solus altiore hanc potestatem in loco exerceat. 3^o. Si dominus in proprio fundo thesaurum invenerit, dimidia pars ad inventorem pertinet, & altera erit Dynastæ. Cum tamen variæ consuetudines aliter & aliter de thesauris statuunt, eam quæ in suo loco viget consulere & sequi unusquisque debet.

Quæres 2^o. utrum rei nuper amissæ inventor, in eam dominium acquirat.

Resp. in rem inventam non acquiri dominium, eum verum habeat dominum, licet ignotum; hinc illud S. Augustini effatum: *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.* (*Serm. 179. de verb. Apost. n. 9. tom. 5. pag. 853.*)

Certum est igitur res inventas, si fieri possit, suo domino restituendas esse, qui idcirco diligenter inquirendus est. Si autem detegi nequeat, res inventa pauperibus eroganda erit, aut pios in usus conferenda. Merito enim judicatur hæc esse domini voluntatem, ut res quam recuperare nequit, expendatur modo sibi utiliori; quod sanè fit, cum in pauperum subsidium, aut alios pios usus conferuntur.

Quæres 3^o. quanam sint bona derelicta, & ad quem pertineant.

Resp. ea esse quæ dominus eâ mente abjicit, ut sua esse jam nolit; conferantur autem nolle, si cum

facile possit rem suam recuperare, taceat & negligat: unde sequitur bona naufragorum non habenda esse ut derelicta, cum non sponte, sed naufragii metu ea projecerint; hinc si quis hæc bona è fluctibus extrahat, domino sunt restituenda, deductis tamen sumptibus qui pro hiis ex aqua eripiendis facti sunt. Qui hæc bona sibi retinent, fures esse declaravit Concilium Nannerense an. 1127. Idem dicendum de bonis quæ propter incendium projiciuntur, vel aquarum exundatione auferuntur. Pro derelictis non habenda sunt, quia dominus ea sponte abdicare non censetur.

ARTICULUS III.

De acquisitione dominii per præscriptionem.

Præscriptio, sive, ut aiunt *Leges*, *usucapio* dicitur: *Acquisitio dominii per possessionem tempore à Legibus definito continuatam*. Ad eam quatuor requiruntur, nimirum possessio, titulus, bona fides, tempus legitimum. De singulis agemus, & præterea inquiremus quæ bona præscribi nequeant, & utrum legitimum sit dominium præscriptione acquisitum.

PARAGRAPHUS I.

De possessione & titulo ad præscribendum requisitis.

Quæres 10. quotuplex sit possessio.

Resp. Duplex distinguitur, alia *civilis* quæ scilicet rem aliquam titulo proprietatis possidemus: talis est ea quæ emptione vel successione obtinetur; alia *naturalis* quæ rem possidet aliquis alterius nomine, non verò tanquam dominus; ejusmodi est possessio coloni vel usufructuarii. Ad præscriptionem ne-

cessaria est possessio civilis, nec sufficit naturalis: hinc nunquam præscribunt curator, tutor, colonus, fructuarius, quia non suo, sed alieno nomine possident.

Quæres 20. quid & quotuplex sit titulus.

Resp. *Titulus* est veluti radix unde oritur dominium & jus quodlibet. Tales sunt emptio, donatio, successio, &c. Triplex distinguitur, nempe *verus*, *coloratus* & *præsumptus*. Titulus verus ille est qui reverà subsistit genu, inumque est dominii principium, talis est emptio valida. Titulus *coloratus* dicitur ille qui bonâ fide verus existimatur, quamvis ob latentem aliquem defectum non sit talis: hujusmodi est venditio ab eo facta, qui rei venditæ dominus videbatur, licet revera non fuerit. Titulus *præsumptus* ille est quem jus ob temporis diuturnitatem supponit, quamvis fortè non extiterit.

Quæres 30. utrum ad præscriptionem requiratur titulus, & qualis ille esse debeat.

Resp. Ad præscriptionem necessarius est aliquis titulus: ad eam enim requiritur bona fides, ut infra probabitur: atqui, sublato quolibet titulo, tollitur bona fides. Immerito quippè existimaret aliquis sibi esse rei possidenda jus, si deficeret omnis titulus ex quo jus illud repeti possit.

Non exigitur tamen titulus verus. Ille enim si existeret, h. v. g. res à legitimo domino empta fuisset, tunc opus non esset ad præscriptionem confugere; sufficit igitur titulus apparens, qualis est donatio ab eo facta, qui putabatur rei dominus, quamvis non esset. Titulus ille nec præsumitur, nec supponitur; sed probari debet, cum agitur de præscriptionibus quæ fiunt breviori tempore, trium scilicet, decem aut viginti annorum spatio. In præscriptionibus verò longissimi temporis, quæ non nisi triginta vel quadraginta annis complentur, minime necesse est ut probetur titulus: tam diu-

tuna enim possessio locum habet tituli; & quidem merito, quia verus titulus per tempus adeo longum variis modis petite potuit.

Hæc tamen regula locum non habet erga eum qui titulo hæreditatis bonâ fide rem possidet à defuncto malâ fide possessam. Nunquam enim præscribitur si hæres sit universalis. Ratio est quod hæres ille ita defunctum referat, ut fictione juris una sit cum eo persona. Succedit igitur oneri quod defuncto incumbabat, ut scilicet rem suo domino restitueret; quæ obligatio præscriptionis beneficium excludit. Si tamen hæres universalis compertam non habeat sui auctoris malam fidem, & post diligentem inquisitionem, quadam tantum suspicione pulsatur, tunc præscribere poterit, & bonæ fidei possessor fieri: sua enim ignorantia non juris est, sed facti duntaxat. Ita sentiunt Collator Parisiensis (tom. 3. lib. 2. Confer. 2. Sect. 2.) & Collator Andegavensis (tom. 2. pag. 298. sur les Contrats.)

Longè aliter se habet Legatarius, sive heres particularis, cum enim nec personæ, nec oneribus defuncti succedat, præscribere ei licitum est: sed tempus requisitum à propria, non autem à sui auctoris possessione incipiendo. Sic tamen notat sapientissimus Domat: *Cependant comme les légataires & donataires particuliers acquièrent par un titre lucratif, on peut douter si cette règle les met à couvert pour la conscience. Si l'on suppose que celui qui avoit usurpé un héritage d'un pauvre homme, en ait fait un legs ou une donation à une personne riche, qui, après avoir acquis la prescription dans l'ignorance du vice de son auteur, vienne à découvrir l'usurpation: dans les questions de cette nature..... on doit se déterminer par l'esprit de la Loi fondée sur le bien public, plutôt que par la lettre, qui dans le cas présent paroit blesser la charité; (Loix civiles, tom. 1. liv. 3. tit. 7. sect. 4. art. 19.) Statuit Juenin in caso proposito contra charitatem peccaturum esse, qui non restitueret. (cas de conse. tom.*

1. pag. 140.) Ita etiam sentit Collator Parisiensis. (ubi supra)

PARAGRAPHUS II.

De bona fide ad præscribendam requisita.

Bona fides est judicium prudens, quo persuasum habet aliquis rem quam possidet suam esse, licet fortè non sua sit, ut quandò absque ulla suspitione emptus fuit æquus, quem furivum esse empiror nesciebat. Hæc autem bona fides deesse potest, vel ineunte, vel decurrente præscriptione.

Quæres 10. an bona fides toto præscriptionis tempore necessaria sit.

Resp. eam prorsus necessariam esse, ut constat tum ex secunda regula juris in Sexto: *Possessor mala fidei ullo tempore non præscribit*; tum ex Concilio Lateranensi IV sic pronuntiante: *Synodali judicio definimus ut nulla valeat absque bona fide præscriptio.... Unde oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ.* (Tom. 11. Concil. pag. 192.) Præterea si valerit præscriptio cum mala fide, qui furti crimine laborarent, possent res oblatas & diù possessas retinere: atqui illud adversatur juri naturali, quod vetat ne cui fraus & dolus patrocinetur.

Quæres 20. an possit aliquis præscribere debitum quod minime ignorat, sed quod à creditore non exigitur per totum tempus ad præscriptionem requisitum.

Resp. Illud non posse; non licet enim præscribere cum mala fide: atqui in hujusmodi præscriptione esset mala fides; siquidem cognoscit debitor pecuniam quam debet, esse alterius, nempe creditoris. In foro quidem externo non datur actio adversus debitorem post elapsam præscriptionis tempus, qui ita fuit à Legibus constitutum, ut de postulando quod sibi debitum est unusquisque sollicitus

fit: sed in foro interiori tenetur debitor solvere ob malam suam fidem.

Quæres 3^o. utrum præscriptioni noceat dubium an res quam possidemus aliena sit.

Resp. Ex omnium consensu dubium possessionem præcedit, obstat ne inchoari possit præscriptio, quia stare nequit cum bona fide; siquidem peccat qui rem occupat, de qua dubitat an sit aliena.

Ubi autem agitur de dubio quod possessioni jam inchoatæ supervenit, dissentiant Theologi. Multi putant dubitationem in eo casu nec bonæ fidei, nec præscriptioni obstat, quia ex jure *tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum.* (Decret. part. 2. cap. 5.) Sed inquirunt, qui dubitat utrum res aliena sit, an sua, ignorat se possidere alienum.

Alii verò quibus suffragantur, existimant eum qui merè dubitat an res quam possidet sua sit, necne, eo ipso bonam fidem præscriptioni necessariam amittere; 1^o. quia ad bonam hanc fidem requiritur ut aliquis securè & tranquillè judicet rem quam possidet esse suam; hoc verò judicium cum dubio incerto & ancipite conciliari non potest; 2^o. quia si non liceat possessionem inire cum dubio de quo agitur, cur licitum erit illam cum eodem continuare? cur peccabit aliquis rem occupando, ubi probabiliter dubitat an sit aliena, & non peccabit illam cum eadem dubitationis causa retinendo?

Nec movere debet quod objicitur ex jure: qui enim probabiliter dubitat an possideat alienum, non ignorat se possidere alienum, sed dubiam ea de re conscientiam habet; non potest igitur eodem modo sese gerere, ac ille qui verè ignorat; sicut qui dubitat an mortaliter peccaverit, non sese gerere debet perindè ac ille qui verè nescit se peccasse: sed tenetur confiteri peccatum ut dubium,

Hinc sequitur possessorem cui dubium illud supervenit, non posse præscribere, eumque in foro conscientiæ teneri, elapso præscriptionis tempore, rem ei restituere qui probat se legitimum esse illius dominum.

Quæres 4^o. quis error, quæ ignorantia præscriptionem impediatur.

Resp. 1^o. Certum est præscriptionem in aliquo errore fundari, quo scilicet bonâ fide existimas id esse tuum, quod tuum non est. Duplex autem error distinguitur, alter *juris*, cum legem ipsam aliquis ignorat; alter *facti*, quando lex quidem cognoscitur, sed ignoratur hoc vel illud factum esse legi contrarium; ut si noveris illicitum esse aliquid emere à fure, sed eum à quo quidpiam emisti esse furem nescias.

Resp. 2^o. errorem juris aut facti qui vincit potest, tollere præscriptionem, quia bonam fidem impedit: nemo quippè censetur bonâ fide ignorare id quod novisset, si debitam adhibere voluisset diligentiam. Error autem facti inculpatus, & qui superari nequit, præscriptioni favet nedum noceat, ut patet ex natura præscriptionis quæ semper aliquid erroris supponit. Hinc sic habetur in jure: *In usucapione facti ignorantiam prædesse constat.* (Lib. 22. digest. tit. 6. leg. 14.)

Resp. 3^o. errorem juris, etiam invincibilem, præscriptioni obstat: vis enim præscriptionis ex legum statutis pendet; leges autem non admittunt præscriptionem ignorantia juris, quæcumque sit, fundatam. Sic enim Lex generatim pronuntiat: *Juris ignorantiam in usucapionibus negatur prædesse.* (Ibid. lib. 41. tit. 3. leg. 31.) *Nunquam in usucapionibus juris error possessori prædesse.* (Ibid.)

Responsum illud facile quidem admittunt omnes Theologi quoad forum externum; id est, fatentur in casu de quo agimus, à judice cogendum esse possessorem, ut rem priori domino aut illius hæ-

redibus restituat; etiam post elapsam prescriptionis tempus. Nonnulli autem negant hanc regulam in foro interiori valere: putant scilicet possessorem, nisi iudicis sententiâ cogatur, non teneri priori domino restituere rem quam possidet per temporis spatium ad prescriptionem requisitum. Ratio est, inquit, 1^o. quod Leges idem tantum statuunt ignorantiam juris prescriptioni obstat, quia inesse malam fidem semper conjiciunt & suspicantur; à possessore autem de quo agitur abest mala fides siquidem supponitur invincibili juris ignorantia laborasse; 2^o. quia propter eandem ignorantiam non peccavit, possessionem sive inchoando sive continuando.

Illæ autem rationes levioris sunt momenti. Leges enim malam fidem in his omnibus suspicantur, qui juris regulas quocumque modo violaverint; hujusmodi hominibus negant prescriptionis beneficium, sive in possessione ineunda & continuanda peccaverint, sive non. Ab ea igitur gratia excluduntur, etiam in foro conscientia. In foro enim interiori prescriptionis beneficium his solis competit, in quibus reperiantur conditiones à Legibus sancitæ, maxime cum prescriptio sit juris tantum humani, & priori domino odiosa: atqui in possessore de quo disputatur, deest conditio à Legibus constituta, nempe quod jus violatum non fuerit, ergo, &c.

PARAGRAPHUS III.

De tempore ad prescribendum necessario.

Tempus ad prescriptionem requisitum diversum est, pro rerum prescribendarum diversitate. Aliæ autem sunt mobiles, aliæ immobiles. Mobiles dicuntur quæ loco moveri possunt, ut pecunia; res verò immobiles eæ sunt quæ loco moveri nequeunt, quales sunt ager, domus, &c. Ad eas etiam revocantur census, redditus, jus patrona-

tis, &c. Hæc enim fixa manent in star immobilium. Quædam, licet mobilia, fictione juris reputantur immobiles, ut cuniculi in *garena*, & pisces in vivario.

Res mobiles, etiam Ecclesiæ, post triennium prescribuntur cum titulo; qui si detuerit, requiritur possessio triginta annorum. (*Leg. 3. Cod. de prescrip.*)

In quo consistat titulus ille sic exponit D. Pothier: *Le titre requis pour cette prescription consiste ou dans la reconnaissance du vendeur, donateur, &c. ou dans le témoignage des personnes qui ont connaissance de l'acquisition: car on n'est pas dans l'usage de passer de contrat, ou de faire un acte pour les choses mobilières.*

Bona immobilia vivaforum inter presentes, post decem, & inter absentes, post viginti annos prescribuntur cum titulo; eo deficiente, requiritur triginta anni.

Quinam verò ex jure gallico presentes censentur ita explicat Ferriere: *Parmi nous ceux-ci sont réputés présents, qui demeurent dans un même bailliage ou Sénéchaussée, quoique la chose soit dans un territoire fort éloigné. La proximité des lieux n'empêche pas qu'on ne soit réputé absent pour la prescription de dix ou vingt ans, ainsi ceux qui sont de différens ressorts, & qui ne sont éloignés que de deux ou trois lieues, sont réputés absents à cet égard (ad lib. 2. instit. tit. 6. & in Diction. ad verbum Prescription) aliquem tamen eæ de serapulum his verbis ostendit D. Pothier. Cependant si le domicile d'une des parties, quoique sur une juridiction différente du domicile de l'autre partie, y est enclavé; ou même s'ils ne sont éloignés que d'une ou de deux lieues, j'aurois de la peine à ne pas regarder ce cas, comme celui de la prescription entre présents. (Traité de la prescript. part. 1. chap. 4. art. 1. n. 105.)*

Bona Ecclesiæ Romanæ immobilia prescriptioni

non subjacent, nisi post centum annorum possessionem. Res verò ceterarum Ecclesiarum immobiles post annos quadraginta praescribuntur. Ad Ecclesias revocantur monasteria & publica pauperum domus (les hôpitaux), variae tamen sunt variis in locis ea de re consuetudines.

Quaeres 10. quo sensu dormire praescriptio dicitur.

Resp. Dormire dicitur, quando jam inchoata currere desinit, ita ut suum pergat cursum, cessante causa, propter quam veluti otia batur. Tunc posteriores anni cum prioribus jungantur, non computatis tamen iis per quos fuit suspensa. Docent vulgò Theologi illud evenire, 10. quando is contra quem praescribitur, suis rebus vacare non potest, quales sunt pupillus, mente captus, captivus, & qui propter gerenda regni negotia abest; 20. tempore belli & pestis, quando unius loci incolae in aliud territorium fugiunt, vel jus non dicitur.

Re quidem verà ex jure Romano praescriptio non currebat adversus eos qui propter causam publicam aberant: sed contendunt Jurisperiti nostri privilegium illud non fuisse in Gallia receptum. Constantem opponunt Senatusconsultorum jurisprudentiam. Vide Dunod (*Traité des prescrip. part. I. chap. 2.*) & Dictionarium jurisprudentiae ad verbum *absent*: quo in posteriori opere allegat D. Riolt plurima Senatum decreta (*Arrêts*) data contra viros militares, qui rei bellicae *Adu* vacabant. Observat Dunod id praesertim intelligendum esse de praescriptione 30 annorum.

Quod spectat ad mente captos qui gerendis rebus suis longè minus idonei sunt, quàm pupilli, Lex istos posteriores excipit, non verò priores. Quinetiam declarat id praescribi posse quod ab infanti curatore acquisitum fuit. Respondi cum qui ab altero ex curatoribus fundum furiosè legitime mer-

caretur usucapturum. (*Lib. 27. digest. tit. 10. sed. 3.*) Hujus discriminis istam rationem affert Dunod: *Comme le temps de la pupillarité est fixe, souvent même assez court, il n'y a pas grand inconvénient à arrêter la prescription pendant qu'il dure: mais celui de l'imbecillité est incertain, souvent très-long; ce qui seroit porter préjudice au public, de le soustraire à la prescription. On pourroit suffisamment aux intérêts de l'insensé par le recours au curateur. (ibid. cap. 10.)* Contrariam tamen jurisprudentiam sequitur Senatus Tolosanus. Infantum enim pupillo assimilant in eo casu. Vide Catalan (*tom. 2. liv. 7. chap. 2.*)

Tandem quod pertinet ad belli, pestis aliisque calamitatis publicae tempora, cum lege civili non excipiantur, censet Dunod per ea non suspendi praescriptionem 30 annorum.

Quaeres 20. quandonam interrumpi dicatur praescriptio.

Resp. interrumpi dicitur praescriptio, cum ita cessat, ut si reviviscat, posteriores anni cum prioribus jungi non debeant; ut si quis à rei possessione, etiam per vim ejectus, intra annum non postulet restitui; aut si per actum juridicum in possessione turbetur. Si tamen actor litem non prosequatur, non interrumpitur praescriptio. Qui enim spontè litem deserit, ejus injustitiam censetur agnovisse. Consulendae sunt autem locorum consuetudines, quae non omnes inter se consentiunt in iis quae ad praescriptionem spectant. ®

PARAGRAPHUS IV.

De iis quae praescribi nequeunt.

Praescribi nequeunt, 10. quae publicae utilitati servantur, ut fora, pontes, viae publicae; 20. tributa Principi debita; 30. res sacrae immobiles,

cultui divino consecratae, ut templa; item religiosae, ut coemeteria, quia haec sunt extra commercium: unde alienari non possunt, nisi Episcopi auctoritate ex sacris factae fuerint profanae; 4^o. non praescribitur à laicis jus decimarum, quia ab iis possideri nequeunt; una tamen Ecclesia contra aliam potest decimas praescribere per quadraginta annorum possessionem, quando in eadem Diocesi fixae sunt; alioqui necesse est ut exhibeatur titulus, vel possessio omni hominum memoria antiquior, *inmemorabile*: (*In sexto lib. 2. tit. 13. cap. 1.*) 5^o. fines Provinciae, Episcopatum & Parochiarum, modo spacia fuerint definita, & de limitibus constet; 6^o. res furto ablatae praescribi nequeunt, siue ab ipso fure, siue ab eo qui rem accepit quam ab alio subreptam fuisse noverat: uterque enim mala fide laborat; quinimo Jure Romano res furtivae, nequidem ab eo praescribi poterant, qui eas bona fide à fure comparaverat; (*Lib. 2. Inst. tit. 6. de usucapione.*) In Gallia verò praescribi possunt à possessore bonae fidei; id est, ab illo qui eas accepit à fure, persuasus eum esse legitimum rei dominum.

PARAGRAPHUS V.

Utrum legitimum sit dominium praescriptione acquisitum.

Ad solvendam quaestionem hanc, sit

PROPOSITIO.

Praescriptio bonae fidei verum & legitimum, etiam in foro conscientiae, dominium parit; ita ut quamvis, eà completà, noveris rem fuisse alienam, restituere non tenearis.

Probatur 1^o. Illud dominium in foro tum externo, tum interno, legitimum est, quod trans-

fertur auctoritate Principum, & propter bonum commune: atqui dominium praescriptione acquisitum transfertur auctoritate Principum, per leges nempe ab iis sancitas, & quidem propter bonum commune; ne scilicet incerta semper & dubia sint dominia, si res diu possessas repetere semper liceat; saepe enim legitimi possessores suis spoliarentur bonis, quia validam esse possessionem suam probare non possent, cum antiquarum conventionum instrumenta non raro pereant, falsaque alia pro veris supponi possint. *Bono publico introducta est usucapio, ne diu & ferè semper incerta essent rerum dominia.* (*Lib. 41. Digest. tit. 3. leg. 1.*) Ergo, &c.

Prob. 2^o. Dominium illud in foro conscientiae licitum est, quod approbat jus canonicum: atqui jure canonico approbatur dominium praescriptione acquisitum: in Concilio enim Lateranensi IV superioribus allegato decernitur ut nemo auit rem mala fide possessam praescribere; supponit igitur Concilium rem bona fide possessam licite praescribi; alioqui Fideles monere debuisset possessorem bonae fidei praescribentem, non magis esse in conscientia tutum, quam possessorem male fidei. Hinc S. Thomas, *Si quis praescribat bonae fidei*, inquit, *non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse, post praescriptionem.* (*Quodlib. 12. quaest. 16. art. 24. in corp.*)

Solvuntur obiecta.

Obj. 1^o. Dominium praescriptione comparatum adversatur regulae Juris XXIII, quae vetat ne quis sine culpa puniatur. (*In Sexto, edit. Lugd. 1624. pag. 806. & 807.*) Ergo non est legitimum.

Resp. Neg. ant. Sic enim statuit praefata Juris regula: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*: atqui gravis est causa cur privatis sua res praescriptione auferatur, nempe ratio boni

communis; ne scilicet semper incerta & dubia sint dominia, & ne possessores perpetuo metu exagitentur; ergo dominium præscriptione acquisitum non adversatur objectæ juris regulæ.

Obj. 20. Sic docet Augustinus: *In jure.... tandiù quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quandiù se possidere ignorat alienum; cum verò sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur; tunc justè injustus vocatur.* (Lib. de fide & operib. cap. 7. tom. 6. pag. 170.) Putavit igitur Augustinus, etiã completâ præscriptione, restituendam esse rem quæ alia cognoscitur, nec proindè verum dominium præscriptione conferri.

Resp. Neg. conseq. Hoc unum colligi potest, nempe existimasse Augustinum eum qui malâ fide possidet alienum, meritò dici injustum, quod nemo negaverit; sed qui bonâ fide bonum aliquid præscripsit, non possidet alienum, judice ipso S. Doctore; hanc enim regulam statuit: *Certè hoc alienum non est, quod jure* (id est, legum autoritate) *possidetur.* (Epist. 153. n. 26. tom. 2. pag. 534.) Atqui bonum quod præscriptione acquiritur, *jure possidetur*; ergo juxta S. Doctoris regulam jam non est alienum.

Obj. 30. Non potest aliquis rem, quamvis Judicis sententiâ sibi adjudicatam, retinere, ubi novit eam esse alienam; ergo pariter qui, tempore præscriptionis elapso, cognoscit rem esse alterius, non potest eam sibi retinere.

Resp. Neg. conseq. & parit. Judex enim per sententiã non transfert dominium, sed tantùm declarat ad quem secundum allegata & probata pertineat res de qua litigatur; Lex autem præscriptionis verum transfert dominium, ob varias rationes quæ bonum commune spectant; ergo non valet objecta paritas,

DISSERTATIO III.

De Restitutione.

QUIDQUID de Restitutione dicturi sumus, ad duo capita revocari potest; primum erit de restitutione in genere; secundum de restitutione in specie.

CAPUT PRIMUM.

De Restitutione in genere.

RESTITUTIO generatim definiri potest: *Actus justitiæ commutativæ, quo res aliena redditur, vel damnum injustè illatum compensatur.* Dicitur 1º. *actus justitiæ commutativæ*, quia in restitutione servari debet æqualitas rei ad rem, quod pertinet ad justitiã commutativam, ut jam exposuimus.

Dicitur 2º. *vel damnum injustè illatum compensatur*; hoc enim damnum in causa est cur aliquis minus habeat, quàm habere debuisset; postulat autem justitiã ut quisque id obtineat in quod jus habet, ac proindè ut resarciatur damnum proximo illatum. Hic duo suscipimus expendenda: primum, utrùm necessaria sit restitutio; secundum, quænam sint illius circumstantiæ.

communis; ne scilicet semper incerta & dubia sint dominia, & ne possessores perpetuo metu exagitentur; ergo dominium præscriptione acquisitum non adversatur objectæ juris regulæ.

Obj. 20. Sic docet Augustinus: *In jure.... tandiù quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quandiù se possidere ignorat alienum; cum verò sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur; tunc justè injustus vocatur.* (Lib. de fide & operib. cap. 7. tom. 6. pag. 170.) Putavit igitur Augustinus, etiã completâ præscriptione, restituendam esse rem quæ alia cognoscitur, nec proindè verum dominium præscriptione conferri.

Resp. Neg. conseq. Hoc unum colligi potest, nempe existimasse Augustinum eum qui malâ fide possidet alienum, meritò dici injustum, quod nemo negaverit; sed qui bonâ fide bonum aliquid præscripsit, non possidet alienum, judice ipso S. Doctore; hanc enim regulam statuit: *Certè hoc alienum non est, quod jure* (id est, legum autoritate) *possidetur.* (Epist. 153. n. 26. tom. 2. pag. 534.) Atqui bonum quod præscriptione acquiritur, *jure possidetur*; ergo juxta S. Doctoris regulam jam non est alienum.

Obj. 30. Non potest aliquis rem, quamvis Judicis sententiâ sibi adjudicatam, retinere, ubi novit eam esse alienam; ergo pariter qui, tempore præscriptionis elapso, cognoscit rem esse alterius, non potest eam sibi retinere.

Resp. Neg. conseq. & parit. Judex enim per sententiã non transfert dominium, sed tantùm declarat ad quem secundum allegata & probata pertineat res de qua litigatur; Lex autem præscriptionis verum transfert dominium, ob varias rationes quæ bonum commune spectant; ergo non valet objecta paritas,

DISSERTATIO III.

De Restitutione.

QUIDQUID de Restitutione dicturi sumus, ad duo capita revocari potest; primum erit de restitutione in genere; secundum de restitutione in specie.

CAPUT PRIMUM.

De Restitutione in genere.

RESTITUTIO generatim definiri potest: *Actus justitiæ commutativæ, quo res aliena redditur, vel damnum injustè illatum compensatur.* Dicitur 1^o. *actus justitiæ commutativæ*, quia in restitutione servari debet æqualitas rei ad rem, quod pertinet ad justitiã commutativam, ut jam exposuimus.

Dicitur 2^o. *vel damnum injustè illatum compensatur*; hoc enim damnum in causa est cur aliquis minus habeat, quàm habere debuisset; postulat autem justitiã ut quisque id obtineat in quod jus habet, ac proindè ut refarciatur damnum proximo illatum. Hic duo suscipimus expendenda: primum, utrùm necessaria sit restitutio; secundum, quænam sint illius circumstantiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum necessaria sit Restitutio.

Huic quæstioni ut fiat satis, sit

PROPOSITIO.

Restitutio in re aut in voto necessaria est ad salutem.

Prob. 1^o. ex Scriptura. Sic jubet Christus: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* (Matth. 22. 21.) Porro in præsentī materia eadem esse debet ceterorum hominum conditio, ac Principum; siquidem alii homines non minus sunt propriorum honorum domini, quàm Principes, rerum quæ ad ipsos pertinent: atqui præcipit Christus ut Principibus reddatur quod ipsis debitum est; ergo eandem erga ceteros homines obligationem imponit; nemo autem salvus esse potest, nisi Christi mandata servaverit, ac proinde nisi restituerit quod alienum est.

Præterea sic imperat Apostolus: *Reddite ergo omnibus debita.* (Rom. 13. 7.) Sed qui bonum alterius retinet, sit ejus debitor; ergo tenetur ipsi restituere. Denique ita pronuntiat Deus: *Impius si egerit penitentiam rapinamque reddiderit, vitâ vivet & non morietur.* (Ezech. 33 v. 14. 15.) Atqui inde facile est colligere eum morte æternâ plectendum esse, qui rem alienam non reddiderit; ergo, &c.

Prob. 2^o. ex Augustino; *Si res aliena, cum reddi possit, non redditur, penitentia non agitur, sed fingitur; non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum.* (Ep. 153, ad Macedonium, n. 20. tom. 2. pag. 532.) Ad salutem profectò requiritur vera penitentia, & peccatorum remissio: atqui sine restitutione rei ablatæ, nec vera est penitentia,

nec remissio peccatorum, teste Augustino; ergo nec salus.

Prob. 3^o. ratione. Qui voluntariè peccat contra primaria Legis naturalis principia, salutem obtinere non potest, quandiù in hoc statu versatur; sed qui rem alienam non restituit, voluntariè peccat contra primaria Legis naturalis principia, nempe ista: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; suum cuique reddendum est*, ut satis patet; ergo, &c. Præterea restitutionis omissio quoddam est furtum; est enim continuata rei alienæ usurpatio: atqui fur salvus esse non potest, quandiù rem alienam retinet; ergo nec qui eam restituere detrectat.

Dicimus necessariam esse restitutionem *in re aut in voto*; satis est enim ei qui restituere non potest, ut sincerum habeat id præstandi consilium, cum poterit.

Ex dictis colligendum est negandam esse absolutionem, 1^o. pœnitentibus restitutione obnoxiiis, qui non habent firmum restituendi propositum: quod abesse prudenter judicatur, cum nihil curant facultatem restituendi sibi comparare, superfluas, v. g. in ludo, in mensa, in equis, curribus & famulis impensas refecando, & quidquid ad sustinendam conditionem suam prorsus necessarium non est. Qui enim sincerè vult finem, adhibet instrumenta sine quibus finis ille obtineri non potest.

2^o. Illis qui, urgente mortis periculo, dum possunt per se restitutionem exequi, curam hanc hæredibus committunt. Ii quippè *non habent*, ait Dominicus Soto, *sincerum & candidum animum restituendi*: qui enim tunc non restituant, *judicium apertum perhibent, quòd nunquam, si vixerint, restituent*: atque aded restituendi intentio illis non est, nisi conditionalis, si moriantur; quæ profectò ad penitentiam non sufficit. (De justitia & jure, lib. 4. q. 7. art. 4.) Hæc regula erga eos maxime servanda est, qui cum in sacro pœnitentiæ tribunali resti-

tuturos se promiserint, id tamen non præstiterunt. Sic enim datam fidem violando, satis probant sibi non adesse efficacem restituendi voluntatem. *Caveant Confessores*, inquit prima Synodus Mediolanensis, *ne ante debitam satisfactionem illos absolvant, quibus cum facultas adsit aliena restituendi... illisque, ut id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt, exceptis iis qui periculose agrotant, quos tamen moneant ut quod debent, quam primum persolvant.* (Acta Eccl. Mediol. tom. 1. pag. 2. edit. Lugd. an. 1683).

3°. Illis qui tori solvendo pares, nonnisi partem restitunt, sub eo prætextu quod dominus, ut potè dives, nihil detrimenti ex hac cunctatione patiat; eo liquidem ipso peccat aliquis, quod alienum retineat, sive dominus inde aliquid damni ferat, sive non: crescit tamen peccati gravitas, crescente damno proximi.

Solvuntur objecta.

Objic. 1°. Non tenetur rem alienam restituere, qui eam habet, domino consentiente, aut peperam invito: atqui dominus consentit, aut consentire debet ut res sibi ablata retineatur à fure; alioqui rem temporalem anteponeret æternæ alterius salutis quæ periclitabitur, nisi dominus consentiat ut fur rem, tanquam suam, retineat; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Si enim piam hanc subtilitatem, si novum illud caritatis genus semel admisseris, nulla prorsus erunt furta, cum centeri debeat dominus rebus suis cedere, quoties alter furari voluerit; quod absurdum est: tenemur quidem spirituali bono proximi posthabere rem nostram temporalem, quando in extrema vel gravi necessitate versatur, ex qua liberari non potest, nisi boni nostri temporalis cessione: cum verò aliquis animæ periculum propriâ tantum voluntate subit, ut in casu de quo agitur, tali necessitate

minimè laborat; abstinere enim potest à bono alieno, vel auferendo vel retinendo.

Obj. 2°. Rachel patris sui idola subripuit; (Genes. 31. 32.) David oves & boves abstulit: (Lib. 1. Reg. 27. 9.) attamen nec Rachel, nec David restituisse narrantur; ergo non tanta est restitutionis necessitas.

Resp. 1°. Nec sanctum fuit quidquid à viris sanètis gestum est, nec Litteris sacris consignatum quidquid poenitentia egerunt; fieri ergo potuit ut restituerint, licet factum illud taceat Scriptura. 2°. Quod spectat ad Rachelem, eam furti domestici accusant multi, hancque fuisse ipsius Jacob mentem colligi potest ex istis ad Laban verbis: *Apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* (Ibid.) Alii verò putant potuisse Rachelem idola Laban jure compensationis auferre, quia filias suas dote ipsis debitâ fraudaverat, ut sic conqueruntur: *Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?* (Ibid. v. 15.) 3°. Abstulit quidem David oves & boves, sed iis quos Deus occidi jusserat; si autem iis vitam, quanto magis bona auferre potuit?

ARTICULUS II.

De circumstantiis Restitutionis.

Novem vulgò recensentur his verbis expressæ:

Quis, quid restituat, quantum, cui, quomodo, quando; Quo ordine, quo loco, quæ causa excuset iniquum.

Varias illas restitutionis circumstantias quinque in paragraphis prosequemur.

PARAGRAPHUS I.

Quis, quid, & quantum restituere teneatur.

Restitutioni obnoxios esse constat, tñm eos qui rem alienam possident, sive bonã, sive malã, sive dubiã fide: tñm eos qui alterius damno ex aliqua parte contulerint. De singulis agendum est.

SECTIO I. *Quid restituere debeat qui rem alienam bonã fide possidet.*

Possessor bonæ fidei dicitur qui rem alienam possidet, quam suam esse sine fraude & dolo putat.

Not. 1°. triplicis generis fructus distingui, nempe *naturales*, *merè industriales* & *mixtos*. Naturales ii sunt qui naturã solã, aut ferè solã procreantur, ut scœnum, fructus arborum. *Merè industriales* dicuntur illi qui per solam hominis industriam ex aliqua re percipiuntur, quæ ex natura sua est sterilis. Hujusmodi est lucrum quod provenit ex pecunia negotiationi exposita, vel ex instrumenti cujusdam usu inter periti artificis manus.

Fructus mixti vocantur ii qui partim à natura & partim ab arte & industria prodeunt; cujusmodi sunt vinum, frumentum & alia quæ ex cultoris laboribus proveniunt.

Not. 2°. Omnibus in confesso esse, bonæ fidei possessorem, ubi primùm cognovit rem esse alienam, ad eam restituendam teneri. Illud enim statim restitui debet, quod sine injustitia retineri nequit: atqui res aliena, ut talis cognita, non potest citra injustitiam retineri; siquidem ex trito axiomate, *res aliena semper clamat pro domino*, ipsique obstricta est; ergo, &c.

Apud omnes pariter constat possessorem bonæ

fidei non teneri ad restituendos fructus *merè industriales*; sui enim sunt, cùm ex ejus labore & industria prodierint. Sic qui alterius instrumento usus est, ad elaborandum opus aliquod artificiale, opus istud sibi retinere potest. Qui etiam ex aliena pecunia, mercaturam, v. g. exercendo, aliquid lucri fecit, ad istud restituendum non adstringitur.

Utrùm verò teneatur bonæ fidei possessor fructus naturales & mixtos reddere, apud omnes non convenit.

Quæres 1°. quid ea de re statuat jus romanum.

Resp. jure romano non teneri possessorem bonæ fidei, ad illorum fructuum restitutionem, quos percepit ad primam usque domini petitionem, & qui eo tempore consumpti sunt. *Si quis à non domino, quem dominum esse crediderit, bonã fidei fundum emerit, vel ex donatione, aliãve quãlibet justã causã, atque bonã fide acceperit, naturali ratione placuit fructus quos percepit, ejus esse pro cultura & cura, & idè, si postea dominus supervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non posse.* (Lib. 2. instit. tit. 1. leg. 35).

Nec putaveris per istas voces, *pro cultura & cura*, jus possessoris bonæ fidei coerceri intra fructus qui dicuntur *industriales*. Fructus enim qui vocantur *naturales*, aliquid etiam curæ & laboris plus minùsve exigant, omnem prætereà ea de re dubitationem removere debet Digestorum (*du Digeste*) lex quæ quodlibet fructuum genus complectitur: sic enim habet: *Bonã fidei emptor non dubiè, percipiendo fructus, etiam ex aliena re, suos interim facit; non tantùm eos qui diligentia & operã ejus provenerunt, sed omnes; quia quod ad fructus attinet, loco domini penè est.* (Lib. 41. tit. 1. leg. 48.) Vide peritissimum juris tñm romani, tñm galliç

interpretem D. Pothier. (*Traité du droit de propriété, part. 2. chap. 1. art. 5. sect. 3. n. 337. item in Pandect. tom. 1. liv. 22. tit. 2. sect. 1. n. 4.*)

Leges illæ Romanæ eos tantum fructus spectabant, qui consumpti erant, quo tempore rem suam verus dominus repetebat. Mentem hanc aperte indicat ista institutionum clausula: *De fructibus consumptis agere non potest dominus.* Quapropter declarat alia lex fructus extantes, cum suam rem dominus sibi vindicat, restituendos esse. *Certum est malæ fidei possessores, omnes fructus solvere cum ipsa re præstare, bonæ fidei verò extantes.* (*Lib. 3. Cod. tit. 32. leg. 22.*) Id autem non intelligendum est de iis fructibus, quos trium annorum spatio retinuerat bonæ fidei possessor. Res enim mobiles, quales sunt fructus extantes, post trium annorum possessionem præscribuntur.

Hæc distinctio quam inter fructus consumptos & fructus extantes instituit jus romanum, à jure canonico fuit adoptata. Id patet ex glossa (*la glose*) Decretalium: *Bonæ fidei possessor tenetur restituere tantum (fructus) extantes ante litem contestatam, & non consumptos.* (*Decretal. lib. 2. c. 13. cap. 12.*)

Quæres. 2o. quænam sint juris gallici circa materiam hanc principia.

Resp. inter juris gallici & juris romani principia, illud tantum esse discriminis, quod apud nos verus dominus sibi vindicare non possit fructus à bonæ fidei possessore perceptos ante primam fundi repetitionem, etiam si apud eum adhuc extarent, sive in pretio, (*en valeur*) sive in natura; itaque in Gallia locum non habet juris romani distinctio inter fructus naturales & *industriales*, inter fructus consumptos & extantes. Senatusconsultorum Jurisprudencia nunquam bonæ fidei possessorem ad restituendos cujuscumque generis fructus condemnat, nisi ex ipso petitionis die.

Quamobrem docent insigniores juris gallici interpretes, non teneri hujusmodi possessorem ad restitutionem fructuum quibus potitus est, dum flaret bona fides; & jacturam quam patitur dominus, casum esse fortuitum, quem huic possessori imputare non potest. Ita *Domat*; (*Tom. 1. part. 2. liv. 3. tit. 5. sect. 3. n. 5. & tit. 7. sect. 3. n. 5.*) ita etiam *Pothier*. (*Traité du droit de propriété, part. 2. ch. 1. art. 5. §. 4. n. 341.*)

Nonnulli quidem Jurisconsulti aliter sentiunt: *Despeisses*, v. g. censet possessorem, si ditior factus fuerit ex fructibus ante petitionem (*avant la demande du propriétaire*) perceptis, restitutioni esse obnoxium. (*Tom. 2. part. 3. sect. 1. n. 13. pag. 406.*) *Fromental* contendit possessorem ad restituendum cogi posse à petitore, si ille probaverit priorem apud se habere fructus extantes, vel ex iis pecuniæ capita (*des capitaux*) conflasset; (*décisions de Droit, art. possesseur*) at privaræ sunt opiniones quas reprobat Jurisprudencia; nullius proinde momenti sunt.

Quæres 3o. an fructus quos bonæ fidei possessor ante petitionem domini percepit, ad eum pertineant, & utrum illos restituere in foro conscientie teneatur.

Resp. bonæ fidei possessorem fructus illos ita suos facere, ut restitutioni, etiam in foro conscientie, non sit obnoxius. Hic enim valent rationes quibus probari solet, verum domini titulum præscriptione conferri. Bona scilicet nostra non possidemus, nisi legum autoritate. Ipsorum est conditiones & formulas præscribere, ex quibus pendeat legitima eorum acquisitio. Si verò illas servaverimus, si leges istæ nihil habeant ab æquitate alienum, si ad bonum publicam spectent: tunc conscientia in tuto est, nec dubitare licet quin bonorum quæ nobis adjudicant legitimi simus domini: atqui illi characteres sese produunt in lege,

quæ apud nos possessori omnes fructus adscribit, quos percepit quandiù stetit bona fides.

1^o. Quidem propter bonum publicum constituta fuit. Si enim bonæ fidei possessor teneatur restituere fructus apud se extantes; vel si ubi consumpti fuerint, reddere debeat id omne quo per eos ditior factus est, quot inde lites, quot disceptationes pullulabunt! licitum sibi crederet petitor in omnia possessoris bona curiosius inquirere, & minutatim expendere quænam esset illius conditio, priusquam rem alienam acquireret; quinam sit illius status, quo tempore rem suam dominus repetit; utrum fortem suam fecerit meliorem, & in quo consistat nova hæc fortunæ accessio. Quis verò non videat quanta diffidia, quanta perturbationes ex iis disceptationibus scaturirent? Atqui gravibus illis incommodis occurritur per legem de qua hic agitur; ad bonum igitur publicum spectat.

2^o. Nihil habet quod justitiam offendat. Exigit quidem justitia ut restituamus quidquid ad nos minime pertinet: sed leges ex quibus pendet legitima quæcumque acquisitio, possessori omnes fructus attribuunt, quibus potius est per totum bonæ fidei tempus, sicut ad nos transferunt earum rerum dominium, quas possedimus per temporis spatium ad præscriptionem requisitum. Præterea notant Jurisconsulti damnium quod patitur dominus, habendum esse veluti casum fortuitum qui possessori in culpam verti non potest; si possessor fundi curam abjecisset, fructus perituros fuisse, nullus enim penè est, qui sine hominis industria & labore fructus ferat; tandem rem domino utilissimam fecisse bonæ fidei possessorem, dum suis curis fundum ipsi in meliori statu servavit, quàm si incultus fuisset & derelictus; ergo 2^o. nihil injusti habet lex quæ possessori omnes fructus adjudicat, quos, perseverante bonâ fide, percepit; ergo possessor ille eorum fructuum ita legitimus

sit dominus, ut ipsos, nequidem in foro conscientiæ, teneatur restituere.

Dices: Ubi leges possessori bonæ fidei fructus quibus potius est adscribunt, conjectant eos ita fuisse consumptos, ut locupletior factus non fuerit; ergo si fructus adhuc extant, vel si ex iis ditior evaserit possessor, tenetur in foro interno eos restituere.

Resp. 1^o. mentem hanc neque in legibus, neque in Senatusconsultis exprimi; sed generatim ab iis pronuntiarum fructus, de quibus agitur, ad possessorem bonæ fidei pertinere: quâ in re ed tantum spectasse videtur Juris prudentia, ut bono publico, civiumque tranquillitati consulere.

Resp. 2^o. etiam concederetur prædictâ conjectatione (*présomption*) nisi Tribunalium judicia, nihil inde adversus nostram sententiam inferri posse, propter rationem quam alia materia sic adhibet *Juenin*: *Les Loix qui sont fondées sur la présomption d'une chose, ne laissent pas d'avoir lieu, quoique en certains cas extraordinaires cette chose ne se trouve pas. Car elles n'ont pas égard à ce qui peut arriver extraordinairement, & comme par accident, mais à ce qui arrive ordinairement; & elles veulent pour le bien public, que les cas extraordinaires soient compris dans les règles générales qu'elles prescrivent. Ainsi quand on supposeroit qu'il n'y a point eu de fraude dans un testament, où les formalités requises ont manqué, la Loi qui annulle ces sortes de testamens, veut que celui dont il s'agit soit annullé, parce que le bien public y est intéressé.* (*Résolutions des cas de conscience, tom. I. p. 133.*)

Quæres 40. utrum possit bonæ fidei possessor deducere omnes expensas in re aliena positas.

Antequàm respondeatur, prænotandum est impensas triplicis esse generis; 1^o. aliæ sunt *necessariæ* quas factas oportuit, ne res aut periret aut deterior fieret, ut si adificium jamjam collapsurum

reparaveris; 2^o. aliæ sunt utiles quæ rem faciunt meliorem, illiusque redditum augent; 3^o. aliæ dicuntur voluptariæ, quibus res ornatur, fitque magis delectabilis, sed unde non crescit redditus: tales sunt aquæ salientes, picturæ. His præmissis,

Resp. 1^o. Potest bonæ fidei possessor deducere impensas necessarias & utiles, easque compensare debet dominus, siquidem in ipsius utilitatem veruntur. Si verò impensæ utiles domini facultates excedant, quid agendum erit? Ex una parte non debet dominus cum damno possessoris frui meliore sui fundi statu, quem alter suis sumptibus fecit ditiozem; ex altera parte æquum non est dominum suâ re præiudicari, quia non potest impensas à possessore bonæ fidei factas refundere. Utriusque commoda conciliandi modum sic proponit D. Pothier: *Il me paroît dans ce cas qu'on peut concilier les intérêts des parties, en permettant au propriétaire de rentrer dans son héritage, sous condition de payer au possesseur une certaine rente prélevée chaque année sur les premiers revenus, jusqu'à fin de paiement.* (Traité du droit de propriété, part. 2. chap. 1. art. 6. n. 347.)

Resp. 2^o. A possessore bonæ fidei deduci posse impensas voluptarias, quæ sine rei detrimento auferri queunt: sic qui villam alienam tabellis & statuis instruxit, eas potest repetere; si verò ita cohareant fundo, ut sine illius gravi damno nequeant disjungi, hanc jacturam ferre debet. Non tenetur enim dominus impensas solius voluptatis causâ factas, & à quibus ipse abstinuisset, solvere. Monet tamen clarissimus Domat postulare quamdam æquitatem, ut ejusmodi impensarum, si fieri potest, ratio habeatur.

SECTIO II. De possessoribus malæ & dubiæ fidei.

Quæres 1^o. quisnam censeatur malæ fidei possessor, & quid restituere debeat.

Resp. Malæ fidei possessor dicitur ille qui sibi rem detinet, quam non esse suam aut cognoscit, aut cognoscere potest debitam adhibendo diligentiam. Tenetur 1^o. rem alienam restituere, si adhuc extet, quia *res clamat pro domino*: duas tamen exceptiones apponit Collator Parisiensis; nimirum si nequeat possessor rem in individuo restituere, quin infametur, vel grave damnum patiat, & dominus nihil detrimenti ferat, pretium duntaxat rei accipiendo. In duplici hoc casu potest, illas conscientiam, possessor rem ipsam non reddere, & contra caritatem peccaret dominus, si pretium rei æquale accipere nollet. (Tom. 3. liv. 3. Conf. 1. §. 1.) Quo pacto æstimari debeat rei valor, sic exponit idem scriptor: *Cette valeur s'estime sur le prix moyen qu'avoient les choses de la même espèce au temps qu'elle a été prise, si c'est à un marchand qu'on l'a enlevée, quand même ce prix auroit diminué depuis: mais si c'est à un particulier qui l'auroit gardée, n'étant pas dans le cas de commercer sur ces sortes de choses, la restitution doit s'en faire sur le prix actuel, s'il est plus fort qu'au temps de l'enlèvement, ce qui est fondé sur ce principe: Res domino suo crescit.* (Ibid. §. 2.)

2^o. Compensare debet & damnum emergens domino & lucrum cessans, cum iniqua sit utriusque causa. Itaque si dominus ob injustam rei suæ privationem, coactus fuerit pecuniam cum fœnore mutuari ad vivendum, ad solvenda debita, vel domos reparandas; si necesse fuerit ut honorum suorum partem villiori pretio venderet; si mercatori subrepta sit pecunia commercio destinata;

unde aliquid lucri fecisset; damna hæc omnia resarcire debet injustus possessor.

3^o. Ab eo restituendi sunt omnes rei alienæ fructus. Ita sancitum est Lege Romanâ apud nos receptâ. *Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsâ re præstare.* (Lib. 3. Cod. tit. 32. lege 22.) Quinimò tenetur ad compensandos fructus qui ab eo percepti non fuerunt, sed quos dominus collegisset, fundum suum, ut par est, excolendo. *Generatim, olim de fructibus æstimandis quæritur, constat animadvertit debere, non an malæ fidei possessor fructurus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset.* (Lib. 6. digest. tit. 1. leg. 62.) Ea lex ex jure civili in jus canonicum transit. *Non tantum fructus perceptos, sed quos, si iis possidere licuisset, possessores veteres percepissent.* (Lib. 2. decretal. tit. 13. cap. 12.) Ab omnibus etiam Theologis, post S. Thomam, recepta est: *Tenetur ad restituendos fructus, non solum perceptos; sed etiam eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti.* (2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 3.) Si tamen noverit verus dominus à se percipiendum non fuisse redditum illo uberiorem, quo fructus est malæ fidei possessor, fructibus perceptis contentus esse debet, nec eos exigere qui ex majori diligentia provenire potuissent. Ceterum ista est circa materiam hanc regula generalis, inquit *Domat*, ut scilicet iniquus possessor eorum fructuum valorem restituat, quos bonus paterfamilias percepisset. (tom. 1. part. 1. lib. 3. tit. 3. sect. 3. art. 14.) Potest tamen sui laboris, suæque industriæ præmium deducere, & impensas quas in excolendo fundo posuit: eas quippe fecisset legitimus dominus, ut ex sua re fructus perciperet.

Quæres 2^o. quisnam habeatur ut possessor dubiæ fidei, & quid ab eo restituendum sit.

Resp. possessor dubiæ fidei ille est qui, vel acquisivit rem de qua dubitabat an esset aliena; vel

qui, postquam bonâ fide rem comparavit, dubitare incipit an res aliena sit. Quod spectat ad primum, mortaliter peccat qui rem acquirit, dubitans an furtiva sit. Tenetur legitimum ejus dominum diligenter inquirere; quem si invenerit, eadem restituere tenebitur ac possessor malæ fidei: talis enim est qui rem aliquam acquirit, dubitans an illius accipiendæ jus habeat. Si verò, post adhibitam sufficientem diligentiam, certò detegi nequeat legitimus dominus, & dubium perseveret, utrum res sua sit, an alterius, tunc rem ipsam aut illius pretium dividere debet pro ratione dubii, ita ut major pars illi obveniat, cui magis favet dubium.

Hæc autem intelligenda sunt de æquali aut penè æquali dubio. Si enim, omnibus coram Deo ponderatis, longè probabilius appareat rem furtivam esse, tunc tota vel domino, si cognitus sit; vel si ignoretur, pauperibus largienda est cum omnibus fructibus; quia nemo prudenter judicare potest suum esse, quod multò magis videtur esse alienum. Contrà verò si longè probabilius sit rem non esse alienam, videtur eam à possessore retineri posse.

Quod spectat ad eum cui bonâ fide aliquid possidendi dubium supervenit, diligenter curare debet ut rei veritas comperiat. Si verò, post accuratam inquisitionem, dubium remaneat, tunc restitutioni non est obnoxius, quia contra titulum possessionis bonâ fide acquisitæ non prævalere debet dubium, in eoque casu locum habet illud juris effatum: *In dubiis melior est conditio possidentis*; sed ita comparatus esse debet hujusmodi possessor, ut rem domino, statim atque inno- tuerit, restituat.

SECTIO III. De iis qui ad damnum alterius ex aliqua parte contulerunt.

Novem modis potest aliquis in damnum alterius influere, qui his versibus continentur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non oblians, non manifestans.

De singulis nunc agendum.

De Jubente.

Jubentis & mandantis nomine intelligitur quisque suo mandato aliquem, ut alteri noceat, movet vel expressè & explicitè, ut si quis dixerit famulo: *occide hunc hominem*; vel tacitè & implicitè, v. g. nutibus, aut indicando inferiori eum rem pergratam facturum, si talem actionem exqueretur. Hinc implicitè jubent Magnates, cum erumpunt in verba quibus sese prodit vindictæ desiderium. Quapropter Henrico II Anglorum Regi imputata fuit S. Thomæ Cantuariensis occisio, quia patiam significaverat se impatienti animo ferre, quod unus ipsi tandiù resisteret Episcopus.

A mandante non tantum rejarciendum est damnum quod præcepit, sed etiam illud quod prævidere potuit ex mandato secuturum, licet contra ipsius intentionem contigerit. Si v. g. famulo iracundo jussit aliquem fistibus insigniter percutere, & famulus eum interfecerit, teneris damnum morte illatum reparare, quia huic tuâ culpâ occasionem præbuit. Si tamen jubens mandatum revocaverit, idque ei cui datum fuerat innotuerit; tunc à restitutione liberatur, etiamsi effectus locum habeat; quia damnum non mandato, sed propriæ exequentis malitia tribuendum est.

De Consulente.

Consulens ille est qui aliquem ad inferendum alteri damnum impellit consilio, precibus, promissis, hortationibus, vel mali exequenti modis suggerendo. Ab eo reparandum esse quidquid damni ex ipsius consilio secutum fuerit, unanimes docent Theologi. Hinc ab Innocentio XI damnata fuit ista quorundam Casuistarum propositio: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati* (*Recueil des Bulles, Edit. de 1697. pag. 278. propos. 39.*)

Quæres 1o. an restituere teneatur qui ante damnum illatum revocavit consilium.

Resp. 1o. Si quis malum consilium ita revocet, ut totam illius vim & totam inferendi damni causam à se propositam auferat, tunc à restitutionis onere liberatur. Petro, v. g. consulisti ut quemdam contractum iniret, quasi usuræ expertem: postea doctior factus, eidem Petro demonstras contractum illum usuræ vitio laborare, & rationes in contrarium à te prius allegatas evertis; certum est quidquid faciat alter, à restitutione liberum te fieri. Pariter si quem precibus, promissis impuleris ad interficiendum alterum, & deinde hac omnia revoces, mors consecuta non tibi imputanda est; ratio est, quod totam damni importandam causam à te propositam sustuleris.

Resp. 2o. Aliquando ejusmodi est consilium, ut quamvis revocatum fuerit, nihilominus vigeat tota illius vis, funestaque animi motio quam excitavit. Si malum, v. g. alicui consulueris, exhibendo quantum inde utilitatis & delectationis sit percepturus, item suggerendo facilem mali perpetrandi modum; tunc, etiamsi consilium revocaveris, totum adhuc subsistere potest consilii ro-

bur, tota vis quæ alterius animo fuit impressa; quidquid enim dixeris, sentit quàm facilè, quàm impunè, quantà delectatione, & quantà cum utilitate damnum inferre possit; quandiù ergo incitamenta illa non elidet consulens, damni causa ideòque restitutioni obnoxius meritò judicabitur.

Quæres 2^o. an restituere teneatur qui consulit damnum minus, ne gravius eidem homini inferatur.

Resp. non paucos esse Theologos qui hujusmodi consulentem à restitutionis obligatione exemptant, quia hoc consilio, inquit, utiliter rem gerit illius cui gravius damnum imminet. Sed rejicienda est hæc opinio, inquit Collator Parisiensis. (*Conf. de Paris, tom. 3. pag. 264. novæ Edit.*) Si quem enim deterrere non valeas, ne quadringentos v. g. nummos cuiuspiam subripiat, non ultra progrediendum est, nec suadendum ut ducentos duntaxat furetur, quia non licet minus malum facere, ut majus declinetur. Qui malum levius suadet, ipse reum sese constituit, & damnum compensare tenetur, quod hujusmodi consilio inferitur alteri.

Quæres 3^o. an restituere debeat qui malum consilium bonâ fide dedit.

Resp. Si consulens ex officio suo & statu dare consilia teneatur, quales sunt Advocati, Medici, Confessarii, tunc restituendi obligationem contrahit, maximè si acceperit stipendium; nec sua eum excusat ignorantia; debet enim ea quæ sui officii sunt cognoscere; idcirco habendus est ut autor damni ex malo suo consilio provenientis. Si verò consulens ex officio & conditione sua dandis consiliis non sit obnoxius, tunc ipsius bona fides eum à restitutione immunem facit, juxta regulam hæc juris in Sexto: *Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur.* (*Ubi supra,*

pag. 281.) Non fert enim æquitas eum ad restitutionem cogi, qui suo consilio, licet imprudenter, alteri prodesse bonâ fide existimat.

De Consentiente.

Consentiens hic dicitur qui externâ approbatione aliquem movet ad importandum alteri damnum; eum restitutioni obnoxium esse nemo ambigit, quia efficax est damni causa. Talis autem censetur quisquis consentit, licet ex officio teneatur dissentire, & malum, quantum potest, impedire. Quapropter restituere tenentur, 1^o. Regis Consilarii qui bello injusto quod possent depellere, vel iniquæ condemnationi suffragantur; 2^o. qui in Collegio, Capitulo, &c. actui illicito subscribunt; 3^o. qui præ hominum metu suffragari omittunt in Senatu, ita ut non avertant damnum, quod arcere possunt & debent.

Controvertitur autem utrùm qui ultimo loco sententiæ injustæ suffragantur, restituere debeant, quando præcessit sufficiens ad decernendam rem iniquam suffragatorum numerus. Nonnulli negant, quia illi postremi suo consensu non sunt efficax damni causa, cùm ab aliis jam sit decretum. Alii verò prudentius affirmant; 1^o. quia posteriorum etiam suffragatorum nomine damnum importatur: omnes enim ad formandam quæ damni causa est sententiam concurrunt; 2^o. quia damnum non est à primis suffragantibus irrevocatum: ad rescindendam enim suam sententiam à postremis suffragantibus adduci possunt, qui idcirco tenentur suos collegas ab injusta sententia, quantum valent, dimovere, eos admonendo, hortando, oppositas rationes exponendo, denique suffragium recusando. Quod si non præstiterint, ad ipsos etiam damnum est resarciendum.

De Palpone, sive adulatore.

Palponis nomine significatur quisquis laudando, applaudendo, offensum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exagertando, aliquem impellit ut alteri noceat. Tenetur restituere, siquidem moralis est causa damni. Sape etiam efficacius ad injustum facinus moveas adulando, quam si expresse illud consuleres. Ad contrahendam autem restituendi obligationem, non requiritur ut adulator malum alterius intendat, sufficit ut praevidere potuerit damnum ex sua adulatione consequaturum. Quod si quempiam laudaverit ob injustam rem jam confectam, a restitutione immunis est, quia damni causa non fuit, nisi fortè his laudibus aliquem excitaverit ad iniquum aliud facinus.

De Receptante, gallicè Recepteur.

Receptans dicitur qui sive ante, sive post damnum illatum, securitatem & commoditatem præbet malefico, ut malum confidentius agat, aut perpetratum non reparat. Tales sunt qui facinorosos homines proteguan, hospitio recipiunt, noxia furum instrumenta asservant, spolia emunt, custodiunt, occultant. Hinc collige inter receptantes merito recenserentur 1o. Advocatos qui clientis injustitiam, reluctante conscientia, defendendo in causa sunt cur parti læsa non satisfiat; 2o. legionum Praefectos qui milites prædæ cupidos & injusta exigentes tuentur; 3o. Magnates qui, cum videant multa iniqua ab his perpetrari, qui ab eorum autoritate pendent, non tamen obstitunt, sicque causa sunt cur malum eo liberius fiat, quò magis impunè. Ii omnes tenentur restituere, quia damni illati sunt causa.

De Participante.

Participans duplici modo potest esse aliquis; 1o. ratione rei acceptæ, ut cum suam in præda partem habuit; 2o. ratione actionis damnosæ, quando scilicet aliquem ad facinus injustum adjuvat, auxilium præbendo, instrumenta suppeditando, excubias agendo, &c. De iis qui rei furtivæ sunt participes idem sentiendum est, ac de possessoribus bonæ vel malæ fidei. Si enim rem alienam bonâ fide acceperint, eam, si adhuc extet, debent restituere: si verò malâ fide, tunc rem ipsam aut ejus pretium debent refundere, etiam si locupletiores non evaserint.

Qui verò actionis damniferæ fuit particeps, tenetur restituere pro ratione damni quod intulit. Imò totum damnum ab eo resarciendum est, si partem suam alii non restituant. Cujus obligationis rationem hanc affert Collator Parisiensis: *La raison est que la complicité du crime, ou la part que chacun a dans la faute, l'en rendant coupable, elle le rend par conséquent responsable du tout. On peut ajouter que l'action de tous ces voleurs, étant comme une seule action morale, chacun est censé avoir fait lui seul tout le dommage qu'ils ont causé de concert & tous ensemble. C'est la décision du Droit canonique & du Droit civil. (Conf. de Paris sur l'usure, tom. 3. liv. 6. Confér. 2. §. 2.)*

Quæres 1o. utrum qui partem rei quam furtivam esse noverat, accepit, totam rem debeat restituere, quamvis nihil ad furtum contulerit.

Resp. eum non teneri restituere, nisi partem quam accepit, etiam si noverit rem esse furto ablatam: ratio est, quòd furti nec autor nec minister, nec particeps fuerit: quòd si partem quam habuit consumpsit, debet illius pretium redde-
dere, quia malâ fide eam consumpsit, siquidem

noverat rem esse furtivam, priusquam eâ uteretur: hinc sequitur famulum qui cum aliis sociis vinum compotavit, quod domino suo subreptum cognoverat, sed qui illius furti socius minimè fuit, non teneri hero suo restituere, nisi pretium æquale vino quod ab eo hauſtum fuit.

Quæres 2^o. utrum restituere teneatur qui gravi metu coactus, aliquem ad occidendum, furandum, &c. adjuvit.

Resp. Molliores quidem Casuistæ hujusmodi hominem à restitutione & peccato mortali liberant. Huic autem opinioni reclamant Collator Parisiensis. Certum est, inquit, hominem de quo agitur, peccare, idèque in restituendi obligationem incurrere. Non licet enim rem per se malam divinæque Lege vetitam facere, aut facientibus consentire, ut docet Apostolus; nec excusat mortis aut gravis alterius mali metus, quia, teste Christo, longè magis timendus est Deus qui corpus & animam perdere potest, æternisque suppliciis plectere, quàm homines qui non nisi vitam temporalem nobis eripere possunt. (*Ubi supra. Confér. I. §. 7.*)

De Muto, non obstante, non manifestante.

Mutus de quo hic agitur, ille est qui tacet, cùm ex justitia, id est, ratione officii sui vel pacti loqui debeat, dissuadendo, prohibendo, clamando. Tenetur restituere quia tacendo lædit justitiam, quatenus non servat pactum quo sese obligavit ad damnum alicujus impediendum. Hinc famulus qui heri sui bona dilapidari videt & tacet, restitutioni obnoxius est: violatæ enim justitiæ reus est; nullus quippè famulum conducit, nisi cum pacto, saltem tacito, quòd bona ejus servet si possit. Pariter Confessarius qui pœnitenti non præcipit ut restituat, quando id facere debet,

tenetur damnum compensare quod ex ejus silentio patitur pars læsa.

Non obstans dicitur ille qui non impedit, quamvis ad illud ex officio teneatur, ne quid damni proximo contingat. Tales sunt militum Duces, Ministri justitiæ, Custodes nemorum, vinearum, & alij qui pacto vel expresso, vel tacito, aliorum salutis aut bonis consulere debent; quod nisi præstiterint, justitiam lædunt & restituendi obligationem contrahunt.

Non manifestans ille est qui, dum potest ac debet ex justitia, maleficum non manifestat, vel ante illatum damnum, ut avertatur; vel post illatum, ut reparetur. Tales sunt custodes sylvarum, vinearum, & quicumque ratione officii vel stipendii, tenentur damniferos prodere. Eos igitur non declarando peccant contra justitiam, idèque debent damnum ex sua culpa secutum compensare.

PARAGRAPHUS II.

Cui faciendæ sit Restitutio.

Quidquid circa materiam hanc præcipuum erit, varias in quæstiones distribuemus.

Quæres igitur 1^o. utrum res vero illius domino semper restituenda sit.

Respondeo 1^o. rem ei restituendam esse, qui eam legitimo titulo possidet, quamvis non sit rei dominus; alioqui læderetur jus legitimi possessoris. Si, v. g. rem ipsi domino restituas, non verò iis quibus commodata vel locata est, & qui proinde jus habent illâ re utendi, peccas contra justitiam his debitam. Itaque si vestes apud sartorem, farina apud molitorem, &c. subreptæ fuerint, & vero domino restituantur, iisdem grave damnum importatur; tum quia laboris sui pretium fortè amittent; tum quia in suspensionem venient debitam non afferendi diligentiam in servandis rebus sibi commissis; unde continget ut eorum operâ uti jam nolit qui

anteò utebatur : aliam hanc rationem adjicit Collator Parisiensis : Si l'on rendoit ces choses au propriétaire , sur-tout à l'insu de ceux à qui il les a confiées , on les exposeroit à les lui payer , parce qu'il est en droit de les y contraindre , quand on lui fait ces restitutions secrètement , sans qu'il sache pourquoi ; & cela seroit injuste. (Conf. de Paris sur l'usure , t. 3. liv. 4. Conf. 1. §. 6.)

Quæres 2^o. an aliæ quædam sint circumstantiæ in quibus res vero domino restitui non debeat.

Resp. alias quædam esse : 1^o. enim si noveris dominum ita esse malè comparatum , ut se suâ vel in proprium , vel in alterius damnum abuteretur , differenda erit restitutio , quandiu in hoc statu versabitur , & donec in melius fuerit mutatus. Sed interim curandum ut res eum in usum adhibeatur , qui ejus domino sit utilis : Quando res restituenda , inquit S. Thomas , apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est , vel alteri ; non ei debet tunc restitui , quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur.... nec tamen debet ille qui detinet rem alienam sibi appropriare ; sed vel reservare , congruo ut tempore restituat , vel etiam alii tradere tutius conservandam ; (2. 2. quæst. 62. art. 5. ad primum.)

Si rei dominus sit vel minor emancipatus qui patrimonium dissipet , vel paterfamilias qui vanos in sumptus bona profundat , tunc poterit vel ejus uxori restitui , modo periculum non sit ne turbetur pax domestica , vel liberis reservari.

2^o. Si bona domini sub custodiam tradita sint (ont été saisis), quamvis in eorum numero recensita non fuerit res ipsius quam apud te habes , eam non illi , sed ejus creditoribus , restituere debes. Quam autem ob causam sic te gerere tenearis ita exponit Collator Parisiensis : La Justice a pris sous sa garde tous les biens de cette personne pour servir au paiement de ses créanciers : la saisie en a dépouillé le débiteur.

Les

Les choses saisies , dit le droit , sont des biens qui sont possédés , ou au moins engagés aux créanciers du débiteur. Une saisie est proprement la prise de possession des biens qui appartiennent au débiteur , pour être obligés à ses créanciers , à condition de les faire vendre juridiquement pour le paiement de ce qui leur est dû.... Les choses qu'on est obligé de restituer , ne sont pas saisies par les créanciers , parce qu'ils ne savent rien de cette dette.... Mais ce défaut de saisie actuelle n'empêche pas que ces choses n'appartiennent aux créanciers , en cas qu'il n'y ait pas assez de biens saisis pour le paiement de ce qui leur est dû (tom. 3. liv. 4. Confér. 1. §. 9.)

Quæres 2^o. quid facto opus sit , cum non speciatim quidem , sed tamen modo quodam generali cognoscitur quibus restituendum sit. Sic milites qui oppida , Provinciarum Præfecti qui eas dilapidarunt , generali quâdam cognitione norunt quibus damnum intulerint.

Resp. Restitutio fieri etiam generatim debet pauperibus locorum ubi damnum fuit illatum. Sic latro qui pecora vici alicujus abstulit , ejusdem vici pauperibus restituere tenetur. Merito quippè conjicitur hanc esse illius intentionem , cui pecus ablatum fuit , quia ibi suos habet hæredes & cognatos. Sic etiam mercator , qui emptores ad se ventitantes minori vel mensurâ , vel pondere decepit , debet iis qui ad officinam suam venire soleant , viliori pretio vendere , ut paulatim reddat quod paulatim subreptum fuit ; debet insuper aliquid pauperibus largiri in gratiam extraneorum quos à se fraudatos cognovit.

Pariter exercituum Duces , ærarii Administratores ; Publicani (les Partisans), vectigalium Redemptores (les Traitans), Provinciarum Præfecti qui urbes & Provincias diripuerunt & spoliarunt ; sed qui speciatim non cognoscunt quibusnam privatis damnum intulerint injustæ illæ vexationes :

Tom. VI.

K

ii, inquam, omnes tenentur opes malè partas refundere in pauperes locorum quæ suis direptionibus affixerunt. Id enim si alibi facerent, iteratè restitutioni essent obnoxii erga pauperes regionum quas vexarunt: ratio est quòd ita se gerendo, iis quibus damnum importarunt, quantum possunt & debent, non subveniunt.

Hinc patet quàm ingratam Deo victimam offerant, qui longè à Provinciis quas compilarunt, superba pauperum hospitia extruunt; quasi verò Deus sibi consecratum velit, quod hominibus injustè ablatum fuit? Quasi verò ex magnificis illis ædibus aliquid levaminis accipiant, qui procul inde luctuosam in miseriam durissimis ipsorum exactionibus coniecti sunt?

Quæres 3º. quos in usus conferenda sint bona, quorum dominus, post diligentem inquisitionem, nec speciatim, nec generatim cognosci potest.

Priusquàm respondeatur, notandum est eò majorem esse debere hanc inquisitionem, quò majus est rei pretium. Si quis rem pretiosam invenerit, tunc affixis libellis non tantum in Ecclesiis & viis publicis loci in quo reperta fuit, sed etiam in vicinis urbibus denuntiatum est, rem vero domino restitutum iri, statim atque sese obtulerit. Deindè expectandum erit, per tempus à viris quibusdam sapientibus definitum. His præmissis,

Resp. Si post adhibitæ illas cautiones detegi nequeat verus rei dominus, tunc pauperibus eroganda erit, vel in alios pios usus conferenda. Ratio est quòd, ut jam diximus ubi de rebus inventis, hæc esse meritò conjiciatur domini voluntas, ut res sua, cum ad eum pervenire non potest, pendatur modo sibi utiliori: atqui in dominum ignotum major utilitas ex sua re derivari nequit, quàm si pauperibus sublevandis, vel aliis piis operibus impendatur; ergo, &c.

Quæres 4º. Qui à bonæ fidei possessore rem quam

alterius esse comperit, oneroso titulo, emptionis v. g. accepit, potestne eam ipsi reddere possessori & pretium datum ab eo repetere?

Resp. Potest: unicuique enim licet proprio bono consulere, modò id fiat sine alterius damno: atqui ita se gerit qui in casu proposito rem ei reddit, à quo ipsam emerat. Nam apud possessorem, ut potè bonæ fidei, non periclitatur, ab eoque verum ad dominum transmittetur.

Quæres 5º. utrùm rem bonâ fide à fure emptam, eidem reddere liceat, ut pretium repetatur.

Resp. id licitum non esse; tùm quia rem à fure emptam eidem reddere non potes, quin vero domino injuriam facias, qui suâ re fraudabitur, quæ tamen semper clamat pro domino; tùm quia ex juris naturalis regula, non licet alteri facere quod tibi fieri nolis: atqui nullus velit, & quidem justè, ut res sua quam aliquis bonâ fide à fure emisset, furi redderetur, à quo eam non esset recepturus. Durum quidem est aliquem pretium bonâ fide datum amittere; at verò si fur obiisset, si non inveniretur, si solvere non posset, nonne domino restituenda esset res furtiva? Ita sanè, ex omnium consensu: porrò quia latro invenitur, quia solvere potest, numquid perit jus quod in rem suam habet dominus?

Solvuntur objecta.

Obijciēs 1º. Unusquisque jus habet contractum rescindendi, qui ex una parte injustus est, ex altera verò parte per errorem initus fuit: atqui hujusmodi est contractus emptoris cum fure; ergo potest eum rescindere, remque furi reddere.

Resp. Dist. maj. Si id fieri possit sine alterius injuria, conc. si non possit, neg.

Porrò non potest emptor contractum ita rescindere, ut rem furi reddat, quin alteri injuriam

faciat, nempe domino; siquidem eum conijceret in periculum moraliter certum, rem suam in perpetuum amittendi.

Inst. Dominus non potest merito expostulare, quod rescindam contractum cum fure initum; ergo sine ipsius injuria rescinderetur.

Resp. Neg. ant. Dominus enim merito conqueri potest quod, licet innocens, suam re in quam jus immediatum habet, fraudetur: atqui in casu de quo agitur, dominus citra ullam culpam re suam in quam jus immediatum retinet, fraudaretur; ergo, &c.

Inst. Par est emptoris & domini innocentia, par etiam causa: emptor enim non minus juris habet in pretium a se datum, quam dominus in rem suam; ergo dominus in presenti casu immerito de contractus dissolutione quereretur.

Resp. Neg. ant. quoad secundam partem: par quidem est utriusque innocentia, sed dispar causa: dominus enim nullo modo causa est cur emptor retii sui jacturam subeat; sed id totum venditoris malitiæ imputari debet: at verò emptor rem furi restituendo, causa erit cur dominus rei suæ jacturam patiat. Præterea dominus immediatum in rem suam jus habet, & eam ubicumque esse cognoverit, repetere potest, non ita verò emptor; ergo longe dissimilis est utriusque conditio.

Obj. 20. Non tenetur emptor avertere damnum alterius cum æquali suo damno; ergo rem furi est reddere, ut illius pretium recipiat.

Resp. Neg. conseq. Non enim dicimus emptorem furi rem ideo non posse reddere, quod teneatur alterius damnum impedire; sed quia ipse foret moralis causa damni quod pateretur dominus innocens, qui re suam in perpetuum spoliaretur: atqui nemo potest alteri innocenti esse causa alicujus damni, etiam ad effugiendum damnum æquale sibi imminens, cum non facienda sint mala, ut evanescant bona.

Obj. 30. Emptor rem furi reddendo non eam ponit pejori in loco, quam fuerit ante emptionem; ergo nullam domino facit injuriam.

Resp. Neg. conseq. Emptor rem furi reddendo, eam quidem non ponit in pejori loco quam fuerit ante emptionem; sed eam constituit in majori periculo quam erat post emptionem, quia res tuto in loco erat apud emptorem bonæ fidei, non ita verò apud furem: non potest autem emptor rem alterius tuto in loco semel positam, in alium periculosum transferre, quin rei domino injuriam faciat.

PARAGRAPHUS III.

Quomodo, quando, quove ordine sit restituendum.

Eo modo fieri debet restitutio, qui damnum illatum plane compenset: is enim est restitutionis scopus. Res aliena, quam primum fieri potest, restitui debet. Voluntaria enim qualibet dilatio peccatum est. Nam quisquis rem alienam, invito domino, retinet, impedit ne iste utatur jure quod suum in bonum habet: id verò quid aliud est, quam continuata injustitia? Per hoc, inquit S. Thomas, quod aliquis detinet rem alienam, invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, & sic facit ei injuriam: manifestum est autem quod nec per modicum tempus licet in peccato morari. (2. 2. quæst. 62. art. 8. in corp.) Peccatur etiam contra caritatem quæ vetat ne alteri facias, quod tibi fieri nolis.

De ordine qui in restitutione servandus est plura dicenda sunt; quod ut clarius exequamur, materiam hanc duas in sectiones partiemur; in prima, quis ordo inter damniferos; in secunda quis ordo erga eos servari debeat, quibus restituendum est, exponemus.

SECTIO I. De ordine qui in restitutione inter damniferos servari debet.

Damniferi de quibus hic agitur, si sunt qui in alterius detrimentum communi societate conspirarunt. De ordine quem restituendo servare debeant duæ sunt regulæ.

REG. I. Qui mutuâ conspiratione ad facinus damnosum concurrerunt, singuli ad totius damni reparationem obligantur in solidum; id est, si horum nullus restituere velit aut possit, excepto uno, ille unus totum damnum compensare tenebitur. Ratio est, quod singulis totum damnum merito tribuatur, quia communis ipsorum conspiratio efficit ut omnium actio, una & eadem sit moraliter.

REG. II. Inter eos qui in solidum restitutionis lege obstringuntur, iste servandus est ordo: scilicet tenetur restituere; 1º. qui rem alienam injustè accepit; 2º. jubens seu mandans; 3º. qui rem executus est; 4º. ceteri criminis participes.

Et 1º. quidem ante alios restituere debet, qui rem furtivam accepit, quia ex vulgari axioma, *Res aliena semper clamat pro suo domino*. Si rem consumpserit, licet inde ditior non evaserit, præ ceteris nihilominus restituere tenebitur, quia nova est iniquitas quæ eum à restitutione solvere non potest.

2º. Post eum qui rem furtivam accepit, jubens ad totius damni reparationem ante alios obligatur, quia præcipua est damni causa; siquidem propter eum sicut illatum, & suo imperio exequentis manum, tanquam instrumentum, iniquo operi veluti applicuit. 3º. Post mandantem, exequenti incumbit onus restitutionis, quia post jubentem præcipua est damni causa, nempe physica. Si tamen multi in damnum aliquod conspiraverint, illudque

unus ceterorum nomine exequatur, v. g. domum comburat, vel hominem interimat; tunc omnes ad restituendum pariter tenentur, quia nullus est qui damni principium non fuerit. 4º. Si nec jubens, nec exequens restituere velit aut possit, id præstandum erit à ceteris actionis damnosæ participibus. Qui tamen illius causæ fuerunt positivæ, qualis est consulens, ante eos restituere debent qui negativè duntaxat ad opus iniquum concurrerunt, quales sunt *mutus, non obflans*, qui idem solum peccaverunt, quod aliorum criminis non obstiterint.

Observandum est 1º. si unus ex sociis totum damnum reparaverit, ceteros omnes esse liberos erga eum qui jacturam passus est, imò & erga restituentem, si ille restituere primo loco teneatur; modò tamen iste rem ablatam cum aliis sociis non dividerit: alioquin à singulis refundendum esset quod ab eo accepissent. Si verò detrimentum compensaverit, qui in obligationem hanc secundo tantum loco incurret, erga ipsum liber non sit, qui primus debet damnum refarcire.

Observandum 2º. injustum rei furtivæ possessorem, mandantem, exequentem, qui causæ principales dicuntur, plurimum differre à consulente, consentiente & aliis, qui causæ non sunt nisi subsidiariæ & minus præcipuæ. Priores enim in solidum (*solidairement*) obligantur ad restitutionem erga se invicem; ita ut, si exequens ex pecunia sua restituerit, nec ullam rei ablata partem acciperit, mandans totum ei debet reddere. Idem sentiendum est de mandante erga rei ipsius possessorem. Aliter autem se habent qui causæ non sunt nisi minus principales. Si unus ex iis restituerit pro causis primariis, alii comites subsidiarii tenentur huic restituere pro ratione tantum ipsorum numeri. Si ergo tres fuerint, & damnum illatum 15 nummis æstimetur, unusque ex tribus pecuniam istam solverit, alii duo huic quinque tantum nummos

inguli rependere tenentur. Cujus regulæ rationem sic affert Collator Parisiensis: *La raison de cette règle est fondée sur ce que toutes ces personnes sont complices, & comme on le suppose, également complices du vol; d'où il suit qu'elles ne se doivent entr'elles que leur cotte-part, parce qu'elles n'en sont que les coopérateurs; & si elles doivent restituer en entier au défaut des causes principales, ce n'est qu'en faveur de celui qui a souffert du crime dont elles sont complices.* (tom. 3. liv. 6. Confér. 2. §. 5.)

Quæres 1^o. si multi sine ulla conspiratione, eodem tempore & loco aliquod damni intulerint, si v. g. vineam ingressi, suam quisque partem vastaverit; tenenturne ad restitutionem in solidum?

Resp. 1^o. Si horum quisque, aliis infeciis, nulloque modo impellentibus damnum importaverit, certam est eos non teneri ad restitutionem in solidum, siquidem alter ad alterius factum nihil contulit. 2^o. Si quis alios suo exemplo moverit, restitutioni in solidum fit obnoxius; tum quia pravam exemplum non minus est efficax quam malum consilium; tum quia ita præscribit jus canonicum: *Si tuâ culpâ datum est damnum, . . . jure super his te satisfacere oportet.* (Lib. 5. decretal. tit. 36. cap. 9.) Porro damnum ex illius culpa provenit, qui ad illud suo exemplo alios excitavit.

Quæres 2^o. utrum omnes actionis damnosæ participes à restitutione liberi sint, cum uni ex iis debitum remittitur ab eo qui damnum passus est.

Resp. 1^o. Si remissio ei facta fuerit, qui primo loco erat restitutioni obnoxius, ab ea ceteri liberantur. Cum enim in ejus tantummodo defectum restituere teneantur, eo nihil amplius debente, alii etiam nihil debent; 2^o. si condonatio ei facta sit, qui non nisi secundo loco restituere debet, tunc ab eo onere non eximuntur, qui præ-

ceteris tenentur restituere; ad illud enim obligantur seorsim à posterioribus.

Quæres 3^o. utrum socius dubitans an alii suam partem restituerint, totum restituere teneatur.

Respondent quidam Theologi, si post adhibitam diligentiam in inquirenda rei veritate, socius adhuc dubitet utrum alii satisfecerint, eum teneri tantum ad compensandam suam damni illati partem: ad ceteras enim illius partes refarciendas non adstringitur, nisi in aliorum defectum: atqui de eo defectu dubitatur; ergo & de obligatione reliquum damnum reparandi, quæ proinde nulla est; siquidem ex vulgari juris effato, *melior est conditio possidentis.*

Hanc verò sententiam improbat Concina. Certa est, inquit, & evidens restituendi obligatio in solidum. Vana autem prorsus erit, si valeat adversariorum opinio; quandoquidem sicut hic socius de alterius satisfactione dubitat, ita & alter iste de aliis dubitare potest, & conjicere eos suam damni illati partem reparasse, & sic nihil aut penè nihil læso domino restituetur. Præterea dominus ille jus certum & compertum habet, à quolibet è sociis totam damni reparationem exigendi: atqui jus certum per dubiam solutionem elidi non potest. Præfato axiomate, *melior est conditio possidentis*, abutuntur adversarii: dominus enim jus habet certum & inconsultum, melior est proinde illius conditio. Socius ergo de quo agitur, si dubium suum non deposuerit, totum debet damnum compensare.

SECTIO. II. De ordine qui servari debet erga creditores quibus restituendum est.

In proposita quaestione agitur de eo debitore qui diversi Ordinis creditoribus debet, sed omnibus satisfacere non potest. Si enim habeat unde singulis possit totum restituere, minimè necesse est ut aliquis servetur ordo.

Quares 1^o. quotuplicis generis sint debita: 1^o. Alia sunt *certa*, ut si exploratum habeas te Paulo centum nummos debere, alia *incerta* quando vel de ipso debito, vel de huius creditore dubitas.

2^o. Alia nascuntur ex oneroso titulo, v. g. emptionis; vel ex titulo gratuito, qualis est liberalis promissio.

3^o. Alia dicuntur *personalia*, cum scilicet creditor in personam debitoris, non verò immediate in ipsius bona actionem habet; alia *realia*, quando bona debitoris sunt creditori obligata per hypothecam, quæ duplex distinguitur, nempe generalis & specialis. Hypotheca generalis omnia complectitur debitoris bona, tum presentia, tum futura, licet de istis posterioribus non fiat expressa mentio; specialis verò non spectat, nisi bona quaedam determinata. Ut autem incommodis occurratur, in contractu addi solet, neque hypothecam specialem generali, neque generalem speciali esse derogaturam. Tunc utriusque eadem sunt commoda.

4^o. Creditores vel nonnullis privilegiis gaudent, ex quibus id habent juris, ut præ aliis creditoribus solvantur, vel huiusmodi privilegiis carent. Duplicis autem generis sunt privilegiis donati. Alii in omnia debitoris bona jus habent ut præ-

ferantur. Tales sunt creditores propter impensas justitiæ, funeris, &c. Aliis autem jus non datur, nisi in quædam debitoris bona. Huiusmodi sunt ii qui pecuniam subministrarunt ad fundum acquirendum, ad extruendum ædificium, &c. quidquid habent privilegii ut præ ceteris solvantur, fitum est super hoc fundo, vel ædificio quod extructum fuit.

5^o. Sunt debita quæ proveniunt ex delicto, v. g. ex eo quod furatus fueris, & alia quæ oriuntur ex contractu, ut si debeas quia pecuniam mutuam accepisti.

Quares 2^o. quis ordo in solvendis debitis sit servandus.

Resp. 1^o. quando res aliena extat, vero domino restituenda est, nec potest aliis in solutionem dari; semper enim pro domino suo clamatur, & debitor ex bonis propriis solvere tenetur, non ex alienis quorum dominium transferre in alium non potest, cum illud ipse non habeat. Idcirco depositum, pignus, res per usuram ablata, dominis suis restitui debent, non autem aliis creditoribus dividi.

Resp. 2^o. debita certa præ incertis solvenda esse: *Restitutio certorum*, ait S. Antoninus, *proponenda est restitutioni incertorum*; (2. part. tit. 2. cap. 7.) vel enim dubitatio cadit in ipsum debitum, & tunc non semper tenemur restituere, juxta illud axioma, *in dubiis melior est conditio possidentis*; vel dubitatur de creditore qui ignotus est: tunc verò restitutio vel pauperibus facienda est, vel creditori certo: atqui prius reprobat S. Bernardinus Sinenis, juxta quem id quod restitui debet certis personis, si *pauperibus*, seu *in pias causas dispensecur totum*, nova rapina est, & est quodam modo facere raptorem Christum in pauperibus suis. (tom 1. pag. 201.)

Resp. 3^o. Debita ex titulo oneroso, qualis est

emptio, prius solvenda sunt, quam debita ex titulo gratuito. Nemo enim potest ex bonis suis quidquam gratuito dare, nisi quod superest, postquam solutum fuit æs alienum. Quapropter hæres defuncti debita prius solvere debet, quam legata, imò quam rem voto promissam. Vota enim quæ in alterius detrimentum cedunt, à Deo reprobantur.

Resp. 4^o. Debita *realia personalibus* sunt anteferenda, quia majori debentur jure, cum eorum solutioni, non solum ipse debitor, sed etiam illius bona sint obligata & obstricta, propter hypothecam quam in ea creditor habet.

Resp. 5^o. Inter creditores hypothecarios, ii sunt anteferendi quorum hypotheca est antiquior, juxta regulam juris 54: *Qui prior est tempore, potior est jure.* Obligatio enim posterior non potest jus alteri jam acquisitum tollere; excipitamen, nisi posterior hypotheca privilegium habeat à jure, vi cujus anteferenda sit. Quæ de re consulendæ sunt Provinciarum leges & consuetudines.

Resp. 6^o. Debita quæ ex delicto contrahuntur, non prius solvenda sunt, quam ea quæ nascuntur ex legitimo contractu; nulla quippè est causa cur alterum alteri anteponatur. Sive enim aliquid debeas ex delicto, v. g. furto, sive ex contractu, ambo creditores æquale jus habent, ut contrajustam eorum voluntatem non retineatur quod ipsis debitum est. Præterea restituendi obligatio non inde derivatur, quod creditor damnum acceperit, vel non acceperit; sed ex eo quod res ipsi debeat quocumque ex titulo. Porro jus creditoris cui aliquid debetur ex contractu, non minus certum & incoactum est, quam jus creditoris cui aliquid debes propter culpam erga eum commissam; nihil igitur causæ est cur alter prius altero solvatur.

Quæres 3^o. quis ordo servari debeat inter cre-

ditores simplices & merè chirographarios, qui scilicet nec hypothecam, nec privilegium habent.

Resp. Hujusmodi creditores jus non habent nisi in bona debitoris mobilia. Quamobrem apud nos dicuntur etiam gallicè *Créanciers mobiliers*: possunt quidem solutionem percipere ex immobilibus, si quæ superint; sed tantum postquam creditoribus hypothecariis omnino satisfactum fuerit. Pari gradu incedunt, quia in debitoris mobilia jus habent æquale. Alter igitur alteri non est anteferendus, sed omnibus dividenda sunt debitoris bona, justam servando proportionem. Rem ita exponit Collator Parisiensis: *S'il n'y a pas assez pour les payer tous, ils viennent par concurrence au sol la livre, au prorata de ce qui leur est dû: par exemple, s'il n'y a que six cents livres à distribuer pour le paiement des créanciers mobiliers, & qu'il n'y ait que trois créanciers, l'un de trois mille livres, l'autre de deux mille livres, & le dernier de mille livres: le premier aura trois cents livres pour sa part; le second aura deux cents livres; & le troisieme n'aura que cent livres.* (Tom. 3. liv. 6. confér. 3. §. 5.)

Diximus creditores merè chirographarios, quia sunt qui privilegium habent, vi cujus exigere possunt ut ante alios solvantur. In materiam hanc alius non descendimus, quia illius tractatio minus ad Theologos pertinet, quam ad Jurisperitos quos prudens Confessarius, datâ occasione, consulat.

Quæres 4^o. utrum aliis creditoribus pauper sit anteferendus.

Nota. Hic non agitur de paupere qui in extrema aut gravi necessitate sit constitutus, cui teneatur quisque ex caritate subvenire; sed agitur de creditore indigente qui ex privatione integri debiti plurimum damni patiat, cum alii creditores divites ex debiti imminutione vix aliquod sentiant incommodum. His præmissis.

Resp. Alii affirmant anteponendum esse creditorem pauperem, quia eo spectat restitutio, ut damnum à creditore depellat; creditores autem pauperes ex debito imminuto, vel solutione dilatà gravius damnum patiuntur, quàm creditores divites; alii verò negant, quia præferendum esse creditorem pauperem, neque à Lege positiva, neque à Lege naturali colligi potest; non quidem à Lege positiva, ut fateantur omnes; non etiàm à Lege naturali: spectato enim jure naturæ, in iis quæ sunt justitiæ commutativa, omnes creditores penadè se habent, & perperam allegantur paupertas vel opulentia, quæ ad rationem justitiæ non pertinent. Suaderi tantum potest creditoribus opulentis, ut sibi pauperes anteferi permittant: cogi autem nequaquam possunt, nec ipsis inficiis, liberum est debitori ut pauperes anteponat.

Quæres 5^o. cum debitoris bona non sufficiunt, ut singulis creditoribus satisfiat, potestne unus ex iis quod sibi debitum est exigere vel recipere?

Resp. 1^o. Si in bona debitoris nondum injectæ fuerint manus (*n'ont pas été saisies*), potest creditor quod sibi debetur exigere vel recipere, nec tenetur aliis creditoribus quidquam restituere. Legibus enim constitutum est, ut qui in repetendo debito diligentior est, ceteris præferatur. *Vigilantibus lex est*, sibi que imputare debent alii creditores, quod minus diligentia adhibuerint. Præterea creditoribus, antequàm à debitore solutionem accipiant, minimè necesse est illius bona & fortunas excutere, omnesque ipsius creditores cognoscere, ad judicandum an habeat unde omnibus satisfaciatur: ex iis quippe inquisitionibus quot nascerentur incommoda quæ omnes familias perturbarent! Quot justitiæ impensas secum importarent, ex quibus non parum damni ipsimet creditores paterentur! Ut ergo quisque quod sibi

debetur licitè accipiat, satis est cognoscere bona debitoris non fuisse à justitiæ Administris occupata.

Resp. 2^o. longè aliter se rem habere, quando bona debitoris autoritate justitiæ fuerunt occupata. Nam statim atque sub illius custodiam tradita sunt, non potest debitor de iis liberè statuere. Ipsa est justitiæ quæ illius bona creditoribus distribuit, ordine servato quem leges in gratiam boni publici instituerunt.

Quæres 6^o. cum certò novit creditor malè se habere fortunas debitoris. cumque citò esse fore cessurum, (*faire banqueroute*) potestne debitum exigere, vel recipere?

Resp. illud tantà conscientia posse, quando bona debitoris nondum fuerunt juridicè occupata. Nulla enim Lege prohibetur accipere, quandùm debitor suorum est bonorum dominus: atqui talis est debitor, cum ipsius bona sub justitiæ custodiam nondum tradita sunt; ergo, &c. nostris autem in responsis supponimus nullam à creditore fraudem adhibitam fuisse: Juxta regulam enim juris, *Nemini patrocinator fraudis & dolus*.

PARAGRAPHUS IV.

Quo in loco, cujusve impensis & periculo restituendum sit.

REG. I. Sufficit ut qui rem alienam bonâ fide accepit, eam restituat in loco ubi illam possidet; nec tenetur ad dominum absentem suis impensis hanc remittere. Cum enim possessor bonæ fidei, nullam rei domino injuriam intulerit, nullam debet pati damnum; pateretur verò, si rem propriis sumptibus ad dominum remitteret. Unde colliges, ubi novit aliquis se rem alienam possidere, tunc ab eo dominum esse admonendum, ut ille significet quid velit de sua re fieri; interim diligenter servanda est, sed impensis domini.

REG. II. Qui rem alienam injustè possidet, tenetur eam propriis sumptibus restituere, & quidem in loco ubi eam dominus possessurus erat, si non fuisset ablata. Postulat enim æquitas, ut dominus ex alterius injustitia damnum non patiat: atqui non sine aliquo damno, rem sibi injustè ablatam propriis sumptibus ad se revocaret; si dominus aliò migraverit, eo in loco fieri debet restitutio impensis debitoris, deductis tamen sumptibus quos dominus in ea re secum asportanda posuisset: satis est enim ut debitor dominum præster indemnem, nec requiritur ut lucrum ei afferat.

Ubi verò non potest res suam ad dominum pervenire sine ingentibus impensis, quæ ipsius pretium excedant, quid agendum erit? 1^o. Æquitati naturali congruere videtur, ut debitori liceat ad illud usque tempus differre, quo poterit rem paucioribus impensis restituere, præsertim si dominus eam non multum indigeat. 2^o. Ubi nulla spes affulget fore ut cunctando sumptus minuatur, pronuntiat Collator Andegavenis à debitore subeundum esse illud impendium, veluti sui criminis poenam. Ita, inquit, potest judex fari multam infligere, quæ rei subreptæ valorem superet. (*Confér. sur les contrats, tom. 2. pag. 276.*)

Opinatur verò *Juénin* dominum, si in loco ubi manet rem similem emere queat, illius quæ sibi debetur pretio contentum esse debere: sic enim nullum patietur damnum. Quod si consentire nolit, hæc recusatio prorsus rationi adversatur, ideòque ipsius voluntas non est regula quam debitor sequi teneatur. (*Résolution des cas de consc. tom. 4. Traité 22. chap. 6. demande 8.*)

REG. III. Res debita ex contractu illius impensis restituenda est, in cujus utilitatem viget contractus: par est enim ut qui sentit commodum, sentiat & onus. Si, v. g. equum ex comodatò acceperis, hunc debes propriis tuis

sumptibus eò remittere ubi illum accepisti, nisi aliter conventum fuerit.

REG. IV. Si res aliena quam restituit bonæ fidei possessor, pereat in via, domino perit, non remittenti, quando debitam adhibuit diligentiam: ratio est, quia debitor nullam commisit culpam, sive in re acquirenda, siquidem bonâ fide & citra fraudem eam possidet; sive in re ad dominum suum remittenda, cum nihil diligentia omiserit, ut ad eum perveniret.

REG. V. Restitutio rei per injustitiam acquisitæ fit periculo debitoris; si ergo pereat, dum remittitur ad verum dominum, hujusmodi debitor, quamvis requisitam adhibuerit diligentiam, tenetur iterum atque iterum remittere, donec rem suam dominus acceperit. Neque id durum videri debet, 1^o. quia longè durius est innocentem re sibi injustè ablatâ semper fraudari; 2^o. quia ex regula Juris 86, *Damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare.* (*In Sexto.*)

Cum debitoris periculo fiat restitutio, ipsius interest eam viri alicujus probi interventu exequi. Quas cautiones adhibere debeat *Confessarius*, quando hæc cura ipsi committitur, sic describit *Autòr Collationum Parisienſium*: *Il est nécessaire pour l'honneur de son caractère; 1^o. qu'il tire des quittances ou récépissés des personnes à qui il fait restitution, pour justifier sa fidélité à ceux qui lui en ont donné la commission; 2^o. il doit faire paroître beaucoup de desintéressement à l'égard de ceux à qui il restitue, en cas qu'ils lui en laissent les deniers pour les pauvres; & pour lors, afin de faire voir qu'il les a employés selon leur intention, il faudroit les donner publiquement aux charités des Paroisses; 3^o. il doit être d'un grand secret, & prendre bien garde de ne pas indiquer par des réponses indiscrettes, les personnes qui l'ont chargé de ces restitutions; & pour éviter cet inconvénient, il doit s'expliquer sagement & en peu de paroles;*

& même si l'on étoit connu pour Confesseur de la personne qui pourroit être soupçonnée, il faudroit se servir d'un Confesseur étranger pour faire ces restitutions. (Tom. 3. liv. 2. confér. 1. §. 7.)

REG. VI. Res debita ex contractu perit creditori, quando ejus dominum retinet, ut in deposito, commodato; debitori verò, si rei dominium in eum translatum fuerit, ut in mutuo. Ratio est, quòd sicut res qualibet pro domino suo clamat, ita & eidem perent. Hinc si quis pecuniam quam ipsi mutuo dederas, ad te remittat, & pecunia hæc intercidat, illius jactura non tibi, sed debitori subeunda est, quia vi matui dominus hujus pecuniæ evaserat.

PARAGRAPHUS V.

De causis à restitutione excusantibus.

Varia sunt causæ quæ restituendi obligationem vel tollunt, vel suspendunt: eas diversis in questionibus prosequemur.

Quæres 1^o. an remissio facta à creditore restituendi obligationem tollat.

Resp. Tollit, quia potest creditor jure suo cedere, nec volenti sit injuria. Ut autem valeat remissio, duæ requiruntur conditiones; prima, ut non sit à jure impedita. Cujus conditionis defectu, Canonicus qui sine causa legitima omisit Officium, non potest retinere distributiones, temporis per quod à choro absuit respondentes, etiamsi illarum remissionem obtinuerit à Capitulo. Hæc enim à Concilio Tridentino rescinditur. (Sess. 24. de Reform. cap. 12.) Pariter nulla est remissio quæ fit à pupillo, quia leges resistunt.

Secunda conditio est, ut prorsus voluntaria sit remissio. Hinc ea non valet quæ per vim aut metum, sive levem, sive gravem extorquetur; ut si quid mali debitor creditori comminatus

fuerit. Pariter nullius roboris est remissio, quæ per fraudem seu dolum subrepta fuit, ut si quis longè indigentiorum se finxerit, quàm reverà sit.

Quæres 2^o. quid sit honorum cessio, & utrùm à restitutione liberet.

Resp. 1^o. Cessio honorum fieri dicitur, cum aliquis solvendis omnibus debitis impar, quidquid boni sibi superest creditoribus dimittit, ne conjiciatur in carcerem, vel in eo retineatur. Debitorum enim qui solvendo pares non erant, hæc olim fuit luctuosa conditio, ut in carcerem traderentur, donec suis creditoribus satisfacerent: cujus mali ut acerbitas temperaretur, quæsitum est in honorum cessione miserabile, ut aiunt leges, & *stabile remedium*. Cessionis beneficium locum non habet debitis quæ proveniunt ex crimine, dolo, fraude, & aliis similibus causis, quas recenset D. Pothier. *Traité de la procédure civile*, part. 5. chap. 2. §. 3.

Docet autor Collationum Parisiensium posse debitorem, insciis creditoribus, etiam sibi ea retinere quibus ad tenuem victum indiget; in eoque nihil esse mendacii, quia honorum cessio tacitam hanc conditionem involvit: *Exceptis iis quæ ad victum sunt necessaria*: (Tom. 3. liv. 2. confér. 1. §. 3.) Id autem non videtur posse conciliari cum juramento, quo debitor sese obstringit ad declarandam quidquid boni sibi residuum est, sive mobilis, sive immobilis. Quomodo igitur perjurii reus non erit, si quædam bona furtim submoveat? Legis quidem animus non est, ut fame pereat; sed debet à justitiæ administris, à suisque creditoribus postulare, ut ejus sortem miserantes, vitæ necessaria ipsi concedere velint; quod nunquam denegatur, iis præsertim quorum infortunium ex casibus fortuitis contigit, non autem ex prava agendi ratione.

Resp. 2^o. bonis cedenti veram incumbere quod

superest restituendi obligationem, cum poterit. Transactio enim quæ inter creditores convenit, de condonatione (*remise*) debitori faciendâ, eorum quidem jus extinguit in foro externo, ita ut nullam habeant actionem in bona quæ postea est acquisiturus: verum in foro conscientie semper adstrictus remanet, ad solvendum quod residuum est (*le surplus*), cum illud præstare poterit ex bonis, tum suâ industriâ, tum hereditate, aliove modo comparatis. Ita præscribitur jure canonico: *Si ad pinguiorem fortunam devenierit*, ait Innocentius III, *debita prædicta persolvat.* (Lib. 3. *Decretal. tit. 23. cap. 3*) Condonatio debitori à creditoribus facta censetur coacta fuisse & conditionalis. Eam quippe non concedunt, nisi ut occurratur justitiæ impensis, quæ meliorem bonorum ad debitorem pertinentium partem absumerent. Inde verò longè gravius damnum in creditores derivaretur, quàm ex condonatione (*remise*) debitori concessâ. Bonorum igitur cessio restituendi obligationem non tollit, sed tantummodò suspendit. Idcirco quidquid postea debitor acquisierit, illud suos in creditores refundere tenetur, ea tamen sibi retinendo, quæ ad parcam tum sui, tum suorum sustentationem necessaria sunt: *Non fraudandus est*, inquit lex, *alimentis quotidianis.*

Quæres 3^o. utrum ingressus in Religionem à restituendi obligatione liberet; sive utrum professio religiosa ei licita sit, qui restitutioni obnoxius est.

Resp. Ex omnium consensu, professio religiosa licita est, tum iis qui prævident fore ut in Monasterio, perinde ac in sæculo, creditoribus suis satisfaciant; tum iis quibus nulla spes affulget debita solvendi, etiam si in sæculo remaneant: an verò religiois professioni renuntiare teneatur, qui in sæculo vitam agens debita solvere potest, convertitur. Iis autem suffragamur qui docent non posse hujusmodi debitorem, Religionem profitendo ia-

restituendi impotentiam sese conjicere; 1^o. quia, ex Apostolo: *Non faciamus mala, ut veniant bona:* (Rom. 3. 8.) atqui malè agit qui in voluntariam debita solvendi impotentiam incurrit, idque Legge naturali vetitum est; 2^o. quia non licet debitori restitutionem omittere, cujus necessitas est præcepti, ut Religioni sese devoteat, quod merum est consilium. Hinc sequitur Superiorem qui sciens & volens hominem àre alieno oppressum ad Religionem admittit, teneri vel ex Monasterii bonis illius debita solvere, vel saltem permittere ut per opera quæ statum suum non dedeçant, creditoribus satisfaciât. 3^o. Quia ita docet S. Thomas: *si aliquis sit obligatus ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licitè præmittere, ut Religionem ingrediatur.* (2. 2. *quæst.* 189. *art. 6. ad. 3.*)

Quæres 4^o. quænam restituendi impotentia debitorem excuset.

Resp. 1^o. extremam necessitatem à restitutione hic & nunc faciendâ excusare, quia in eo statu omnia sunt jure naturali communia, saltem quod usum; ita ut quilibet in iis angustiis constitutus, possit rem alienam occupare; ergo multò magis eam retinere.

Resp. 2^o. gravem necessitatem & grandis damni periculum à restitutione ad tempus eximere; ratio est, quia dominus non potest rationabiliter ægrè ferre, quòd res sua cum tanto debitoris incommodo sibi non restituatur: in ejusmodi enim casu tenetur unusquisque proximo subvenire; alioqui violaret caritatem his Christi verbis imperatam: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* (Matth. 7. v. 12.)

Hinc colliges 1^o. restitutionem ab eo differri posse, qui illam non potest exequi, quin cogatur bona sua, ut domum, prædium, viliori pretio vendere. Si tamen creditor pari incommodo labo-

raret, ipsi statim esset restituendum, quia tunc jure ac merito expostularet, quod sibi debitum non solveretur: ex ordine enim caritatis potest, ceteris paribus, velle sibi potius quam debitori consulere, meliorque est ipsius conditio quam debitoris, cum jus habeat rem sibi debitam exigendi.

Colliges 2^o. eam non teneri statim restituere qui id non potest efficere, quin excidat è statu legitime comparato: ut verò restituendi facultatem acquirat, debet superfluos sumptus refecare, tum in equorum numero, tum in famulorum multitudine, tum in vestibus & cibis, demùm sibi subtrahere quicquid ad statum retinendum absolute non requiritur; quã in re utendum est consilio sapientissimi & peritissimi Rectoris.

Hic autem quædam sunt annotanda cum Sylvio & Collatore Parisiensi: 1^o. Non permittendum est ut restitutionem protrahant, qui debitis sic opprimuntur, ut in suo statu non nisi cum bonis alienis sese sustentent; ratio est, quod tunc non sua bona dimittant, sed aliena quæ injuste retinebant; quapropter jubent suprema Curia Magnatum prædia ex edicto publicari, (*vendre par décret*), cum ipsorum debita eò pervenere, ut omnia eorum bona quasi absorbeant.

2^o. Si debitores restitutionem licite differendo, fuerint creditoribus alicujus damni causa, illud postea ad ipsos rescarcendum est Tibi, v. g. centum aureos debeo, quos tibi restituere cum distulerim, necesse tibi fuit parem summam mutuari cum fœnore, ad domum rescarcendam; in eo casu postulat justitia & restitutionis integritas, ut tibi centum aureos refundam, & quicquid fœnoris solvisti.

3^o. Restitutionem protrahere licet, cum debitor multos habens creditores uni restituere non potest, quin facultatem sibi eripiat aliis satisfaciendi; modo tamen sit locus sperandi, fore ut illa cunctatione possit omnes suas obligationes implere. Lex enim non jubet unius commodis consulere cum aliorum

Detrimto. Si verò debitor nunc habeat unde possit omnibus creditoribus quod suum est rependere, tunc differre non licet sub eo prætextu, quod lucrum ex præsentī pecunia faciendum, ipsi facultatem dabit omnia solvendi debita, nihil è sua re amittendo. 1^o. Quia supponitur creditores ex illa dilatione damnum pati; 2^o. quia pecuniam alienam periculo exponit; quæ si fortuito quodam casu pereat, ut frequens accidit in commercio, tunc nulla spes creditoribus supererit, quod sibi debitum est recuperandi.

4^o. Si quis non ex infortunio, sed suã culpã, ut ludis, comestationibus indulgeret, æris alieni multum contraxerit, quod solvere nequeat nisi proprium statum amittendo, non potest restitutionem differre; sed tenetur statum suum, etiam justè acquisitum, dimittere, sibi que illud damnum imputare debet.

5^o. Qui rapinis, fraudibus usuris, aut aliã viã injustã pinguem fortunam comparavit, & supra conditionem suam sese extulit, non potest restitutionem differre sub prætextu quod è suo statu excideret. Ratio est, quod suum statum non amittat, sed alienum, ad propriumque revertatur. In suis bonis damnum non patitur; liquidem non sua sunt, sed aliena. Quapropter usurarii, publicani qui magnas opes injustè consecuti, è vulgari sua conditione emerferunt, in priorem statum debent recidere, si aliter restituere nequeant.

Si tamen hujusmodi debitor famam viri probi obtinisset, quia ipsius usuræ & fraudes latent, tunc cogendus non esset quicquid injustè acquisivit statim restituere, & in priorem conditionem relabi, si illud fieri non possit, quin infamiam notam sibi inurat, suaque furta quasi in mediam lucem proferrat; maxime verò si inde occasionem arripere queant Judices, in ipsius rapinas, peculatus, &c. inquirere. *Cum quilibet*, ait S. Antoninus, *debeat providere conservationi famæ suæ, potest talis differre*

restitutionem usque ad tempus quo non deprehendatur in crimine & diffametur, si aliter provideri non potest. (part. 2. summ. tit. 2. cap. 8.)

In eo casu licitum videtur ipsi permittere, ut paulatim & quasi frustatim, modo huic, modo illi restituat. Sed tunc severiore parcimoniâ uti debet, & reseccare quidquid in famulis, in equis, in vestibus, in mensa superfluum est. Necesse est etiam suum statum, suaque bona sine ulla dissimulatione exponere prudentissimo animarum Rectori, ut judicet quid debitor statim, illâsâ famâ, restituere possit. Cavebit autem Rector ne hujusmodi debitores creditoribus satisfaciant ex scœnore è pecunia quam mutuam dedit percepto: tunc enim novum crimen committerent, nedum vetera expiarent.

CAPUT II.

De Restitutione in specie.

TRIPPLICIS generis sunt bona, pro quibus injuste raptis fieri debet restitutio, scilicet bona corporis, famæ & fortunæ: de singulis seorsim differendum.

ARTICULUS I.

De Restitutione ob damnum bonis corporis illatum.

Hic inquirere solent Theologi quid restituendum sit 1^o. propter homicidium & mutilationem; 2^o. propter stuprum & adulterium.

PARAGRAPHUS I.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quid restitui debeat propter homicidium & mutilationem.

Quæres 10. quid restituere teneatur, qui alium injustè læsit vel occidit.

Resp. Tenetur solvere integros sumptus in curando vulnere factos, & compensare omne lucrum cessans, & damnum ex homicidio & mutilatione emergens, quia horum omnium efficax & iniqua fuit causa. Hæc restitutio locum habet, etiam cum reus aliquâ pœnâ civili multatus fuit: ista enim non refarcitur damnum alteri illatum. Verum quidem est nullo æquali pretio compensari posse injuriam morte vel mutilatione importatam; sed inde pererâm cum quibusdam Theologis concluderetur restitutionem pecuniariam ab eo non deberi qui hominem interfecit vel mutilavit: *In quibus non potest recompensari æquivalens*, ait S. Thomas, *sufficit quod ibi recompensetur quod possibile est*; ... putâ cum aliquis alteri abstulit membram, debet eî recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri. (2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 1.)

Quapropter si læsus ex officio, industriâ, labore vel aliquo artificio questum faceret, teneretur mutilator restituere, pro ratione lucri quod prudentium hominum judicio percepturus erat læsus, spectatis omnibus circumstantiis. Lucrum enim cessans æstimari debet, inspectis hominis occisi vel mutilati valetudine, robore, ætate, peritiâ, arte, iis tamen deductis quæ ipse consumpisset; quæ enim consumpturus erat, non possunt bonis ad hæredes provenientibus annumerari. Quod si homicida vel lædens moriatur antequam restituerit, tenentur hæredes ex ejus bonis restituere. Nam sicut in omnia defuncti bona & jura, ita & in omnes ejus obligationes succedunt,

restitutionem usque ad tempus quo non deprehendatur in crimine & diffametur, si aliter provideri non potest. (part. 2. summ. tit. 2. cap. 8.)

In eo casu licitum videtur ipsi permittere, ut paulatim & quasi frustatim, modo huic, modo illi restituat. Sed tunc severiore parcimoniâ uti debet, & reseccare quidquid in famulis, in equis, in vestibus, in mensa superfluum est. Necesse est etiam suum statum, suaque bona sine ulla dissimulatione exponere prudentissimo animarum Rectori, ut judicet quid debitor statim, illâsâ famâ, restituere possit. Cavebit autem Rector ne hujusmodi debitores creditoribus satisfaciant ex scœnore è pecunia quam mutuam dedit percepto: tunc enim novum crimen committerent, nedum vetera expiarent.

CAPUT II.

De Restitutione in specie.

TRIPPLICIS generis sunt bona, pro quibus injuste raptis fieri debet restitutio, scilicet bona corporis, famæ & fortunæ: de singulis seorsim differendum.

ARTICULUS I.

De Restitutione ob damnum bonis corporis illatum.

Hic inquirere solent Theologi quid restituendum sit 1^o. propter homicidium & mutilationem; 2^o. propter stuprum & adulterium.

PARAGRAPHUS I.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quid restitui debeat propter homicidium & mutilationem.

Quæres 10. quid restituere teneatur, qui alium injustè læsit vel occidit.

Resp. Tenetur solvere integros sumptus in curando vulnere factos, & compensare omne lucrum cessans, & damnum ex homicidio & mutilatione emergens, quia horum omnium efficax & iniqua fuit causa. Hæc restitutio locum habet, etiam cum reus aliquâ pœnâ civili multatus fuit: ista enim non refarcitur damnum alteri illatum. Verum quidem est nullo æquali pretio compensari posse injuriam morte vel mutilatione importatam; sed inde pererâm cum quibusdam Theologis concluderetur restitutionem pecuniariam ab eo non deberi qui hominem interfecit vel mutilavit: *In quibus non potest recompensari æquivalens*, ait S. Thomas, *sufficit quod ibi recompensetur quod possibile est*; ... putâ cum aliquis alteri abstulit membram, debet eî recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri. (2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 1.)

Quapropter si læsus ex officio, industriâ, labore vel aliquo artificio questum faceret, teneretur mutilator restituere, pro ratione lucri quod prudentium hominum judicio percepturus erat læsus, spectatis omnibus circumstantiis. Lucrum enim cessans æstimari debet, inspectis hominis occisi vel mutilati valetudine, robore, ætate, peritiâ, arte, iis tamen deductis quæ ipse consumpserat; quæ enim consumpturus erat, non possunt bonis ad hæredes provenientibus annumerari. Quod si homicida vel lædens moriatur antequam restituerit, tenentur hæredes ex ejus bonis restituere. Nam sicut in omnia defuncti bona & jura, ita & in omnes ejus obligationes succedunt,

Quæres 2^o. an teneatur ad restitutionem qui; præter voluntatem, aliquem occidit vel lædit.

Resp. considerandum esse utrum illud malum ex casu fortuito contigerit; an verò sit actionis alicujus illicitæ vel imprudentis consecutarium. Exempli gratiâ, aliquis operam dans ludo, gallicè dicto *jeu de mail*, lædit hominem per locum huic ludo destitutum inconsultè transeuntem: ludens ad restituendum non tenetur, quia casus est fortuitus qui ipsi imputari non debet, cum ex ejus culpa non acciderit.

Si verò malum illud ex quadam actione illicita vel imprudente ortum habuit, quamvis præter agentis intentionem, ille profecto damnum inde consecutum rependere tepetur. Aliquis, v.g. prædicto ludo sese oblectans in via publica, hominem illac fortè transeuntem globo lusorio ferit & fauciat. Imprudens istud factum culpâ non vacat, siquidem hujusmodi ludus in viis publicis est prohibitus. Non dubitandum est igitur quin lusor ille debeat damnum compensare suâ temeritate illatum. Idem de iis sentiendum, qui vasa supra fenestras collocant, vel aliquid per eas in vicum (*rue*) desiciunt, quamvis id civili disciplinâ (*la police*) prohibitum fuerit. Si vasa illa è fenestris in vicum delapsa, si res per eas in vicum dejectæ quempiam transeuntem occidant vel lædant, in restituendi obligationem statim incurritur. Eidem obnoxii sunt qui habent animalia vitiosa, boves cornu ferientes, equos calcitrosos, canes mordere solitos, nisi hæc animalia teneant inclusa, vel transeuntes, ut sibi caveant, præmonuerint. Ita Collator Parisiensis. (*Tom. 4. lib. 6. Confér. 1. §. 5.*)

Quæres 3^o. quibus restituere teneatur occisor vel mutilator.

Resp. restituendum esse patri, matri, liberis & uxori, quia si omnes censentur unâ & eadem persona cum occiso vel læso: idcirco qui interfecit

aliquem, censetur læsisse ejus uxorem, liberos, patrem & matrem, & proinde his singulis damnum intulisse; quamobrem tenetur occisor 1^o. uxori & liberis defuncti victum & vestitum pro eorum conditione subministrare; 2^o. ipsius patrem & matrem alere, si dum viveret illorum filius, ab eo victum reciperent; 3^o. curare ut filia dotem & filii ratum obtineant, quales à patre suo probabiter habuissent, si diutiùs vixisset.

Sed minimè tenetur, juxta communem sententiam, restituere aliis consanguineis, fratri, nepoti & aliis quos occisus sustentabat; quia iis solis debetur restitutio, quorum jus strictum violatum fuit: atqui fratres, nepotes & alii in bona defuncti jus strictum non habent, siquidem eos ab hæreditate potuit excludere.

Quæres 4^o. utrum occisor teneatur solvere occisi debita, quæ ipse solvisset, si diutiùs vixisset.

Resp. Quidam Theologi sententiam affirmantem defendunt. Cum enim occisor, inquit, causa sit cur creditoribus non satisfiat, tenetur damnum cujus autor est compensare. Negant autem alii plures, 1^o. quia creditores sui debiti solutionem percipere non possunt nisi ex bonis sui debitoris. 2^o. Quia detrimentum quod patiuntur, per accidens tantummodo sequitur ex debitoris sui morte. Ita Collator Andegavensis (*Confér. sur les contrats 2. tom. 2. pag. 157. Juenin, résol. des cas de Consc. tom. 4. traité 22. chap. 4. §. 6. demande 20.*)

Quæres 5^o. utrum occisor à restitutione sit immunis, si occisus moriendo declaraverit ei se condonare.

Resp. eum non esse à restitutione immunem; præfatâ enim declaratione hoc unum significavit occisus, nimirum se nihil odii, nullumque vindictæ desiderium retinere erga interfectorem, quem fuerat dilectione prosequitur. Præterea in alicujus

occisione multiplex occurrit injuria, altera scilicet quæ sit occiso, & ab eo remitti potest; altera quæ ejus uxori & filiis inferatur; hæc autem non nisi ab uxore, filiis, &c. condonari potest, cum nequeat occisus cedere jus alterius.

PARAGRAPHUS II.

Quid restituendum sit propter stuprum & adulterium.

Quæres 10. quid restituere teneatur stuprator virginis.

Resp. 1^o. Qui sine vi, fraude, dolo, precibusve importunis, verum ex libero virginis consensu; turpem ejus corporis usum obtinuit, in foro conscientie nihil ei debet, quia scienti & sponte consentienti, suoque jure cedenti nulla sit injuria. Si tamen stuprator puellæ, crimen jactando ipsam diffamaverit, tenetur damnum inde proveniens compensare, cum injusta sit illius causa. Tunc debet eam vel ducere, si potest, vel quamdam pecunie summam illi dare, ut perinde ac antea nubere possit. Dixi autem, *in foro conscientie*; in foro enim externo cogitur corruptor vel puellam in uxorem accipere, vel injuriam ipsi illatam multa pecuniaria compensare, quia censetur eam seduxisse, nisi contrarium probaverit.

Resp. 2^o. Qui violentiâ, fraude, vel importunis precibus adhibitis, virginem vitiauit, debet restituere quicquid damni in puellam aut parentes ejus inde consecutum est. Tenetur eam ita dotare, ut vel nubere, vel alium statum amplecti possit, perinde ac si injuriam de qua agitur non accepisset. Debet præterea victum ipsius conditioni parem ministrare, si post contractum Matrimonium, maritus, cognita turpitudine quam passa est, licet invita, ipsam deserat à domoque sua ejiciat. Cur enim tam durè cum ea maritus agat, stuprator causa est primaria.

Quæres 20. utrum qui sub ficta Matrimonii promissione puellam vitiauit, teneatur eam ducere.

Resp. Ad eam ducendam tenetur, seu verè, seu fictè promiserit. Ratio est quod promissio vim suam non repetat ex interiori promittentis intentione, sed ex vulgari & obvia verborum quibus enuntiatur, significatione: alioqui nihil tutum esset in humanâ societate; puellam igitur ducere tenetur stuprator, si id exterius promiserit, quamvis interiori non habuerit sese obligandi intentionem. Quod responsum maximè consentaneum est huic regulæ juris: *Fraus, dolus nemini debent patrocinari.*

Nonnulli tamen casus excipiuntur; 1^o. si puella sese virginem, nobilem, divitem fixerit, cum talis non esset, quia tunc decipere, potius quam decipi censetur; 2^o. cum fictam esse promissionemprehendere potuit, vel ex ambiguitate verborum, vel ex magna conditionum disparitate, ut si vir dives ac nobilis sit, puella autem vilis ac inops: tunc enim deceptionem sibi debet imputare; 3^o. ubi deinceps cum alio peccat, liquidem eam ob causam dirimuntur etiam sponsalia; 4^o. quando ex promisso Matrimonio prudenter timentur graves discordiæ inter familias, scandala, alique id genus infelices exitus: tunc enim immeritò conquereretur, quòd Matrimonium non fieret, modo damnum aliunde compensetur; 5^o. cum ex parte promittentis impedimentum est dirimens, ex quo Papa solvere non solet, v. g. si sacros Ordines susceperit.

Quæres 30. ad quid teneatur adulter.

Resp. 10. Si proles ex adulterio non fuerit consecuta, nullus est restitutioni locus, quia nullum fuit damnum, sed injuria duntaxat erga maritum; ipsi proinde non restitutio debetur, sed honoraria tantum satisfactio quam adulter exhibebit, veniam petendo, suumque dolorem testando pro injuria à se illata, si tamen cognita fuerit.

Resp. 2^o. Si proles ex adulterio nata fuerit, tenetur adulter 1^o. alimenta subministrare proli ab anno tertio & deinceps, donec se ipsam alere possit; imò eam vel ab ipso partu nutrire debet in defectum matris, cujus est primo triennio spuriam prolem alere, ut in utroque jure statuitur; 2^o. refarcire damnum quod maritus adulteræ, & legitimi hæredes patiuntur ex filii suppositi educatione & hæreditatis partitione, quia illius damni causa est.

Resp. 3^o. Cum dubitat adulter an proles sua sit, an mariti, eum à restitutione liberant nonnulli Theologi; sed probabilior est opposita sententia. Ab æquitate enim alienum videtur, ut maritus innocens totum subeat onus educandæ prolis, quæ fontè sua non est, dum adulter infamis ad ejusdem prolis quæ fortè sua est, victum nihil conferret.

Theologi qui aliter opinantur, objiciant 1^o. illud juris effatum: *Pater est quem nuptiæ demonstrant*; sed immerito proliis, ut ita exponit Autor supplementi Collationum Andegavensium: *Il faut bien distinguer l'état de l'enfant, d'avec le crime qu'on doute lui avoir donné naissance. Ces deux articles très-différens, doivent se décider par différens principes. Du côté de l'enfant, tout est favorable; les Loix assurent son état, qu'un simple doute ne peut lui faire perdre: mais la faveur de l'enfant ne réjaillit point sur l'adultère coupable. Les mêmes Loix qui assurent l'état du premier, n'en détachent pas moins le crime qui a pu lui donner naissance: s'il étoit dénoncé & prouvé, indépendamment de l'effet qu'il a pu avoir, il ne seroit pas moins rigoureusement puni. A plus forte raison dans ce qu'elle s'en ordonne, elles ne donnent aucune atteinte aux règles de morale, par lesquelles on doit prononcer sur la restitution que ces règles prescrivent en cas semblable. Or, en cas de doute sur l'efficacité d'une action, en elle-même certainement injuste, c'est un principe général, qu'on est tenu de restituer, à proportion du fondement du doute qu'on en a (pag. 618 & 619.)*

Objiciunt 2^o. istud alterum effatum: *In dubio melior est conditio possidentis*: adulter verò bona sua possidet, & aliundè dubitat utrum sua sit proles, an mariti.

Resp. eodem axiome prorsùs everti adversariorum opinionem. Maritus enim adulteræ sua bona possidet; in dubio igitur an proles sit ipsius, æquum non est ut cum boni sui damno prolem dubiam alat, quasi certò foret sua. Praterèa certum inconcussumque est principium, simplex dubium non esse titulum, quia à restitutione prorsùs eximat: quo pacto igitur privilegium illud obtinebit in casu proposito, ubi crimen est certum, manifesta injustitia, effectusque solus incertus? Tandem *quando constat*, inquit Habert, *crimen admissum fuisse sufficiens ad damnum inferendum, præsumptio est contra nocentem*: (part. 2. cap. 9. §. 2. quest. 4.) atqui in casu præsentis certum est adulterii crimen; nec minùs constat illud sufficere ad damnum marito inferendum; ergo *præsumptio contra adulterum esse debet*, quem proinde à restitutionis officio immunem facere non licet.

Quæres 4^o. ad quid teneatur adulteria crimini consentiens, si iade proles fuerit consecutà.

Resp. Cum per actionem injustam ad damnum non parùm contulerit, tenetur illud pro sua parte compensare. Id verò efficere potest, si bona propria habeat, ex iis plus relinquendo filiis legitimis, quàm spurio. Si propriis bonis careat, rem domesticam diligentius administrabit, de sumptibus quos in corporis sui cultum priùs impendere consueverat, refecabit quicquid pro sua conditione poterit.

Si verò mulier nequeat damnum illud refarcire, non idcirco tenetur crimen suum vel marito, vel filio spurio detegere. 1^o. Quia hujusmodi cofessio multis obnoxia est periculis: uxorem enim exponere gravi infamiae, maritique odio & vindictæ, imò & mortis discrimini. 2^o. Quia parùm utilis est:

filius enim matri non credit; nullus quippe tenetur cuiusquam, maximè verò turpitudinem suam allegantis, testimonio credere suum in detrimentum, juxta istam juris regulam: *Alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides.*

ARTICULUS II.

De Restitutione famæ & honoris.

Fama est bona opinio de aliquo concepta; læditur imprimis per detractionem & calumnia. Detractio autem est occulta famæ alienæ læsio, vel imminutio: dixi *occulta*; in hoc enim differt à contumelia quâ alicujus honor apertè, eoque præsentè, violatur. Calumnia est falsi criminis aut vitii impositio: sub detractione, ut species sub genere, continetur.

Quæres 1o. quot modis fieri possit detractio.

Resp. eam variis modis committi. Detractionis autem præcipuè rei sunt 1o. qui commentitium crimen aut vitium proximo imponit: quia in re duplex occurrit flagitium, nempe mendacium & detractio, quod in confessione aperiendum est; 2o. qui occultum proximi peccatum sine causa legitimâ detegit; 3o. qui alicujus factum ex se honestum & bonum malam in partem apud alios interpretatur: maledicentissimi sunt hujusmodi homines, qui rem primo aspectu bonam detorqueunt in pravam intentionem, & temerè scrutantur intimos animi recessus, in quibus latere peccatum didicant, licèt in opere externo quod inspiciunt, nihil nisi laudabile appareat; qui ita agunt duplex committunt peccatum, nempe judicii temerarii & detractionis: utrumque in confessione declarandum est; 4o. qui alterius præclaram dotem vel actionem inficiatur: sic enim bonam opinionem de proximo

conceptam ex audientium animis revellit; 5o. qui alterius bonas dotes, vel rectè facta, verbis aut signis, quantum potest, extenuat, sicque proximi existimationem imminuit, si non ex omni parte labefactat.

Quæres 2o. quale peccatum sit detractio.

Resp. eam esse peccatum ex genere suo mortale; Nemo enim dignus est morte, nemo excluditur è Regno cælorum, nisi propter peccatum mortale; atqui, teste Apostolo, *detractores digni sunt morte*; (Rom. 1. v. 30 & 32.) *neque Regnum Dei possidebunt.* (1. Cor. 6. 10.) Dixi autem detractionem esse peccatum *ex genere suo mortale*: potest enim ob levitatem materiæ esse culpa venialis tantum. Gravior autem est detractio per libellum famosum commissa, quàm ea quæ fit vivâ voce; tum quia latius disseminatur ad plures, quæ permanat, tum quia vix aboleri potest.

Quæres 3o. quandonam gravis sit detractionis materia.

Resp. generatim eam gravem esse, quotiès aliquid temerè revelatur, undè plurimum detrimenti patiatur proximi fama. Hinc 1o. peccata etiam venialia gravem efficere possunt detractionis materiam, si nimirum spectetur conditio personæ, quæ v. g. ecclesiasticâ dignitate fulgeat: peccata enim quæ levia dicuntur, & quæ mediocris vel infimæ fortis homines non dedecorant, magnam iis infamiam aspergunt, qui ex statu, munere, officio debent ceteris virtute præstare. 2o. Mortaliter peccaret qui de proximo ea narraret quæ, licèt nullam ex parte ipsius culpam arguant, gravem nihilominus infamiam asserre solent: ut si de aliquo dixeris eum esse spurium, vel ipsius patrem suspensum, aut triremibus damnatum fuisse. 3o. Gravis detractionis rei sunt qui, licèt generalibus & ambiguis verbis utantur, grandis tamen ejusquam

criminis suspensionem in audientium animis excitant, ideoque fama proximi plurimum nocent; ut si diceret te posse alicui quadam exprobrare, quibus pudore suffunderetur, vel de eo nonnulla revelaturum esse, nisi aeternum de his silentium caritas tibi imperaret.

Quæres 4^o. quamnam causam detrahentem à peccato excuset.

Resp. duas esse: prima est justitia, quando scilicet aliquis ex officio suo tenetur crimen ab alio perpetratum manifestare: secunda est caritas, cum aliquis non potest aliter damnum impedire, sibi vel proximo imminens. Hinc à peccato liberi sunt 1^o. qui ex caritate sibi debita, injuriam sibi occultè illatam, alicui eo animo revelat, ut consilium vel auxilium petat, ad damnum præcavendum aut resarciendum; 2^o. qui caritate ductus Superiores aut patresfamilias monet de subditorum, filiorum vel famulorum vitiis, ut eos reprehendant & coercerent; 3^o. qui Medici, Advocati, Confessarii inscitiam detegit: illud enim Reipublica interest; item qui candidati ad officium aliquod aut beneficium promovendi pravitatem declarat; 4^o. qui juvenes admonet de vitiis quorundam sociorum, ut periculofam horum societatem fugiant. In his tamen omnibus, ut christianè te geras, cave ne crimen plus aut pluribus detegatur, quàm necesse sit ad malum depellendum.

Quæres 5^o. quis ad famam restitutionem teneatur.

Resp. obligationem hanc ad illos omnes spectare, qui proximi famam violaverunt, vel ad eam violandam contulerunt. Hujusmodi sunt 1^o. qui detrahentem ita pronis auribus audiunt, ut eum excitent, significando se ex ejus sermone quamdam capere delectationem; 2^o. qui detrahenti non obfistunt, quamvis ex officio illum impedire teneantur, quales sunt Superior, patresfamilias, &c.

tunc enim fiunt detractionis participes. Quod si resistere apertè non possis, vel discedendum est, vel alibi transferendus sermo, vel corrugata fronte & tristi vultus specie indicandum, te ab audienda detractione abhorre, juxta illud Proverbiorum: *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* (cap. 25. v. 23.)

Quæres 6^o. quid restituere teneatur detractor.

Resp. A detractore 1^o. restituenda est fama injustè ablata; tum apud eos quibus occultum proximi crimen revelavit; tum apud eos quibus à primis audientibus pervulgatum fuit: id enim sibi imputare debet, cum facillè potuerit prævidere detractionem esse pervagaturam. 2^o. Resarciendum est quidquid damni ex detractione fluxerit: sic qui detrahendo impedivit ne bonum quidpiam alter consequeretur, debet hanc boni privationem compensare, cum illius autor fuerit; pariter qui alterum infamando, causa fuit cur bonum à se comparatum amiserit, tenetur totum illud damnum reparare.

Quæres 7^o. quomodo fama sit restituenda.

Resp. Vel detractor falsum crimen alteri imposuit, vel crimen verum, sed occultum pro palavit. Si primum, debet calumniator verba sua retractare apud eos qui illum audierunt, & si fides ipsi non habeatur, suam retractionem testibus, imò ubi necesse est, juramento confirmare: postulat enim æquitas ut quæ possumus viâ bonum injustè ablatum restituamus.

Si secundum; id est, si detractor verum, sed occultum crimen manifestaverit, non debet quidem priora verba revocare: nunquam enim mentiri licet; sed aliâ ratione ablatam proximo famam restituet, quod variis modis fieri potest: 1^o. his quid detractionem audierunt declarando se perperam & contra jus, hoc vel illud crimen proximo im-

putasse, idque factum ex iræ, vindictæ, odi alteriusve cupiditatis motu. In his autem loquendi modis nihil prorsus est mendacii: verum est enim detractorem perperam & immeritò proximi crimen revelasse, dum erat occultum; verum est eum contra justitiam peccasse, siquidem hæc vetat ne alicujus culpam alius incognitam evulgemus; verum est denique eum ex alicujus cupiditatis impulsu egisse: nemo quippè, nisi tacitâ quâdam animi cupiditate incitatus, v. g. invidiâ, superbiâ, odio, de proximo detrahit.

2º. Violatam proximi famam restituere poterit detractor, si eum sapè laudet cui infamiam intulit, si honorificè de eo loquatur, quoties sese dabit occasio: hoc enim modo sensim illius famam tantùm illustrabit, quantum ex altera parte obscuraverat.

3º. Potest detractor vel per se, vel per alios, ab eo cujus famam læsit petere & obtinere, ut reparandæ injuriæ obligationem ipsi remittat & condonet; idque præferim locum habeat, cum judicat maledicus se, quidquid præstiterit, nunquam assecuturum ut quam proximo rapuit famam, restituat.

Quæres 8º. quanam causâ à restituendæ famæ obligatione excusetur.

Resp. Prima causa est condonatio infamati, qui jure suo cedere potest, modò tamen ejus fama non sit ei necessaria ad munus suum dignè utiliterque obeundum, nec infamia redundet in alios; tunc enim invalida esset condonatio. *Nostri arbitrii est*, inquit S. Thomas, *detrimentum famæ nostræ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.* (2. 2. q. 73. art. 4. ad 1.) Sic, v. g. non potest Pastor calumniam sibi impactam condonare, si inde ministerium suum fieret gregi suo inutile; vel multò minus utile. Pariter famæ sibi restituendæ obligationem remittere nequit Religiosus, cum ipsius

infamia in Ordinis sui probum & dedecus vertetur; ratio est, quia potest quidem aliquis jure suo cedere, sed aliorum jus remittere nec valet, nec debet.

Secunda causa est inutilitas, ut 1º. si crimen occultum quod aliquibus revelatum fuit, aliâ viâ in publicam lucem evolaverit; 2º. cum nulla infamia detractionem fuit consecuta; sive quia jam noverant audientes quod narravit detractor; sive quia ipsius verbis nullam fidem adhibuerunt; 3º. si fama aliundè fuerit reparata, ut quando per sententiam Judicis innocens declaratus est, qui infamia fuerat aspersus; 4º. ubi detraçtio in oblivionem penitus abiit. In iis casibus restituendæ famæ obligationem tollit inutilitas.

ARTICULUS III.

De Restitutione ob damnum bonis fortunæ illatum.

Proximo in bonis fortunæ damnum inferitur per furtum & rapinam. Furtum autem definitur: *Occulta rei alienæ ablatio, domino rationabiliter invito.* Dicitur 1º. *occulta ablatio*, id est, quæ fit, domino nesciente, sic enim furtum distinguitur à rapinâ; 2º. *rei alienæ*, quo nomine intelligitur quidquid alterius juri subjacet, sive sit illius dominus, sive non; 3º. *invito rationabiliter domino*, quia furtum non committit qui domino citra rationem invito rem aliquam auferit. Ideo qui in extrema necessitate rem alienam clam occupat, quæ proffus indiget ad vitam servandam, nec potest aliter eam sibi comparare, furti non est reus. In eo quippè casu dominus non potest merito conquiri, quòd sua res sibi auferatur.

Quamvis autem, spectato jure naturali, id liceat, non tamen sine maximo periculo fieri

posset in presenti societatis civilis statu. Si quis enim in facto deprehensus fuisset, capite damnaretur. En exemplum quod narratur in Dictionario Jurisprudentiæ: *Dans la famine de 1709, entre plusieurs jugemens semblables, il y en a un de Mâcon, par lequel de pauvres paysans qui, pour échapper à la mort, avoient volé quelques coupes de bled, entassés par un monopoleur, furent condamnés à être pendus. (Diction. de Jurisp. art. affamer, n. 4.)*

Quando res aliena est sacra, vel in loco sacro, furtum dicitur *sacrilegium*; si pecora sint, vocatur *abigeatus*, quia cum aliquis animalia furatur, ea prae se abigit; ubi res ad fiscum vel ararium publicum pertinet, tunc furtum appellatur *peculatus*: quod furtum Publicani variis committunt modis, cum alii quicquid receperunt suis in libris non consignant; alii plus exigunt, quam à Principe constitutum sit; alii pecuniae jam receptae solutionem differunt, eamque interim mutuam dant in usuram.

Rapina est violenta rei alienae usurpatio, seu domino praesente & invito, facta. A simplici furto specie differit. Furtum enim proximo non infert injuriam, nisi in suis bonis; rapina vero insuper adjunctam habet specialem injuriam, ipsimet proximi personae factam, è cujus scilicet manibus sua res violenter extorquetur; cum igitur haec circumstantia peccati speciem mutet, in confessione aperienda est. Rapinae reus est quisquis per vim vel incussum metum alteri damnum infert.

Quaeres 1^o. quodaam peccatum sint furtum & rapina.

Resp. peccatum esse ex genere suo mortale; siquidem furtum & rapina è Regno caelorum excludunt, sic testante Apostolo: *Nolite errare, neque fures, neque rapaces Regnum Dei possidebunt. (1^a Cor. 6. v. 9. 10.) Omnis fur judi-*

cabitur, id est, condemnabitur. (Zach. 5. 3.) Furtum tamen potest esse veniale tantum ob levitatem materiae. Quandoam autem in furto res levis aut gravis censenda sit, incertum est, nec statui potest regula generalis. Gravitati furti pruden-
tius aestimanda est, non tantum ex quantitate rei ablatae, sed etiam ex circumstantiis. Furtum enim rei levis potest esse mortale, 1^o. ratione damni quod inde emergit, ut si artificii instrumentum auferas, cujus defectu per dies multos operas suas perdere cogatur; 2^o. ratione intentionis, ut quando exiguum aliquid surripiendo, animum habuisti plura furandi, si potuisses; quae de re interrogandi sunt poenitentes in confessione.

Quaeres 2^o. an mortaliter peccet qui minima furtiva successivè adversus eundem committit.

Resp. eum mortaliter peccare, si ab initio animum habuerit magnam colligendi summam, quia intentio graviter nocendo proximo, grave est peccatum. Idcirco tam venditores quam emptores qui vel stateris, vel mensuris, vel ponderibus dolose utendo, modica furantur cum animo continuandi, statim à prima vice in peccatum mortale incurrunt. Lethaliter etiam peccat qui, licet ab initio intentionem non habuerit summam notabilem colligendi, ad eam tamen repetitis vicibus pervenit; quia tunc bonum alienum in magna quantitate retinet injuste. Quamvis enim pars ultima in se levis sit, cum praecedentibus tamen moraliter juncta, materiam gravem efficit. Hinc ab Innocentio XI damnata est an. 1679 ista propositio: *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ab alio est per pauca furtiva, quantumcumque sit magna summa totalis.* Eadem propositio deinde à Cleto Gallicano proscripta fuit an. 1700 tanquam falsa, perniciosa, & iusta etiam gravia approbans. (Mém. du Clergé, tom. 1. pag. 726.)

Unde sequitur peccati mortalis reos esse famulos

& ancillas, qui per multiplex furtum leve, notabilem rei alienæ quantitatem subriperunt; item liberos qui parentibus quidpiam modicum iteratis vicibus suffurantur.

Quæres 3^o. utrum peccet mortaliter qui pluribus modica subripiat, quæ simul juncta gravem summam constituunt.

Resp. Qui modica multis furatur, quamvis singulis notabile damnum non inferat, mortaliter peccat; alioqui venditores fallacibus mensuris & ponderibus utendo, possent citra peccatum mortale ditescere ex minutulis hujusmodi furtis: atqui contrarium testatur Scriptura his verbis: *Non habebis in saculo diversa pondera, majus & minus... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc.* (Deut. 25. v. 13 & 16.) Præterea qui multis fortim levia quædam surripit, ex quibus junctis coalescit summa notabilis, is certe voluntatem habet grandem rei alienæ copiam possidendi: atqui hujusmodi voluntas non potest esse sine peccato mortali, ergo, &c. Denique ex opposita sententia sequeretur hominem qui ingentem frumenti copiam, trecentas v. g. mensuras furaretur, non esse mortaliter peccaturum, si quantitatem hanc deciperet ex frumenti acervo, qui ad omnes magnæ alicujus urbis cives divites aequaliter pertineret; horum quæ prope nullus fortim sumptus grave damnum ex hoc furto pateretur: atqui tamen absurdum est hujusmodi furem mortaliter non peccare.

Quæres 4^o. an filii familias qui parentum bona subripiant, peccent & restituere teneantur.

Resp. eos mortaliter peccare, si quid notabile furentur, quia rerum paternarum non sunt domini. Quiniam filii qui contra parentem voluntatem, pecuniam ad honestos usus datam expendunt in res vanas aut turpes, verum committunt furtum:

in hanc enim pecuniam id tantum juris habent, quod à parentibus concessum fuit: ii autem nolere ut filii sui acceptam ab iis pecuniam in pravos usus conferrent. Hinc colliges teneri filios familias parentibus ablata restituere, quando possunt, si nimirum habeant *castrensia*, aut *quasi castrensia*. Si verbò reddere nequeant, debent post mortem parentum in hæreditatis cum fratribus partitione, suam in sortem computare quod furripuerunt, nisi debitum illud pater condonavert.

Ubi tamen non agitur de summa notabili, & parentes commodè vivunt; si de liberorum dissipatione certiores facti, eorum debita solverunt, nullà ipsis obligatione imposità, hæc solutio videtur condonationis (*remise*) vicem gerere. Si verbò grandis fuerit pecuniæ summa, & parentes mediocri fortunâ utantur, filiorumque creditoribus non satisfecerint, nisi honoris servandi gratiâ, vel ut quibusdam incommodis occurreretur; tunc filii decoctores tenerentur damnum suis fratribus & sororibus illatum compensare.

Quæres 5^o. quandonam uxor & maritus erga se invicem furti sint rei, & restituere teneantur.

Nota 1^o. Triplicis generis sunt uxoris bona, scilicet *paraphernalia* quæ præter dotem attulit, vel acquisivit donatione, legato vel alio modo sine mariti opera; *dotalia* quæ marito tradidit ad sustentanda Matrimonii onera; *communialia* quæ per tempus Matrimonii ex communi labore & industria provenerunt.

Nota 2^o. uxor ex jure communi 1^o. in bona *paraphernalia* plenum habet dominium, eorum scilicet tum proprietatem, tum usumfructum; 2^o. in *dotalia* non retinet nisi dominium directum, id est, solam eorundem proprietatem; penes verbò maritum est illorum administratio & ususfructus; 3^o. uxori etiam competit proprietas bonorum *communialium*, quoad mediam partem; horum autem

administratio & usufructus pertinent ad maritum. His præmissis.

Resp. 1^o. Uxor peccaret contra justitiam & teneretur restituere viro, vel ipsius hæredibus, si quid de bonis dotalibus vel communibus subtraheret, invito rationabiliter marito: tunc enim violaret jus illius, siquidem solus habet hujusmodi honorum administrationem. Ex iis tamen potest uxor absque furto aliquid occultè sumere, 1^o. ad faciendas elemosinas suæ conditioni convenientes; 2^o. ad suam suæque familiae victum & cultum, si utrumque recaset maritus; 3^o. ad depellendum grave aliquod damnum à marito; 4^o. ad impediendum grande familiae detrimentum, v. g. si maritus bona familiae dilapidet in ludos, comessationes, aliave similia; 5^o. ad subveniendum matri, patri, vel proli ex alio Matrimonio susceptæ, quando graviter indigent: tenetur tamen uxor ea quæ sic dedit, in partem suam referre, quando ad partitionem cum hæredibus viri deveniendam erit. Ratio horum omnium est, quod maritus consentire censetur, vel saltem non sit rationabiliter invitus.

Resp. 2^o. Maritus violatæ justitiæ reus est, teneturque restituere uxori, vel ejus hæredibus 1^o. cum bona *paraphernalia* surripuit, siquidem in ea plenum dominium uxor habet; 2^o. si uxoris dotem, eâ invitâ, dissipet, quia penes ipsam est dotis proprietas; 3^o. quando notabilem honorum communium partem, uxore rationabiliter invitâ, absumit. Licet enim honorum communium administrationem habeat maritus, horum tamen quoad mediâ partem proprietas, ad uxorem jure communi pertinet.

Quæres 6^o. an possit aliquis uti occultâ compensatione quâ, cum rem suam recuperare non valet, aliâm æqualem debitori suo etiam auferat.

Resp. 1^o. Non licet operariis vel famulis aliquid

tollere, sub eo prætextu quod stipendium iusto minus recipiant; idem quia damnata est ab Innocentio XI. an. 1679, & Comitibus Cleri Gallicani an 1700 ista propositio: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.* (*Mém. du Clerg. tom. 1. pag. 726.*) Tùm quia debitum cujus compensationem quærunt hujusmodi homines, non est certum; cur enim ipsis, potius quàm dominis suis fides adhiberetur? tùm quia de stipendio sibi dando cum heris suis conventum fuit, ideòque pacto stare debent, juxta illud Matthæi: *Non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti necum?* (*Cap. 20. 13.*) tùm quia opposita sententia innumeris furtis aditum aperit; vix enim unquam famuli mercede sibi constitutâ contenti sunt.

Resp. 2^o. Licitam esse, postis nonnullis conditionibus, compensationem occultam. Prima est, ut certum & liquidum sit debitum, quia in dubio melior est conditio possidentis. Secunda, ut rem tibi certè debitam non possis per auctoritatem publicam obtinere; alioquin ad eam recurrendum esset, quia non licet ordinem justè constitutum prætermittere. *Qui furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, inquit S. Thomas, peccat quidem, non quia gravat eum qui detinet, (& ideò non tenetur ad restituendum) sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium, juris ordine prætermisso.* (*2. 2. quæst. 66. art. 5. ad 3.*) Tertia, ut debitor aut illius hæredes iterùm solvendi periculo non exponantur. Quapropter curandum est ut prædeat debitorum admonitas nihil tibi ab eo deberi. Quarta, ut abût omne scandali periculum; sæpè enim contingit eum qui tollit etiam quod suum est, vel sibi vel alteri furis notam & labem accerere. Quinta, ut rem quam occultè accipis, sit tui debitoris: quare non licet surripere rem alienam apud eum exist-

tentem, illi, v. g. commodatam vel fidei suæ commissam.

Postis iis conditionibus, licita est occulta compensatio: per eam quippè non violatur Justitiâ commutativa; qui enim compensatione utitur, id solum accipit quod strictè suum est; nec etiam læditur justitiâ legalis; nam supponimus ad judicis auctoritatem recurri non posse. Cùm autem rarissimè in compensationem coeant præfatae conditiones, sine quibus junctis illicita est, eam nunquam suadebit Confessarius: vix enim unquam abest periculum scandali & infamiæ: ad restitutionem tamen non coget penitentes qui compensationem adhibuerint, si requisitis conditionibus munita fuerit; sed eos admonebit periculi cui sese temerè objecerint.

DISSERTATIO IV.

De Contractibus.

DISSERTATIONEM hanc duas in sectiones partitur. In primâ, de contractibus in genere; in secunda, de variis seorsim contractibus disputabimus.

DIRECCIÓN GENERAL DE

De Contractibus in genere.

Quidquid ad contractum genericè sumptum pertinet, tribus complectemur capitibus: in primo exponemus quæ natura, quæ divisiones contractus

præcipuæ sint, & quinam contrahere valeant; in secundo, quis consensus ad validè contrahendum sit necessarius; in tertio, qualem & quandonam obligationem pariat contractus.

CAPUT PRIMUM.

De natura præcipuisque contractus divisionibus, & de iis qui possunt validè contrahere.

QUÆRES 1^o. quænam sint contractus definitio & divisiones.

Resp. Contractus definiri potest: *Actus externus inter duos aut plures, mutuo consensu ex utraque, vel saltem ex alterutra parte obligationem pariens.* Dicitur autem, *ex utraque, vel saltem ex alterutra parte*, quia contractus dividitur 1^o. in *perfectum & imperfectum.* *Perfectus* ille est qui ex utraque parte obligationem inducit, ut venditio; *imperfectus* is dicitur qui alterutri tantum contrahenti obligationem imponit, quales sunt promissio, donatio.

Dividitur 2^o. in *explicitum seu formalem*, & *implicitum seu virtualem.* *Explicitus* ille est quo duo vel plures aliquid expressè paciscuntur. *Implicitus* autem is vocatur qui fit tacitâ partium conventionem. Sic Judex, Medicus, Tutor, quando hæc munia suscipiunt, eo ipso implicitè spondent se operam omnem & curam præstituros, quam adhibere solent ejusdem conditionis homines, erga eos in quorum gratiam hæc officia exercent; illi vicissim tacitè sese obligare censentur ad tribuendam legitimam mercedem. Iste conventiones tacitæ dicuntur *quasi contractus*, & vim habent ex

tentem, illi, v. g. commodatam vel fidei suæ commissam.

Postis iis conditionibus, licita est occulta compensatio: per eam quippè non violatur Justitiâ commutativa; qui enim compensatione utitur, id solum accipit quod strictè suum est; nec etiam læditur justitiâ legalis; nam supponimus ad judicis auctoritatem recurri non posse. Cùm autem rarissimè in compensationem coeant præfatae conditiones, sine quibus junctis illicita est, eam nunquam suadebit Confessarius: vix enim unquam abest periculum scandali & infamiæ: ad restitutionem tamen non coget penitentes qui compensationem adhibuerint, si requisitis conditionibus munita fuerit; sed eos admonebit periculi cui sese temerè objecerint.

DISSERTATIO IV.

De Contractibus.

DISSERTATIONEM hanc duas in sectiones partitur. In primâ, de contractibus in genere; in secunda, de variis seorsim contractibus disputabimus.

DIRECCIÓN GENERAL DE

De Contractibus in genere.

Quidquid ad contractum genericè sumptum pertinet, tribus complectemur capitibus: in primo exponemus quæ natura, quæ divisiones contractus

præcipuæ sint, & quinam contrahere valeant; in secundo, quis consensus ad validè contrahendum sit necessarius; in tertio, qualem & quandonam obligationem pariat contractus.

CAPUT PRIMUM.

De natura præcipuisque contractus divisionibus, & de iis qui possunt validè contrahere.

QUÆRES 1º. quænam sint contractus definitio & divisiones.

Resp. Contractus definiri potest: *Actus externus inter duos aut plures, mutuo consensu ex utraque, vel saltem ex alterutra parte obligationem pariens.* Dicitur autem, *ex utraque, vel saltem ex alterutra parte*, quia contractus dividitur 1º. in *perfectum & imperfectum.* *Perfectus* ille est qui ex utraque parte obligationem inducit, ut venditio; *imperfectus* is dicitur qui alterutri tantum contrahenti obligationem imponit, quales sunt promissio, donatio.

Dividitur 2º. in *explicitum seu formalem*, & *implicitum seu virtualem.* *Explicitus* ille est quo duo vel plures aliquid expressè paciscuntur. *Implicitus* autem is vocatur qui fit tacitâ partium conventionem. Sic Judex, Medicus, Tutor, quando hæc munia suscipiunt, eo ipso implicitè spondent se operam omnem & curam præstituros, quam adhibere solent ejusdem conditionis homines, erga eos in quorum gratiam hæc officia exercent; illi vicissim tacitè sese obligare censentur ad tribuendam legitimam mercedem. Iste conventiones tacitæ dicuntur *quasi contractus*, & vim habent ex

justitia obligandi, non secus ac ipsi contractus.

3^o. Contractus alius est *gratuitus* in quo aliquid accipitur, & nihil rependitur, ut donatio; alius *onerofus* in quo utrinque aliquid datur & redditur, qualis est emptio. Ceteras, ut minus utiles, omittimus contractuum divisiones.

Quæres 2^o. quinam possint validè contrahere.

Resp. si soli validè contrahere possunt, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, nisi à jure impediuntur, quia si soli bonorum suorum dominium in alios transferre possunt. Hinc 1^o. propter liberam illius administrationis defectum, ineundis contractibus inhabiles sunt amentes, infantes, prodigi, quibus curatorem Judex assignavit, uxor nisi habeat *paraphernalia*, Religiosi absque Superioris consensu; 2^o. propter juris prohibitionem tutor, quamvis habeat bonorum suorum administrationem, non potest cum pupillo contrahere: id enim legibus vetitum est.

Quæres 3^o. an pupilli & minores possint contrahere.

Nota: 1^o. Infans est ille qui nondum completit annum septimum; 2^o. *puberes* dicuntur qui habent annos 14. completos, si mares sint, aut 12, si feminae; 3^o. *pupillus* vocatur qui nondum pervenit ad pubertatem, & cui assignatur tutor; 4^o. *minor* est qui post adeptam pubertatem, nondum adsecutus est annum 25, & cui datur curator. His præmissis.

Resp. 1^o. Minor & pupillus non possunt sine autoritate tutoris aut curatoris contrahere in suam incommodum, bene verò in suum commodum. Ita sancitum est à legibus in gratiam illius ætatis, ut minoribus in damnis ætas subveniret, & in profperè gestis non obesset. (*Corp. Jur. edit. Elzevir. an. 1663. tom. 2. lib. 2. tit. 13. leg. 14. pag. 71.*)

Resp. 2^o. Bona immobilia, vel etiam mobilia

quæ servari queunt, ut aurum, gemmæ, &c. à pupillis & minoribus alienari validè non possunt, nisi accedat Judicis autoritas, & probatio causæ exigentis ut fiat hæc alienatio, v. g. ad solvendum debitum. (*Ibid. lib. 5. tit. 37. leg. 22. pag. 171.*) Bona verò mobilia quæ servari nequeunt, ut vinum, frumentum, validè alienantur à pupillo cum tutoris consensu.

Quæres 4^o. an minor qui pecuniam sibi mutuo datam expendit, eam teneatur reddere; an verò *rescisionis* litteras quibus in integrum restituitur, tutà conscientia possit obtinere.

Resp. minorem ad illius pecuniæ restitutionem in conscientia non teneri, si mutuans providere poterit eam ab illo turpiter, vel inutiliter esse impendendam. Nam postulat publica utilitas ut irrita non sit sapientissima Lex, quæ mutuum illud prohibet aut nullum declarat, ne filii familias debitis opprimantur, suaque bona dilapident: atqui Lex ea foret irrita, si minores non possent in conscientia petere restitutionem in integrum; tunc enim eadem pene facilitate invenirent homines lucri cupidos, qui iis mutuo darent cum seniore.

Nonnulli tamen sunt casus in quibus tenentur minores pecuniam sibi mutuam restituere; 1^o. si inde locupletiores evaserint, quia juxta regulam juris 48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria*; (*In Sexto, edit. Lugd. an. 1624. pag. 828 & 829*) 2^o. si mutuans bonâ fide dederit, eoque consilio, ut minori prodesset, quamvis præter ipsius opinionem non temerè conceptam, minor pecuniam malos in usus expenderit; 3^o. si patre cognoscente, nec repugnante, pecunia data fuerit filio; vel si eam pater solvere cœperit; tunc enim debitum illud ratum habuisse censetur.

CAPUT II.

De consensu ad contrahendum requisitio.

UT valeat contractus, requiritur consensus exteriori aliquo signo expressus: per contractum enim, quod nostrum erat, in alios transfertur: atqui id fieri non potest sine consensu qui fuerit aliquo exteriori signo declaratus, ut satis patet. Queritur vero utrum consensus ad contrahendum requisitus, cum errore, dolo & metu stare possit; quod duobus in articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An consensus ex errore vel dolo datus sufficiat ad contractum.

Dolus aut error versari potest, vel circa rei substantiam, ut si aurichalcum emas, putans illud esse aurum; vel circa accidentia, ut si equus debilis & infirmus ematur pro strenuo & robusto: error vero aut dolo circa accidentia, dicitur aliquando dare causam contractui, cum scilicet non fieret si error cognosceretur; aliquando dicitur tantummodo incidens in contractum, cum nempe contrahens ab eo non abstineret, etiam sublatis errore & dolo; sed tantum contraheret minus libenter.

PROPOSITIO I.

PROPOSITIO I.

Error & dolo circa rei substantiam irritum faciunt contractum.

Prob. Ubi nullus est consensus circa rem de qua contrahitur, ibi nullus esse potest contractus: atqui cum error aut dolo cadit in rei substantiam, tunc nullus est consensus circa rem ipsam; sed voluntas contrahentis fertur in aliam naturam planè dissimilis rem quam sibi proponi existimat: sic qui vitrum emit, ratus esse gemmam, non consentit in emptionem vitri, sed gemmæ quam sibi offerri falsò putat; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Error aut dolo circa qualitatem rei, qui dicitur incidens, irritum non facit contractum.

Prob. Valet contractus quando verus est consensus in rem de qua contrahitur: atqui ubi error vel dolo circa qualitatem rei est tantum incidens, tunc verus adest consensus in ipsam rem de qua contrahitur. Ad verum enim consensum minimè necesse est ut qui contrahit, omnes rei qualitates perspectas habeat; alioqui vix ullus esset contractus validus; ergo, &c. Hujusmodi proinde contractus rescindi non potest ad emptoris arbitrium; sed postulat æquitas ut venditor restituat quidquid excedit pretium quod emptor dedisset re, qualis erat, cognitâ.

Exceptionem admittit nostra propositio; scilicet validus non foret contractus de quo agitur, si quis declarasset eam tantum lege velle se contrahere, ut rei hæc vel illa qualitas inesset: tunc quippè conditionalis esset contractus &, deficiente conditione, non subsisteret.

Tom. VI.

M

PROPOSITIO III.

Error vel dolus circa accidentia qui dedit causam contractui, eum non facit irritum.

Prob. ex jure civili à quo sic declaratur: *Si dolo inductus, aut errore lapsus... stipulanti Titio promissisti quod non debueros promittere, palàm est jure civili te obligatum esse. (Instit. lib. 4. tit. 13. sect. 1.)* Ratio est, quia error vel dolus qui contractui causam præbet, non obstat quominus contrahens in rem ipsam consenserit, quamvis contrahere non-
 uisset, si dolum vel errorem novisset; alioqui vix ullus contractus esset validus, cum ferè semper aliqua occurrant circumstantiæ quæ, si fuissent prævisa, à contrahendo deterruissent.

Notandum verò hujusmodi contractus esse admodum infirmos, cum possint ad partis deceptæ arbitrium rescindi, ut præfata Lege sic declaratur: *Datur tibi exceptio, quod metus causa aut doli mali, &c.* Il tamen soli contractus rescindi possunt, qui ex natura sua sunt dissolubiles. Hinc Matrimonium & professio religiosa rescindi nequeant, etiamsi iis causam dederit error vel dolus circa rei qualitates, quia indissolubilia sunt & irrevocabiliis contrahentium consensus: quod ita fieri debuit ne incerta forent Matrimonia, & instabiles professiones religiose, cum iis ferè semper quadam adjuncta sint, quorum prævia cognitio deterruisset à contrahendo.

ARTICULUS II.

An valeant contractus ex metu facti.

Duplex est metus, *gravis* nempe & *levis*. *Gravis* ille est quo reformidatur grande aliquod malum, qualia sunt mors, exilium, diuturnus carcer, bo-

norum omnium jactura. Metus *levis* ille est quo timeretur malum vel leve, vel grande quidem, sed cujus verisimile non est periculum. Metus autem vel justè incurritur, vel injustè, ut cum sicarius alicui mortem intemat, nisi velit crumenam ipsi tradere.

PROPOSITIO I.

Metus gravis, etiam injustè incussus, irritos non facit contractus, modò rationis usum non adimat.

Prob. 1^o. Quia metus gravis & rationis usum non adimens, voluntarium & liberum non perimit, sed tantum imminuit, ut probatum fuit in Tractatu de actibus humanis; 2^o. quia valent vota quæ, ingruente tempestate, emittuntur; item promissio & donatio in morbo, propter mortis imminentis periculum factæ pauperibus vel Ecclesiæ: atqui tamen hujusmodi vota, promissio, donatio, ex metu gravi fiunt; 3^o. quia jus positivum contractus ex metu gravi & injustè incusso confectos, *paucis exceptis*, non declarat ipso facto irritos, sed eos infirmari seu rescindi jubet: *Venditiones, transactiones, donationes quæ per potentiam exorta sunt, præcipimus infirmari. (Lib. 2. cod. tit. 24. Leg. ult.)* Ex iis patet contractus de quibus agitur, antequàm Judicis sententiâ infirmantur, validos esse.

Diximus autem, *paucis exceptis*, quia nonnulli contractus ex metu gravi & injustè incusso facti, jure positivo declarantur prorsus invalidi. Hujusmodi sunt 1^o. Matrimonium, & quidem meritò: cum enim sit indissolubile, & amoris mutui nexus esse debeat, ex conjugio coacto & tamen valido gravissima sequerentur incommoda; 2^o. professio religiosa: hæc enim, ut potè Matrimonium quoddam spirituale, & vinculum perpetuum, non minùs voluntaria esse debet, quàm conjugium carnale.

PROPOSITIO II.

Contractus ex vi metuque gravi & injusto facti, rescindi possunt & debent.

Prob. 1^o. ex jure sic pronuntiante: *Si metu coactus aut dolo inductus, ... stipulanti Titio promissisti quod non debueras promittere, palam est te jure civili obligatum esse; ... sed iniquum est te condemnari; idcirco tibi datur exceptio.* (Lib. 4. Inst. tit. 13. sect. 1.) 2^o. Quia postulat aequitas ut qui alteri injuriam intulit, ipsius libertatem injuste laedendo, inde commodum non referat, utque pars laesa in priorem statum restituatur; id prestare debet qui merum injuste incussit, nec retinere potest, etiam ante Judicis sententiam, quod per hujusmodi contractum acquisivit, & tenetur quidquid inde confectum est damni compensare.

Dicimus autem 1^o. *ex metu gravi*; in foro enim externo ei non datur actio qui levem duntaxat metum passus est, nec rescinditur contractus qui inde ortum habuit; tum ad vitandas lites innumeras: potuisset enim semper obtendi aliquem metum levem inter contrahendum intervenisse; tum quia merito existimatur talem metum contractui causam non dedisse. Ex regula enim juris, *vani timoris justa excusatio non est.* (Decretal. p. 870.) Diximus 2^o. *ex metu injusto*: nam contractus ex metu juste incusso confectus, non rescindendus est, quia nulla intervenit injuria; alioqui metus injuste incurteretur.

CAPUT III.

De obligatione quam pariunt contractus.

QUÆRES I^o. an obligent contractus quibus defunt formulæ à Legibus positivis constitutæ.

Not. Contractuum formulæ sunt quædam conditiones, quæ ex Legum præscripto in contractibus adhibendæ sunt, ut, v. g. contractus coram Notario conficiatur, ut certus intersit testium numerus: quod summa cum sapientia à Legibus humanis constitutum fuit, ut scilicet fraudibus & dolis, quantum fieri potest, occurreretur.

Ex his autem formulis aliæ sunt *accidentales*, quibus scilicet prætermisissis, contractus non fit invalidus, quales sunt in Matrimonio bannorum proclamationes; aliæ sunt *essentiales*, quæ nimirum à Lege ita præcipiuntur, ut si omisissæ fuerint, irritus fiat contractus; talis est præsentia Parochi & testium respectu Matrimonii.

Fatentur omnes *accidentalis* formulæ omissionem non obitare quominus valeat contractus, quamvis prohibeat Lex ne sine tali conditione fiat. Aliud est enim prohibere actum, aliud eum declarare irritum. Quando Lex vetat actum, impedit ne licite fiat; cum vero eum denuntiat irritum, impedit ne omnino fiat, auferendo scilicet ita contrahendi facultatem.

PROPOSITIO.

Contractus sine debita & essentiali juris formula confectus, ne in ipso quidem conscientia foro obligat.

Prob. 1^o. Lex quæ contractus requisitâ quâdam formulâ destitutos rescindit, justa est; cedit enim iâ bonum commune, & viam fraudibus præcludit: atqui Lex justa locum habet in foro conscientia; ergo contractus quos propter cujusdam formulæ defectum Lex irritos facit, in foro etiam interno sunt pianè irriti. 2^o. Contractus ille in foro conscientia non obligat, qui verus non est contractus: atqui veri nominis non est contractus, qui conditione *essentiali* caret: hæc enim pertinet ad naturam contractus, in quo talem formulam necessario adhibendam esse Leges statuerunt. 3^o. Non minus saltem potest Princeps contractibus certas quasdam conditiones apponere, quibus sublatis, nullo modo valeant, quam id possunt homines privati in iis quos inter se ineunt contractibus: atqui homines privati quotidie suis conventionibus apponunt conditiones, quibus servatis, valeant, & quibus omisiss, nullæ sint ac irritæ; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objic. 1^o. Contractus qui ex jure naturali vim habet obligandi, ipsam conscientiam obstringit: atqui contractus sine formulâ à Legibus necessariò requisitâ factus, ex jure naturali vim habet obligandi; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ex jure enim naturali non obligat contractus ab eo factus qui ad contrahendum non est idoneus: atqui contractus *essentiali* Legis formulâ destitutus, ab eo fit qui ad contrahendum non est idoneus; siquidem Leges illum

in isto casu inhabilem reddunt & declarant; ergo, &c.

Inst. Ut valeat contractus, sufficit ex jure naturali voluntas liberè consentiens: atqui in contractibus de quibus agitur adest voluntas liberè consentiens; ergo validi sunt, & proinde obligant ex jure naturali.

Resp. Dist. maj. Sufficit voluntas efficax, & liberè consentiens, conc. voluntas liberè consentiens, sed inefficax, neg.

Porro inefficacem, impotentem & inhabilem ad contrahendum faciunt Leges illius voluntatem, qui sine formulâ quam ut necessariam præscribunt, pacificitur; adeo ut contrahere & dominium transferre nequeat, nisi, adhibitâ tali formulâ.

Obj. 2^o. Lex quæ irritos facit contractus certis formulis destitutos, fundatur in suspitione fraudis; ergo valeat hujusmodi contractus, quando sunt fraudis expertes.

Resp. Neg. ant. Lex enim quæ irritos declarat contractus de quibus agitur, non semper nititur suspitione fraudis, quam à contractibus interdum abesse non ignorat Legislator; sed fundatur in periculo fraudis quæ in plerosque contractus serperet, nisi obstarent formulæ à Legibus sapienter instituta.

Quæres 10. an contractus ex se invalidus juramento firmetur.

Resp. contractum ex se invalidum non firmari juramento; sed validum & implendum esse juramentum, si versetur circa rem licitam.

Probatur prima pars. Illud non potest contractum firmare, sive ex invalido facere validum, quod ipsius naturam mutare nequit: atqui juramentum, ut potè contractui cui supervenit externum, illius naturam mutare non valet; ergo, &c.

Prob. secunda pars. Quia exigit debita divine majestatis reverentia, ut juramentum impleatur quo-

rius id sine peccato fieri potest: atqui juramentum contractui invalido quidem, sed qui circa rem licitam versatur, adjectum impleri potest circa ullum peccatum, ut patet; ergo servari debet.

Dices: Inde sequeretur eum qui, interposito juramento, promisit se latroni minitanti quamdam pecuniam summam traditurum, teneri id exequi; quod absurdum est.

Resp. nihil absurdi esse in eo quod teneatur aliquis juramento stare, quando non versatur circa rem illicitam: postulat enim divini nominis reverentia, ut Deus in testem falsitatis non invocetur; nec vis juranti adhibita eum liberat ab obligatione id præstandi quod promisit. *In juramento*, inquit S. Thomas, *quod quis coactus fecit, ... est obligatio quæ Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit; & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare.* (2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3.) Potest tamen aliquis in hoc casu petere, ut fiat à juramento expeditus, sicut patet ex variis juris canonici capitibus. (Tit. 24. de jurejurando.) Ratio est, quod qui injuriam intulit, eam reparare teneatur jure naturali, & personam laesam in priorem statum & libertatem restituere, non habet igitur jus firmum & irrevocabile; sed qui juramento sese obstrinxit, potest ut ab illius vinculo solvatur postulare; quod si obtinuerit, cessat omnis obligatio.

Quæres 2º. Qui ex metu gravi jurans promisit, latroni v. g. mortem minitanti, se daturum aliquid & juramenti sui solutionem non postulaturum apud judicem, teneturne huic juramento stare?

Resp. teneri 1º. quia juramentum illud servari potest sine ullo peccato; siquidem non versatur circa rem illicitam: nemo enim crediderit illicite agere viatorem qui, ut imminente sibi morte effugiat, juramento interposito promittit se latroni

aliquot nummos certâ die traditurum, nec juramenti solutionem petiturum, nec apud judicem acturum ut pecuniam suam repetat; 2º. quia Innocentis III. jubet in suum beneficium restitui Clericum qui ad illud resignandum propter metum gravem juramento sese obstrinxerat: hanc autem rationem affert Summus ille Pontifex, quod Clericus juramento quidem sese obligasset ad beneficium resignandum; minimè verò ad illud non repetendum. (*Cap. 4. de his quæ vi, &c.*) Ergo juxta Innocentium III., si Clericus ille juramento sese obligasset ad beneficium non repetendum, jam illud non potuisset repescere, sed juramento suo stare debuisset.

SECTIO II.

De variis seorsim Contractibus.

Præcipuos contractus tùm onerosos, tùm gratuitos, variis in capitibus prosequemur. eos hic propriis nominibus designare supervacaneum est; singulos enim suis in locis appellabimus. Cum autem multis in contractibus involuta delitescere possit usura, ut latens illud vitium in iis facilius deprehendatur, à mutuo & usura exordium ducimus.

CAPUT PRIMUM.

De Mutuo.

CUM usura in mutuo suam veluti sedem habeat, necesse est genuinam mutui naturam evolvere. Definuitur autem *contractus quo res usu consump-*

rius id sine peccato fieri potest: atqui juramentum contractui invalido quidem, sed qui circa rem licitam versatur, adjectum impleri potest circa ullum peccatum, ut patet; ergo servari debet.

Dices: Inde sequeretur eum qui, interposito juramento, promisit se latroni minitanti quamdam pecuniam summam traditurum, teneri id exequi; quod absurdum est.

Resp. nihil absurdi esse in eo quod teneatur aliquis juramento stare, quando non versatur circa rem illicitam: postulat enim divini nominis reverentia, ut Deus in testem falsitatis non invocetur; nec vis juranti adhibita eum liberat ab obligatione id præstandi quod promisit. *In juramento*, inquit S. Thomas, *quod quis coactus fecit, ... est obligatio quæ Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit; & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare.* (2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3.) Potest tamen aliquis in hoc casu petere, ut fiat à juramento expeditus, sicut patet ex variis juris canonici capitibus. (Tit. 24. de jurejurando.) Ratio est, quod qui injuriam intulit, eam reparare teneatur jure naturali, & personam laesam in priorem statum & libertatem restituere, non habet igitur jus firmum & irrevocabile; sed qui juramento sese obstrinxit, potest ut ab illius vinculo solvatur postulare; quod si obtinuerit, cessat omnis obligatio.

Quæres 2º. Qui ex metu gravi jurans promisit, latroni v. g. mortem minitanti, se daturum aliquid & juramenti sui solutionem non postulaturum apud judicem, teneturne huic juramento stare?

Resp. teneri 1º. quia juramentum illud servari potest sine ullo peccato; siquidem non versatur circa rem illicitam: nemo enim crediderit illicitè agere viatorem qui, ut imminente sibi morte effugiat, juramento interposito promittit se latroni

aliquot nummos certâ die traditurum, nec juramenti solutionem petiturum, nec apud judicem acturum ut pecuniam suam repetat; 2º. quia Innocentis III. jubet in suum beneficium restitui Clericum qui ad illud resignandum propter metum gravem juramento sese obstrinxerat: hanc autem rationem affert Summus ille Pontifex, quod Clericus juramento quidem sese obligasset ad beneficium resignandum; minimè verò ad illud non repetendum. (*Cap. 4. de his quæ vi, &c.*) Ergo juxta Innocentium III., si Clericus ille juramento sese obligasset ad beneficium non repetendum, jam illud non potuisset repescere, sed juramento suo stare debuisset.

SECTIO II.

De variis seorsim Contractibus.

Præcipuos contractus tùm onerosos, tùm gratuitos, variis in capitibus prosequemur. eos hic propriis nominibus designare supervacaneum est; singulos enim suis in locis appellabimus. Cum autem multis in contractibus involuta delitescere possit usura, ut latens illud vitium in iis facilius deprehendatur, à mutuo & usura exordium ducimus.

CAPUT PRIMUM.

De Mutuo.

CUM usura in mutuo suam veluti sedem habeat, necesse est genuinam mutui naturam evolvere. Definuitur autem *contractus quo res usu consump-*

zibilis gratis transfertur in alterius dominium, cum obligatione aliam ejusdem speciei & bonitatis restituendi post aliquod temporis spatium.

1^o. Dicitur, *quo res usu consumptibilis*, quia mutuum propriè circa ea versatur, quorum usus adjunctam habet consumptionem: hæc autem duplex distinguitur; alia nimirum *physica*, ut in usu panis, vini, &c. alia *moralis*, quæ in alienatione consistit, ut in usu pecuniæ quæ, licet non pereat physicè, dicitur *moraliter* consumi, quia æquè definit esse alienantis, ac si in rerum natura non esset: *ipso usu quodammodo extinguitur*, ait Justinianus. (*Instit. lib. II. tit. 4. de usufructu.*) Pecunia, inquit S. Thomas, *principaliter est inventa ad commutationes faciendas, & ita proprius & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio.* (2. 2. quæst. 78. art. 1. in corp.)

2^o. Dicitur, *in alterius dominium transfertur*, quia accipiens ita fit rei mutuatae dominus, ut sibi pereat, vel crescat: notionem hanc exhibet ipsum *mutui* nomen. *Inde mutuum appellatum est*, inquit Justinianus, *quia ita à me tibi datur, ut ex meo fiat tuum.* (*Lib. 3. instit. tit. 15. sect. 1.*) Unde fit ut, si res pereat, siue crescat, jactura vel lucrum sit accipientis. *Qui mutuum accepit, si quolibet fortuito casu amiserit quod accepit, velut incendio, ruinâ, naufragio, aut latronum hostiumve incursum, nihilominus obligatus remanet.* (*Ibid. sect. 2.*) Hinc patet accipientem verum esse rei mutuæ dominum; siquidem ex axiomate, *res perit domino; res fructificat domino.* In eo mutuum differt è commodato, deposito & locato in quibus non transfertur dominium.

3^o. Dicitur, *gratis transfertur*, quia mutuum est humanitatis & beneficentiæ officium merè gratuitum, & ab hominibus naturâ duce institutum, ut sese mutuis adjuvarent auxiliis. Contractus mutui eo ipso perfectus est, quod accipiens sese promissione obstringat ad rem ejusdem spe-

ciei & bonitatis restituendam tempore constituto; ut quid igitur aliud oneris mutuans (*le prêteur*) ipsi imponeret? Ad mutui naturam pertinere ut sit gratuitum, apertè declaratur jure civili: *De substantia mutui est, ut sit gratuitum.* (*Leg. Rogass. D. de reb. cred.*) Idem significant hæc Christi verba: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* (*Luc. 6. 35.*) Unde sic colligit Concilium Burdigalense an. 1583: *Mutuum ex præcepto divino debet esse gratuitum.* (*Tom. 15. Concil. pag. 980.*)

4^o. Dicitur, *cum obligatione reddendi aliam ejusdem speciei & bonitatis*: si enim traditio fiat sine obligatione reddendi, non erit mutuum, sed donatio: si reddenda esset res alterius speciei, v. g. frumentum pro vino, aut vinum pro pecunia, tunc foret permutatio vel emptio: si res quæ redditur non fuerit ejusdem bonitatis, non servabitur æqualitas.

5^o. Dicitur, *post aliquod temporis spatium*: si enim res mutua statim reddenda esset, mutuum prorsus inutile foret accipienti; ad naturam ergo mutui pertinet ut res tradita non statim repetatur, sed nonnulli post lapsum temporis de quo conventum fuit.

ONOMASTICA DE N. CAPUT II

De Usura.

Hic tria sunt maximi momenti expendenda: primum quid & quoruplex sit usura; secundum, utrum & quo jure vetita sit; tertium, quibus ex causis liceat aliquid exigere supra sortem, gallicè *le capital*. Singula hæc tribus in articulis exequemur.

zibilis gratis transfertur in alterius dominium, cum obligatione aliam ejusdem speciei & bonitatis restituendi post aliquod temporis spatium.

1^o. Dicitur, *quo res usu consumptibilis*, quia mutuum propriè circa ea versatur, quorum usus adjunctam habet consumptionem: hæc autem duplex distinguitur; alia nimirum *physica*, ut in usu panis, vini, &c. alia *moralis*, quæ in alienatione consistit, ut in usu pecuniæ quæ, licet non pereat physicè, dicitur *moraliter* consumi, quia æquè definit esse alienantis, ac si in rerum natura non esset: *ipso usu quodammodo extinguitur*, ait Justinianus. (*Instit. lib. 11. tit. 4. de usufructu.*) Pecunia, inquit S. Thomas, *principaliter est inventa ad commutationes faciendas, & ita proprius & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio.* (2. 2. quæst. 78. art. 1. in corp.)

2^o. Dicitur, *in alterius dominium transfertur*, quia accipiens ita fit rei mutuatae dominus, ut sibi pereat, vel crescat: notionem hanc exhibet ipsum *mutui* nomen. *Inde mutuum appellatum est*, inquit Justinianus, *quia ita à me tibi datur, ut ex meo fiat tuum.* (*Lib. 3. instit. tit. 15. sect. 1.*) Unde fit ut, si res pereat, siue crescat, jactura vel lucrum sit accipientis. *Qui mutuum accepit, si quolibet fortuito casu amiserit quod accepit, velut incendio, ruinâ, naufragio, aut latronum hostiumve incursum, nihilominus obligatus remanet.* (*Ibid. sect. 2.*) Hinc patet accipientem verum esse rei mutuæ dominum; siquidem ex axiomate, *res perit domino; res fructificat domino.* In eo mutuum differt è commodato, deposito & locato in quibus non transfertur dominium.

3^o. Dicitur, *gratis transfertur*, quia mutuum est humanitatis & beneficentiæ officium merè gratuitum, & ab hominibus naturâ duce institutum, ut sese mutuis adjuvarent auxiliis. Contractus mutui eo ipso perfectus est, quod accipiens sese promissione obstringat ad rem ejusdem spe-

ciei & bonitatis restituendam tempore constituto; ut quid igitur aliud oneris mutuans (*le prêteur*) ipsi imponeret? Ad mutui naturam pertinere ut sit gratuitum, apertè declaratur jure civili: *De substantia mutui est, ut sit gratuitum.* (*Leg. Rogass. D. de reb. cred.*) Idem significant hæc Christi verba: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* (*Luc. 6. 35.*) Unde sic colligit Concilium Burdigalense an. 1583: *Mutuum ex præcepto divino debet esse gratuitum.* (*Tom. 15. Concil. pag. 980.*)

4^o. Dicitur, *cum obligatione reddendi aliam ejusdem speciei & bonitatis*: si enim traditio fiat sine obligatione reddendi, non erit mutuum, sed donatio: si reddenda esset res alterius speciei, v. g. frumentum pro vino, aut vinum pro pecunia, tunc foret permutatio vel emptio: si res quæ redditur non fuerit ejusdem bonitatis, non servabitur æqualitas.

5^o. Dicitur, *post aliquod temporis spatium*: si enim res mutua statim reddenda esset, mutuum prorsus inutile foret accipienti; ad naturam ergo mutui pertinet ut res tradita non statim repetatur, sed nonnulli post lapsum temporis de quo conventum fuit.

ONOMASTICA DE N. CAPUT II. N.

De Usura.

Hic tria sunt maximi momenti expendenda: primum quid & quoruplex sit usura; secundum, utrum & quo jure vetita sit; tertium, quibus ex causis liceat aliquid exigere supra sortem, gallicè *le capital*. Singula hæc tribus in articulis exequemur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotuplex sit Usura.

Usura duplici modo accipitur 1^o. pro lucro, & definitur *lucrum ex mutuo immediate proveniens*; 2^o. pro contractu usurario & describitur: *Contractus mutui quo lucrum ultra sortem exigitur vel intenditur, tanquam debitum vi ipsius mutui.*

Dicitur 1^o. *contractus mutui*, quia mutuum vel implicitum, vel explicitum, est veluti sedes usurae propria. Quapropter si quis aliunde lucrum percipiat illicitum, v. g. ex injusta rei alicujus venditione supra legitimum pretium, non committit usuram; sed alterius speciei injustitiam, quia lucrum illud à mutuo non provenit.

Dicitur 2^o. *quo exigitur lucrum ultra sortem.* Nomine autem *lucri* intelligitur non pecunia tantum, sed quidquid pretio aestimabile est, & aliunde indebitum, v. g. oleum, vinum, triticum, &c. item quidquid oneris imponitur accipienti, v. g. domum tuam conducendi, tuam molestrinam frequentandi, &c. illae enim conditiones mutui contractibus adjunctae, pretio sunt aestimabiles.

Dicitur 3^o. *vel intenditur*, quia sola intentio aliquid supra sortem accipiendi, hominem facit usurae reum, etsi nullam intervenerit pactum sive expressum, sive tacitum.

Dicitur 4^o. *vi ipsius mutui*, id est sine ullo alio contractu vel titulo legitimo, ita ut propter mutuum ipsum aliquid lucri exigatur. Nam si quid accipias ob alium justum titulum, v. g. propter damnum è mutuo emergens, vel lucrum cessans, tunc nulla est usura: Quam autem legitima sit mox exposita usurae notio, ut magis pateat, sit

PROPOSITIO.

Usura rectè definitur *lucrum quaecumque exactum vel speratum vi mutui.*

ARG. I. Ex Scriptura.

Sic vetat Deus: *Si attenuatus fuerit frater tuus, ne accipias ab eo usuras, nec amplius quam dedisti (Levit. 25. v. 35 & 36.) Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. (Ibid. v. 37.) Si genuerit vir filium ad usuram dantem & amplius accipientem, numquid vivet! (Ezech. 18. v. 10 & 13.) Quid si genuerit filium qui usuram & superabundantiam non acceperit, hic non morietur. (Ibid. v. 14 & 17.) Idem Propheta populo suo sic exprobrat: Usuram & superabundantiam accepisti. (Ibid. cap. 22. 12.) Atqui in iis Scripturae locis usura dicitur *superabundantia* sortis addita, & quidquid supra sortem accipitur; ergo 1^o. &c.*

ARG. II. Ex Conciliis.

Concilium Agathense ann. 506, *Usura est, inquit, ubi amplius requiritur, quam datur, v. g. si dederis solidos decem, & amplius quaesieris; vel dederis frumenti modium unum, & super aliquid exegeris. (Tom. 4. Concil. pag. 396.)*

Auscitanum, d. Aufsh. ann. 1308: *Juxta canonicas sanctiones, ille usurarius est censendus, qui ex pacto pro mutuo recipit aliquid ultra sortem. (Tom. 11. Concil. pag. 1501.)*

Trevirensis an. 1310: *Quidquid sortis accidit usura est. (Tom. 4. anecdot. P. Martene, pag. 278.)*

Lateranense V: *Ea propria est usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei qua non germinat, nullo labore, nullo sumptu, lucrum factusque conquiri studetur. (Tom. 14. Concil. pag. 250.)*

Denique, ut alias Synodos omittam, Remensis an. 1583, sic habet: *Quisquis, præter sortem præcipuam, ex mutuo aliquid amplius exegerit vel acceperit, cujuscumque generis illud sit, modò pecuniâ æstimari possit, usurarius esse censeatur.* (tom. 15. Concil. pag. 911.)

ARG. III. Ex Patribus.

Usura est, inquit Tertullianus, fœnoris (id est, mutui) redundantia. (Lib. 4. contra Marcion. cap. 17. pag. 430.)

S. Chrysostomus usurarium sic increpat: *Tu, plus quàm dederis exigis.* (Tom. 7. edit. BB. pag. 575.)

Lactantius: *Pecuniæ, si quam crediderit, non accipiat usuram; plus autem accipere quàm dederit, injustum est.* (Lib. 6. institut. divin. cap. 18.)

S. Basilius: *Ezechiel id in maximis malis recenset, si fœnus & quidpiam ultra sortem accipiatur.* (In alteram part. Psal. 14.)

S. Gregorius Nyssenus pactionem seu promissionem, quâ spondet aliquis se plus redditurum quàm ipsi datum fuit, sic commemorat: *Reddam cum fœnore, restituam cum lucro sortem.* (tom. 2. pag. 147. col. 1.)

S. Ambrosius: *Quodcumque sorti accidit, quod velis nomen imponas, usura est.* (Lib. de Tobia, cap. 14. n. 49. tom. 1. pag. 607.)

S. Augustinus: *Si homini mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus quàm dedisti, expectes accipere, non pecuniam solum, sed aliquid plus quàm dedisti sive illud triticum sit, sive vinum; sive oleum, sive quidlibet aliud; si plus quàm dedisti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus: attende quid facti fœnerator; minus vult dare certè, & plus accipere.* (Serm. 3. in Psal. 36. n. 6. tom. 4. pag. 285 & 286.) *Quid est fœnerare? minus dare, & plus acci-*

pere: tantum accipe, quantum dedisti. (Serm. 239. n. 5.)

S. Hieronymus: *Alii pro pecunia fœnerata solent minuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari (à Scripturis) & superabundantiam, quidquid illud est, si eo quod dederint plus acceperint.* (Lib. 6. comment. in Ezech. cap. 18. tom. 3. pag. 823. edit. BB.)

Autor Breviarü in Psalterium: *In lege, usuræ accipi prohibentur. Usura est plus accipere quàm dedisti.* (In append. tom. 2. oper. S. Hieronymi, pag. 261.)

Venerabilis Beda hæc Psalmi verba: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, sic interpretatur: Id est, nulli ut plus inde acciperet, accommodavis pecuniam suam; sed ... non nisi quantum dedit, exegit.* (Explicat. in psal. 14.)

ARG. IV. Benedictio XIV.

Summus ille Pontifex Patrum vestigiis insistens usuram ita describit: *Peccati genus illud quod usura vocatur, quod in contractu mutui propriam sedem suam & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo quod suapte naturâ tantundem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quàm est receptum, idedque ultra sortem lucrum aliquod ratione ipsius mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum quod sortem superet, illicitum & usurarium est.* (Epist. Encyclic. 1. Novemb. an. 1745.)

ARG. V. Ex Principum nostrorum statutis.

Usura est, inquit Carolus Magnus, ubi amplius requiritur quàm datur. Verbi gratiâ, si dederis solidos decem, & amplius requisieris; vel si dederis modium unum frumenti, & iterum super aliud exegeris. (Tom. 1. capitular. edit. Baluz. pag. 454.)

S. Ludovicus, *Usuras*, inquit, *intelligimus quidquid est ultra fortem* (*Statut. an. 1251. art. 8. tom. II. Concil. pag. 739.*)

Ludovicus X cognomine *le Hutin*, Edicto 28 Jun. an. 1315. art. 16. ita declarat: *Nulz ne sera contraint par nous à payer usure quelques elles soient & entendons usures, quont que est outre le pur sort.* (*Nouvel examen de l'usage général des fiefs en France, par Brussel. Tom. I. pag. 616.*)

In eo igitur consentiunt *Scripturæ*, *Concilia*, *Patres*, *Jus civile*, quod usura nihil aliud sit quam *lucrum quodcumque ex mutuo proveniens*.

Quæres quomplex sit usura.

Resp. Dividitur 1^o. in *realem & mentalem*. *Realis* est, quando *lucrum*, vel aperte in pactum deducitur, ut si quis dixerit: do tibi centum nummos eâ lege ut, exeunte anno, centum & quinque sis redditurus; vel saltem exterius significatur non dari nisi eâ spe, ut aliquid supra fortem accipiatur. Usura dicitur *mentalis*, cum licet nullum in mutuo pactum intervenierit de lucro solâ ratione mutui recipiendo, illud tamen speratur & intenditur.

Dividitur 2^o. usura in *formalem* sive *apertam*, quæ ex mutuo simplici & explicito percipitur; & *virtualem* sive *palliatam* quæ alio contractu, veluti pallio, sese tegit & involvit; v. g. cum aliquis majori pretio rem vendit ob dilatam solutionem, usuram reverâ committit venditionis nomine dissimulatam.

Dicitur 3^o. in *usuram fortis* quæ immediate provenit ex pecunia mutua: in *usuram usuræ*, cum scilicet ex usura non soluta novum conficitur capitale, quod accedit ad primum, & parit etiam lucrum. Legibus prohibitorum est ne hujusmodi usura ex quovis titulo, sive *lucri cessantis*, sive *damni emergentis*, recipiatur.

ARTICULUS II.

Utrum & quo jure vetita sit Usura.

Usuram jure tûm divino, tûm ecclesiastico, tûm civili, tûm naturali prohibitam esse demonstrabunt sequentes propositiones.

PROPOSITIO I.

Usura quæcumque Jure divino prohibita est.

Prob. 1^o. ex istis Deuteronomii verbis: *Non facerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; fratri autem tuo id quo indiget absque usura commodabis.* (*Cap. 23. v. 19 & 20.*) Atqui ibi prohibetur usura quæcumque: eam quidem erga solos pauperes interdictam hic esse volunt adversarii, sed perperam omnino; tûm quia mutuarius quilibet indiget, cum mutuum non postulet, nisi quia apud se non habet id quod petit; tûm quia verba hæc, *id quo indiget*, neque in textu hebraico, neque in versione 70 Interpretum, neque in aliâ ullâ reperiuntur; tûm quia præfatâ lege vetitum erat ne Judæi à fratribus suis usuras exigerent; *non facerabis fratri tuo ad usuram*: inter Judæos autem multi divites erant & negotiatores.

Prob. 2^o. Insigni illâ Dei comminatione: *Quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, in montibus comedentem, & uxorem proximi sui polluentem, ad usuram dantem, & amplius accipientem, non vivet; cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur.* (*Ezech. 18. v. 10. 11. 13.*) Porro usura quælibet in eo fita est, quod ex mutuo plus accipiatur, quam datum fuerit: atqui id Scriptura vetat, tanquam *cummen detestandum*; ergo usuram quæcumque

prohibet: id autem usurae patronos maximè debet commovere, quòd plus accipere ex mutuo, quàm datum fuerit, Propheta recenset inter scelera atrocissima, quales sunt effusio sanguinis idololatria, uxoris proximi pollutio, sive adulterium.

Prob. 3^o. Sic pronuntiat Psalter Regius: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? ... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* (Psal. 14. v. 1 & 5.) Atqui inde concludunt SS. Patres maledictum esse & à Regno Dei alienum, qui ex pecunia mutua usuram percipit, tamque erga omnes generaliter prohiberi. Si ergo qui non dedit, ait S. Ambrosius, *benedictus, sine dubio maledictus qui ad usuram dedit.* (Lib. de Tob. cap. 15. n. 52.) *A tabernaculo Dei*, inquit S. Leo ostenditur alienus, qui dolosum quastum de pecunie suae captat usuris. (Serm. 6. de jejun. decimi mensis, cap. 3. tom. 1. pag. 135.) In praefata Psalm. 14. verba sic habet Theodoretus: *Notandum est non modò Novi Testamenti perfectionem, verum etiam legis statum scenus damnare, quod cum iniquitate & dolo copulat.*

Prob. 4^o. Sic jubet Christus: *Mutuam date, nihil inde sperantes.* (Luc. 6. 35.) Porro qui praecipit ut citra ullam lucrispem mutuum demus, omnem generatim usuram prohibet: atqui jubet Christus sine ulla lucrispe mutuum dari. In praefata enim Christi sententia non merum consilium, sed verum praecipit agnoscit Traditio. *Dare mutuum*, ait S. Thomas, *non semper tenetur homo, & ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia: sed quòd homo lucrum de mutuo non quaerat, hoc cadit sub ratione praecipit.* (2. 2. q. 78. art. 1. ad 4.)

Concilium Lateranense V sic habet: *Cum Dominus noster, Lucà Evangelistà artestante, aperio nos praecipit obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus, &c.* (Tom. 14. Concil. pag. 250.) Hinc doctissimus Bossuet sic affirmat: *La tradition constante des Conciles, à*

commencer par les plus anciens, celle des Papes, des Peres, des Interpretes, est d'interpréter ce verset, comme prohibitif du profit qu'on tire du prêt. (2. Instru. sur la version du N. Test. de Trevoux, tom. 2. pag. 392.)

At, inquirunt adversarii quidam, haec verba, *mutuum date*, merum significant consilium, ergo idem sentiendum de istis proximè subsequentiis, *nihil inde sperantes*. Sed vana est cavillatio; tum quia in iis vocibus, *nihil inde sperantes*, veri nominis praecipitum, ut modò exposuimus, agnoscit Ecclesiae Traditio quae fidissima est Scripturarum interpres, tum quia non semel idem Scripturae textus, & consilium & praecipitum complectitur. Hujusmodi est iste: *Vovete & reddite Domino Deo vestro* (Psal. 75. v. 12.): quia *vovete* ex omnium consensu non exprimit nisi consilium, numquid inde concludes verbum *reddite* consilium duntaxat significare?

PROPOSITIO II.

Usura qualibet Jure ecclesiastico prohibita est.

Probatur. Concilium Eliberitanum (d'Elvire), an. 305. ita comminatur: *Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari & abstinere: si quis etiam Laicus accepisse probatur usuras, ... & in ea iniquitate duraverit, placuit de Ecclesia rejiciendum esse.* (Can. 2. tom. 1. Concil. pag. 973.) Aquisgranense (d'Aix-la-Chapelle) an. 789, sic vetat: *Omnibus omnino interdictum est ad usuram aliquid dare.* (Tom. 7. Conc. pag. 970.)

Parisiense VI an. 829, usuram in omnibus generatim damnat, eamque rationem affert: *Dominus quippè & in legalibus, & in prophetiis oraculis usuram fieri minaciter & terribiliter inhibet.* (Ibid. pag. 1633.)

Meldenense an. 845: *Cunctos Christianos ... ab*

usuriscompescant (Episcopi) & quos compescere aliter non potuerint, canonicam in eos sententiam proferant. (Ibid pag. 1836.)

Concilium generale Lateranense II an. 1139. de usurariis contumacibus sic decernit: *Nisi respuerint, christianam sepulturam priventur.* (Tom. 10. Conc. pag. 1006.)

Concilium generale Lateranense III an. 1179. præcipit ut usurarii manifesti, nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. (Ibid. pag. 1521.)

Concilium generale Lugdunense II an. 1274, præfatum Lateranense decretum sic confirmat: *Constitutionem Lateranensis Concilii contra usurarios editam, sub divina maledictionis interminatione præcipimus inviolabiliter observari.* (Tom. II. Consil. pag. 991.)

Denique Concilium generale Viennense an. 1311, ita pronuntiat: *Sanè si quis in illum errorem incidere, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum, velut hæreticum, puniendum.* (Lib. 5. Clementin. tit. 5. pag. 282.)

Hinc sequitur istud argumentum: Jus ecclesiasticum ex Conciliorum decretis præsertim coalescit: atque Conciliorum decreta usuram generatim & sine ullâ exceptione reprobant, gravibusque sub penis interdicit, ut patet ex Canonibus modò prolatis; ergo usura qualibet Jure ecclesiastico prohibita est. Usuræ autem nomine intelligi quidquid lucri supra sortem percipitur, ex traditione Ecclesiæ demonstravimus. Longè plura Conciliorum, Summorum Pontificum & SS. Patrum decreta legere est in opere eximio cui titulus: *Dogma Ecclesiæ circa usuram expostum & vindicatum.*

PROPOSITIO III.

Usura Jure gallico vetita est.

Probatur. Vetat brevitatis ne singula proferamus Edicta quæ à nostris Principibus circa usuram prodierunt. Pauca igitur, sed luculenta, seligenda sunt. Carolus Magnus sic declarat: *Usura est, ubi amplius requiritur quàm datur.* -- *Usuram non solum Clerici, sed nec Laici christiani exigere debent.* (Tom. 1. Capitul. pag. 454 & 833. edit. Baluz.)

S. Ludovicus Edicto an. 1254, Prohibemus, inquit, *districte quòd nullas usuras haberi faciant Barones, Seneschalli nostri, vel alia quæcumque personæ. Usuras autem intelligimus quidquid est ultra sortem.* (Ordonnances des Rois de France, par de Lauriere, tom. 1. pag. 74. édit. de Paris, an. 1723.)

Philippus IV regiâ suâ constitutione an. 1312 usuras, etiam leviores, sic prohibet: *Réprouvons & défendons toutes maneres d'usures, de quelque quantité qu'elles soient, comme elles sont de Dieu & des SS. Peres défendues; ... & voulons & commandons celles usures de menue quantité être corrigées & punies.* (Ibid. pag. 509.)

Sed insignis est præsertim Constitutio Henrici III qui in Comitibus Blefensibus an. 1579 sic declarat: *Faisons très-expresses inhibitions & défenses à toutes personnes, de quelque état, sexe & condition qu'elles soient, d'exercer aucunes usures, ou prêter denier à profit & intérêt, encore que ce fût sous prétexte de commerce, & ce sur peine, pour la première fois, d'amende honorable, bannissement, & condamnation de grosses amendes; & pour la seconde fois, confiscation de corps & de biens.* (Conférences des Ordonnances, liv. 4. tit. 7 édit. de Paris, 1678. tom. 1. pag. 625.)

Denique Ludovicus XIV Edicto an. 1673, quod vulgò nuncupatur, *l'Ordonnance de commerce*, sic vetat: *Défendons aux Négocians,*

Marchands, & à tous les autres de comprendre l'intérêt avec le principal, dans les lettres ou billette de change, ou aucun autre acte. (Art. 1. tit. 6.)

PROPOSITIO IV.

Usura jure naturali vetita est.

ARGUMENTUM I.

1^o. Vetat recta ratio ne quis vendat quod suum non est: atqui usurarius vendit quod suum non est, nempe usum rei mutua: atqui usus ille ad ipsum non pertinet, sed tantum ad accipientem qui ita verus est rei dominus, ut quocumque casu pereat, illius jacturam pariat, non autem mutuans; ergo, &c.

2^o. Dicitur recta ratio in omnibus contractibus qui in utroque contrahente obligationem pariunt, æqualitatem esse debere inter rem quæ datur, & eam quæ accipitur, v. g. inter merces & pretium in venditione: atqui hanc æqualitatem tollit usurarius plus exigendo quàm dedit: *recompensatur enim secundum æqualitatem*, ait S. Thomas, *si tantum redditur ei, quantum mutuavit.* (2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 5.)

3^o. Prohibet sana ratio idem bis vendi: atqui ita se gerit usurarius. Bis enim exigit valorem rei mutua: ad tempus usque definitum, & duplex accipit pretium. Summa quippè capitalis quæ tempore constituto ipsi restitueretur, ejus quam dedit veluti justum est pretium, & fœnus quod percipit, alteram est pretium, priori superadditum; ergo *qui fœnerantur*, inquit Catechismus Romanus, *bis idem vendunt.* (ad 7. præcept. Decalogi n. 20.)

At, inquitur usura: patroni, quod præter sortem exigitur, non ipsius pecuniæ, sed usûs ad quem adhibetur, pretium est; non ergo idem bis venditur. Quàm vana sit ista excusatio sic ostendit

S. Thomas: *Quadam res sunt, quarum usus est ipsa rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo utendo ad potum, & triticum consumimus eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet seorsum computari usus rei à re ipsa; sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res... si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, & vellet seorsum vendere usum vini, venderet eandem rem bis... unde manifestè per injustitiam peccaret. Deinde principium illud ipsi pecuniæ accommodat, quæ uti nemo potest, quin ipso usu alienetur; & moralem quandam consumptionem subeat. Ita proprius & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio, sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur, & propter hoc secundum se illicitum est pro usu pecuniæ mutua: accipere pretium, quod dicitur usura.* (2. 2. quæst. 78. in corp. & in resp. ad. 1.)

ARG. II. Ex Patribus.

S. Gregorius Nyssenus: *Fœnus qui aliud latrocinium & parricidium nominaverit, non procul ab eo quod debet, aberraverit: quid enim refert an clanculum perfossis maris, prædonis more aliena habeas, & prætereuntis cade te eorum quæ habeat dominum constituas, an fœnoris necessitate acquiras ea quæ ad te non pertinent?* (Homil. 4. in Eccles. tom. 1. pag. 410. edit. Paris. an. 1638.)

S. Ambrosius: *Si quis usuram acceperit, furtum facit.* (Lib. de bono mortis, versus finem.)

Lactantius: *Plus accipere quàm dederis, iniquum est.* (Instit. div. lib. 6. cap. 18. pag. 483. tom. 1. edit. Paris. 1748.)

S. Thomas. *Accipere usuram pro pecuniâ mutua, est secundum se injustum.* (2. 2. quæst. 78. art. 1. in corp.)

S. Bonaventura: *Omni tempore usura fuit prohibita. Usura contra præceptum justitiæ est, quia usurarius vendit quod suum non est, nempe usum*

rei, cum jam sit translatum dominium (in speculo animæ, tom. 7. pag. 36. col. 2. edit. Mogunt. 1609.) Autor sermonis 4. super Salve Regina: *Iti furto comprehenditur usura (apud S. Bernardum, tom. 2. pag. 732.)*

Porro illi persuasum habuerunt usuram jure naturali prohibitam esse, qui eam declarant ex se injustam, iniquam; qui eam furtum, rapinam, latrocinium vocant: atqui usuram iis nominibus insectantur SS. Patres; ergo, &c.

ARG. III. Ex Scripturis.

1º. Jam ostendimus usuram apud Ezechielem inter gravissima crimina numerari, qualia sunt homicidium, idololatria, adulterium: atqui nemo dixerit detestanda hæc flagitia non prohiberi à lege naturali, ergo, &c.

2º. *Vidi iniquitatem, inquit Propheta Regius, & contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus & injustitia; & non defecit de plateis ejus usura & dolus. (Psal. 54. v. 10. & seq.) Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum. (Psal. 71. v. 14.)*

Unde sic: Omne lucrum quod non acquiritur, nisi justitiam commutativam violando, certè cum lege naturali pugnat: atqui usura justitiam commutativam offendit, siquidem eam iniquitatis & injustitiæ nominibus designat Psaltes Regius; ergo, &c. Nec dixeris iniquitatem & injustitiam, de qua loquitur Propheta, non eam esse quæ justitiæ commutativæ opponitur: eam quippè aperte indicat adjuncta vox, *dolus*.

3º. Christus non ceremonias, non etiam politicum regimen Judæorum, sed legem naturalem renovavit. Porro Christus præceptis moralibus quæ apud Lucam referuntur cap. 6. primum istud juris naturalis officium præmittit: *prout vultis*

ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. (v. 31.) deinde secundissimum illud principium evolvens, multa docet quæ ad legem naturalem pertinent, ex quibus est istud: *mutuum date, nihil inde sperantes; (v. 35.)* hoc igitur præceptum in jure naturali continetur.

SCHOLIUM.

Si brevis fineret, facile esset hic longam Theologorum seriem exhibere, qui eandem doctrinam defendunt. Instar omnium erunt Theologi Parisienses, quorum luculentum, inter alia plurima, existat sequens testimonium: sacra Theologiæ Facultas Parisiensis multos doctrinæ articulos concinnaverat in quindecim Comitibus, à prima die mensis Aprilis an. 1716, ad 27 usque Septembris an. 1718 celebratis. Duci Aurelianensi Regni Administrato (*Régent*) oblatis fuerunt. Nonagesimus autem primus prioris partis sic habet: *Sive à pauperibus sive à divitibus aliquid supra sortem exigere, vel intendere vi mutui ad certum incertumve tempus dati, usuræ crimen est naturali, divino & humano jure prohibitum.*

Solvuntur objecta.

Obj. 1º. Illud Jure divino non prohibetur; quod expresse permittitur in Scriptura: atqui usura, &c. nempe his verbis: *Non facnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, sed alieno. (Deut. 23. v. 19 & 20.)* Ergo, &c.

Resp. duplicem asserri hujus difficultatis explanationem. 1º. Alii negant minorem, & contendunt Judæos citra usuræ labem potuisse aliquid præter sortem ab alienis accipere. Usura enim propriè dicta est lucrum vi & ratione solius mutui perceptum: atqui Judæi lucrum ab extraneis non accipiebant vi solius mutui, sed propter donatio-

nem à Deo factam qui, ut supremus omnium dominus, alienorum bona in Judæorum dominium transfulerat. Eadem autoritate freti Aegyptios citra ullam injustitiam aut factum olim spoliaverant.

2^o. Respondent alii Judæis licitum non fuisse ut ab alienis usuras acciperent, sed duntaxat à Deo toleratum ad cordis duritiã, utque majori occurreretur malo; ne scilicet Judæi ad avaritiam prona, & divitiarum cupiditate compulsi, fratres suos usuris opprimerent: Quod autem ab extraneis usuram acciperent, inquit S. Thomas, non fuit eis concessum, quasi licitum; sed permissum ad majus malum vitandum; ne scilicet à Judæis Deum colentibus usuras acciperent, propter avaritiam cui dediti erant. (2. 2. q. 78. art. 1. ad 2.)

Obj. 2^o. Populo Judaico sic verat Deus: Si pecuniam tuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. (Exod. 22. 25.) Ergo usura non prohibetur nisi erga pauperes.

Resp. Neg. conseq. 1^o. Quia usura in aliis quæ allegavimus Scripturæ locis, erga omnes generatim & sine ullo discrimine prohibetur. 2^o. Quia verba hæc, *populo meo pauperi*, legem quæ usuram verat non restringunt, quemadmodum nec istæ aliæ voces, *qui habitat tecum*: alioqui potuissent Judæi usuras à fratribus suis exigere, modo in iisdem ædibus vel in eadem civitate non vixissent; quod tamen ne adversarii quidem admittunt. Quæ in re consentientem habemus Grotium ipsum qui usuræ non parum favet: Vox pauperis, inquit, hic non restringit legem, sed exempli causâ posita est; quia plerumque ita accidit, ut illi magis egeant opis alienæ. (Tom. 1. part. 1. Criticor. sacror. in cap. 22. Exod. pag. 524. edit. Amstelodam, an. 1598.)

Sæpè enim Scriptura, dum crimina prohibet, personarum meminit in quas perpetrari solent; sic

dicitur: *Advenam non contristabis, neque affliges eum.* (Exod. 22. v. 21.) *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas.* (Proverb. 23. 10.) *Advena, & pupillo, & vidua non feceritis calumniam.* (Jerem. 76.) Numquid autem hæc peccata non prohibentur, nisi erga pupillos, & advenas, & viduas? Nequaquam. Quorsùm igitur horum sit mentio? quia scilicet in eos frequentius committuntur hujusmodi crimina; in objecto pariter loco pauperum meminit Scriptura, quia in eos & sapius & crudelibus exercetur usura.

Obj. 3^o. Christus herum inducit de servo pigro sic conquerentem: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* (Matth. 25. 27.) Ergo Christus ipse usuram approbat.

Resp. Neg. conseq. In Parabolis spectandus est finis ad quem collineant, cetera vero non debent ad litteram accipi. Numquid enim licet villicium iniquitatis imitari, quia dicitur ex domini sui bonis amicos sibi prudenter comparasse? atqui objectæ parabolæ scopus est nos admonere, ut in bonis spiritualibus à Deo acceptis semper proficiamus, iisque magis ac magis ditescere studeamus; ad eum ferè modum quo aliquis pecuniæ cupidus, usuris undique congestis rem suam augere studet. Hinc sanè nihil in usuræ gratiam colligi potest: *Usura*, inquit S. Thomas, *ibi metaphorice accipitur pro superexcrecentia bonorum spiritualium quam exigit Deus, volens ut in bonis acceptis ab eo semper proficiamus, quod est ad utilitatem nostram, non ejus.* (2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 1.)

Calvinus ipse, Melancton & alii Protestantes, quamvis usuræ patroni, fatentur nihilominus in ipsius gratiam afferri non posse objectam parabolam. In antiquis enim Bibliis tempore Calvini Genevæ vulgatis an. 1557, legitur hæc nota,

Il ne faut pas conclure de ce passage que le Seigneur veuille approuver les usures; mais il prétend ôter toute matière d'excuse à ceux qui négligent d'employer les dons, les grâces & les bienfaits qu'ils ont reçus de lui.

Obj. 4°. Tam licitum est aliquid recipere pro usu pecuniæ creditæ, quàm pro usu domûs locatæ: atqui licitum est exigere & recipere aliquid pro usu domûs locatæ; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. & parit. Qui enim rem alteri locat, ipsius proprietatem & dominium retinet, ita ut rei jactura in eum recidat, si fortuito quodam casu pereat; æquum est igitur ut aliquem ex rei suæ locatione fructum percipiat. Contrà verò ubi pecunia datur mutua, accipiens fit illius dominus; siquidem ea pro suo arbitrio uti potest, & pecuniæ amissionem patitur, si perierit, etiam sine ulla ipsius culpa & negligentia; ergo verus est pecuniæ dominus, ac proinde ad eum pertinet quicquid emolumenti inde provenit.

Præterea nulla Lex sive divina, sive humana vetat quominus aliquid lucri ex rei locatione percipiatur; contrà verò prohibet tum divina, tum humana Lex, ne quid præter sortem ex mutuo recipiatur; mutuum igitur & locatio sunt duo contractus omninò diverii.

Denique, si mutuum sit pecuniæ veluti locatio, ex qua liceat honestum moderatumque lucrum sumere, poterit etiam pecunia pauperibus locari, pactâ mercede, non secus ac domus vel ager: atqui negant ipsimet adversarii fas esse pecuniam pauperibus locare, & inde aliquid lucri exigere; fateantur ergo necesse est, plurimum intercedere discriminis mutuum inter & locationem.

Obj. 5°. Pecunia præsens pretiosior est pecuniâ absente, cum possit aliquis per priorem negotiari, non verò per posteriorem; ergo nonaginta aurei præsentès æquivalent centum aureis nonnisi post annum numerandis; qui ergo centum accipit post

annum, non confetur aliquid ultra sortem exigere, nec usuram committere.

Resp. Si valeat hæc nonnullorum Casuistarum subtilitas, vel nulla unquam erit usura, vel nunquam illicita esse poterit. Cum enim in mutuo quocumque detur pecunia præsens, & nonnisi post certum temporis spatium reddenda, nullum foret mutuum ex quo non posset aliquid præter sortem exigi: quod Scripturæ & constanti Patrum doctrinæ prorsus adversatur. Hinc meritò damnata fuit ab Innocentio XI, & à Clero Gallicano ista recentiorum Casuistarum propositio: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere & eo titulo ab usura excusari.* (Mém. du Clergé, Edit. ann. 1716. tom. I. pag. 727.)

Obj. 6°. Qui alteri usum concedit vasorum argenteorum ad solam ostentationem, potest aliquid exigere; ergo pariter qui per mutuum concedit alteri pecuniæ suæ usum.

Resp. Neg. conseq. & parit. Qui enim vasa argentea, alteri ad solam ostentationem commodat, illorum dominium retinet, eaque suo periculo concedit, ita ut si fortuito quodam casu pereant, horum jacturam ipse patiat; pretium autem exigere quisque potest pro usu rei suæ, suoque periculo commodatæ.

Contrà verò qui pecuniam mutuam tradit, illius dominium transfert in accipientem cujus periculo datur & perit, quamvis id sine ulla ipsius culpa & negligentia contigerit; ergo eâ pecuniâ utendo, utitur re suâ, ideoque pro illo usu nihil debet mutuanti, sufficitque ut summam restituat æqualem.

Inst. Illa domini translatio merum est commentum; 1°. quia dominium sine consensu transferri non potest; interrogentur autem omnes mu-

tuantes, & nullum reperias qui fateatur se velle pecuniæ datæ dominium abjicere; 2°. quia quando fit alicujus honorum recensio, gallicè *l'inventaire*, in eam refertur pecunia quam mutuam dedit.

Resp. ad primum. Verum quidem dominium non transfertur sine libero consensu; omnes verò quâ voluntate mutuare aut vendere volunt, eadem velint oportet dominium in *mutuatarium* aut emptorem transferre: siquidem aliter fieri non possunt hujusmodi contractus; hoc tamen onere imposito, ut emptor pactum solvat pretium, & *mutuatarium* parem reddat pecuniam tempore constituto.

Resp. ad secundum. Inter mutuantis bona recenseretur quidem pecunia quam dedit, quatenus scilicet in eam habet actionem; sed non idcirco verum in istam pecuniam dominium retinet: quid est enim dominium propriè dictum? facultas scilicet rem in omnes usus, in propriumque commodum adhibendi: atqui mutuans non potest pro suo arbitrio uti pecuniâ quam mutuam dedit, ut constat apud omnes; dominium ergo rei cum *actione & jure ad rem* confundunt adversarii. Dominium in actione & jure ad rem fundatum, à Jurisconsultis appellatur dominium latè sumptum, & quâdam juris fictione quâ fit ut nostra dicantur quæ nobis jure debentur: *Apud se enim quis habere videtur, de quo habet actionem.* (Lib. 50. Digest. tit. 16. leg. 143.) Dominium juris fictione dictum, imago quâdam & similitudo domini est, non verum dominium.

Obj. 7°. incommodum quod obtendere solent usurarum patroni, ut eas licitas esse probent. Quomodo, inquit, tot viduæ, tot honestæ personæ, & cujuscumque conditionis homine viverent, nisi pecuniam fœnori exponere liceret?

Resp. vanam hanc excusationem jamdudum fuisse ab Augustino sic profligatam: *Audent etiam faneratores dicere: Non habeo aliud unde vivam. Hoc mihi & latro diceret, deprehensus in fauce; hoc*

& effractor diceret, deprehensus circa parietem alienam, hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad prostitutionem.... Quidquid tale prohibere conarentur, responderent omnes quia non haberent unde aliter viverent: quasi non hoc ipsum in illis maxime puniendum est, quia artem nequitia delegerant, unde vitam transigant, & inde se volunt pascere, unde offendans eum à quo omnes pascuntur? (In Psalm. 128. n. 6. tom. 4. pag. 1450.) Perperam igitur excusatur usura quorundam incommodorum periculo; prius enim videndum an licita sit. Hanc autem Jure tum divino, tum humano vetitam esse demonstravimus.

Objiciunt 8o. & clamitant usurarii, sublata usura, actum fore de commercio, de mercatura, unde tanta in republicam derivatur utilitas.

Resp. licitam quidem esse & Republicæ utilem mercaturam, sed eam juxta Legis evangelicæ præscriptum exercendam: atqui verat Lex evangelica, verat etiam Principum nostrorum Edicta, ne commercium per usuras promoveatur. *Ab sit à Christianorum animis*, inquit Benedictus XIV, *ut per usuras florere posse lucrosa commercia existiment: cum contra ex ipso oraculo divino. (Prov. 14.) discamus quod justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum. (Epist. Encycl. adversus usuram.)*

Autor Gallicus qui non immeritò sese nuncupat *l'Ami des hommes*, testatur se diligenter expendisse utrum mutuum cum fœnore commercio & utilitati publicæ proficiat, an verò noceat, & diu circa quæstionem hanc incertum & ancipitem fluctuasse. Deinde hæc subjicit: *Pai enfin reconnu qu'indépendamment de l'autorité de la Religion, les opinions de l'Ecole s'accordoient à cet égard avec la droite raison & la saine morale, & qu'il en est du précepte qui défend l'intérêt du prêt à jour, comme de tous les autres dont l'observation, loin d'être nuisible à l'industrie, au commerce, &*

à tout ce qui peut concourir au bonheur de l'homme ici bas, seroit le plus sûr moyen de les faire fleurir. (Traité de la population, tom. 2. chap. 8.)

Præterea mutuum cum fœnore, ex quo in commercium, & inde in societatem, tantum utilitatis derivari contendunt adversarii, in populorum contra damnum verti sic ostendit Pater Hyacinthus de Gasquet opère laudando cui titulus, *l'usure démasquée*: Les Négocians proportionnent toujours leurs gains aux frais & dépenses de leur commerce. Ils vendent les marchandises suivant le prix qu'elles leur coûtent, toute déduction faite. Il faut d'abord qu'ils trouvent leur indemnité des avances nécessaires qu'ils font en loyers de maison, de boutique, de magasin, en voyages, en commis, ports de lettres, &c. & qu'avec cette juste indemnité, ils trouvent leur profit... Abandonneroient-ils ce principe pour le seul cas de l'intérêt de l'argent qu'ils emploient pour l'achat des marchandises, ou pour fournir aux autres dépenses de leur négoce? N'en cherchent-ils pas également leur indemnité? ils la cherchent, sans doute, & ils la trouvent toujours avec avantage; les Négocians en gros sur les marchands en détail, & ceux-ci sur le peuple, qui supporte ainsi l'intérêt des prêts à jour du commerce.... Tout le préjudice, tout le dommage tombe donc sur le public, & par conséquent sur les pauvres, qui en font la majeure partie. De quel front ose-t-on donc assurer que le salut de la chose publique dépend du prêt à intérêt? (Pag. 334 & suiv.)

Obj. 9^o. Quod spontè & liberè datur, licitè recipitur: atqui mutuarii, spontè & liberè moderatum lucrum præter sortem tribuunt; ergo illud potest recipi.

Resp. 1^o. Neg. maj. quæ generalior est: qui enim immoderatas usuras, octo, decem, quindecim in centum solvunt a varissimis fœneratoribus, necessitate urgente, se liberè & spontè dare dic-

titant: atqui tamen, satentibus adversariis, non licitum est immoderatas usuras accipere; ergo quod liberè datur, non semper justè recipitur.

Resp. 2^o. Neg. min. Illud enim non satis liberè datur quod, impellente necessitate, promittitur: atqui plerumquè usura, &c. quia scilicet norunt mutuarii non aliter pecuniam ab avidis fœneratoribus se consecuturos. Præterea lucrum præter sortem exigi solet, & in pactum deduci, ac proinde non satis liberè solvitur: Ille qui aut usuram, inquit S. Thomas, non simpliciter voluntariè dat, sed cum quadam necessitate, in quantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam ille qui habet, non vult sine usurâ mutuare. (2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 7.)

Obj. 10^o. Negotiator partim ex sua industria, partim ex pecunia quam ipsi mutuam dedi, rem suam amplificat; ergo nulla erit injustitia, si quam lucri particulam receperim.

Resp. Neg. consequ. Mutuus prorsus injustè lucrum cum negotiatore divideret, in aliud quippè nihil habet juris. Pecunia enim quam mutuam dedit, eo ipso jam non est sua, ut constat ex dictis; aliunde nullam industriam adhibuit, nullos sumptus posuit, nullum periculum subiit; nullum igitur habet titulum legitimum, quo possit lucri partem sibi vindicare: sed totum pertinet ad negotiatorem; 1^o. quia illud acquisivit ex pecunia cujus per mutuum factus est dominus, & omne suscepit periculum; 2^o. quia suâ tantum industriâ, suisque laboribus pecuniam ex se sterilem, fecit fructuosam; 3^o. quia si malè cessisset negotiatio, & perisset pecunia, totam illius jacturam solus tolerasset.

Obj. 11^o. Sit istud exemplum: Paulus mille nummos mutuos acceperat, & pro fœnore solvebat decimam sortis partem. Amicus ea de re certior factus ad Paulum venit, illicque mutuat parèmmam, ut eam creditori lucri nimis cupido rependat, nec

aliud ipse exigit quàm vigesimam sortis partem per singulos annos. In ea re porro nihil est injusti, nihil quod juri naturali tantisper repugnet. Contra de amico bene meretur, cui lucrum 50 nummorum quotannis affert.

Resp. alterum istud exemplum opponendo: Jacobus in latronem incidit, qui vi & metu ipsi crumenam extorquet, quæ mille nummos continet. Interim supervenit amicus, qui in praconem irruens, eum cogit raptum marsupium restituere. Deindè illud Jacobo reddit, ab eo postulans 50 nummos quos alter libentissimè largitur, secum bene actum putans quod ceteros nummos receperit. Nullus profectò est Casuista, qui hujusmodi amicum injustitiæ non accuset. At, inquit, quam injustam infert Jacobo? nonne verum ei confert beneficium, cum ipsi receptos debeat 50 nummos? nonne potest citra injustitiam 50 recipere, tanquam grati animi testimonium?

Quid respondebunt adversarij? Procul dubio respondent non in eo sitam esse illius amici injustitiam, quòd 950 nummos è latronis manibus ereptos Jacobo reddiderit; sed eum contra justitiam peccasse; quia sibi retinuit 50 nummos, tanquam beneficij mercedem, quod gratuitum esse debuit; eum nihil juris habuisse in 50 illos nummos qui, ut alij 950, clamant pro domino, ad Jacobumque non minus pertinent.

Pariter & nos objecto priori exemplo respondebimus illum qui Paulo mille nummos mutuavit, in eo non esse injustum, quòd amico subveniens ipsum ex immodico fœnore quotannis solvendo exemerit; quia in re singulare beneficium amico præstitit. Sed ipsi injuriam facit, ab eo 50 nummos pro singulis annis exigendo, quamvis non alium habeat titulum, quàm officium ei præstitum, quòd gratuitum esse jubent humanitatis leges, à jure naturali derivata. Misus quidem injustus est, quàm primus creditor qui fœnus immo-

deratum exigebat: sed tamen non omni iniquitate vacat, quia lucrum quod percipit, licet moderatum, non ipsi debetur propter rationes in hujus disputationis decursu expositas.

ARTICULUS III.

Quibus ex titulis liceat aliquid supra sortem exigere.

Aliquid præter sortem accipiendi tot titulos admittunt nonnulli Casuistæ, ut si ii omnes sufficiant, nemo usuræ reus esse possit. Præcipui verò illi tituli sunt privatio pecuniæ, obligatio eam usque ad certum tempus non repetendi, sortis amittendæ periculum, lucrum cessans & damnum emergens. De singulis iis titulis quid sentiendum sit, ut magis pateat, animadvertendum est generatim non posse aliquid ultra sortem exigi ob titulos qui mutuo sint necessario conjuncti: idem enim esset, ac lucrum percipere ratione ipsius mutui.

Hinc 1^o. pecuniæ privatio titulus non est legitimus, quia mutuo est indivisè illigata; siquidem non potest aliquis pecuniam mutuam dare, simul & retinere; si ergo propter illam privationem licitum esset quidpiam supra sortem accipere, nulla prorsus foret usuræ, vanumque esset istud Christi præceptum: *Mutum date, nihil inde sperantes.*

2^o. Obligatio sortem ante tempus certum non repetendi, non justa est causa propter quam aliquid amplius exigatur, quia cum naturâ mutui necessario devincta est. Quapropter obligatio pecuniæ non repetendæ, nisi post mensem vel annum, nihil aliud est quàm ipsum mutuum per illud tempus prorogatum, vi cuius nihil accipere licet supra sortem; unde ab Alexandro VII damnata est ista Casuistarum quorundam propositio: *Licitum*

est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. (Recueil des Bulles, in-8o. an. 1697. pag. 250.) Eamdem verbo Dei contrariam declaravit Clerus Gallicanus in Comitibus generalibus an. 1700. (Mémoire du Clergé, édit. 1716. tom. I. pag. 727.)

Duos illos titulos satis fuit raptim attingisse. De aliis vero, nempe de periculo sortis amittendæ, de damno emergente vel lucro cessante, fultius differendum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Utrum ob sortis amittendæ periculum liceat aliquid supra sortem exigere.

Annotandum, à Theologis non paucis duplex distingui sortis amittendæ periculum; aliud scilicet generale, commune, ordinarium, quod in omni mutuo reperitur, & quod idcirco vocant *intrinsecum*, oriturque ex casu fortuito, v. g. incendio; aliud particulare, ut aiunt, & extraordinarium quod à mutuo separari potest, quodque idè appellat *extrinsecum*, ut si pecunia detur homini prodigo, litigioso, naviganti in mari procelloso, vel merces per loca latronibus obfessa deferenti.

Apud omnes certum est non licere aliquid supra sortem exigere ratione periculi communis, quia necessariò est cum mutuo conjunctum, ipsique *intrinsecum*; sed inter Theologos controvertitur, an possit aliquid præter sortem exigi ob illius amittendæ periculum, quod vocant *particulare*, *extrordinarium*, *extrinsecum*. Pro parte affirmante stant multi Theologi, inter quos Cabasutius & Henricus à S. Ignatio. Ratio est, inquit, quòd probabile sortis amittendæ periculum sit mutuo *extrinsecum*, ab eoque sejungi possit, sicut damnum emergens, & lucrum cessans, quæ mutuo

non nisi per accidens aliquandò conjuncta sunt. Opinionem contrariam defendunt alii Theologi cum quibus sit.

PROPOSITIO.

Non licet sub periculi cujuscunque prætextu aliquid præter sortem exigere.

Prob. Si quid præter sortem accipere licitum esset ratione periculi, maximè propter illud quod *extrinsecum* dicitur: atqui supponunt adversarii, non verò probant, dari periculum mutuo *extrinsecum*. Quod enim in exemplum afferunt periculum annexum mutuo quod datur homini, vel prodigo, vel litigioso, vel naviganti in mari procelloso; periculum, inquam, illud est quidem *extrinsecum* mutuo generatim sumpto: sed huic vel illi mutuo verè est *intrinsecum*, sicut & periculum adjunctum mutuo quod sit erga pauperem.

Et verò mutuum inter Christianos caritatis & prudentiæ regulis temperatur; quis autem inter Christianos prudens pecuniam mutuam dabit viris dubiæ fidei, decoctoribus, litigiosis, prodigis, ludo deditis, aut commercia nimium periculosa exercentibus? quod si faciat, id non aget nisi vel ex caritate, vel ex avaritiæ & lucri cupidine: si primum, mutuum erit gratuitum; si secundum, mutuum usurâ scædabitur.

Præterea periculum nascitur ex eo quòd res mutuatarum vel desperatæ sunt, vel probabiliter erant, vel tales fieri possunt. Fatentur adversarii in tertio casu non esse nisi periculum remotum, propter quod lucrum ultra sortem, exigere absque usura nemo potest: atqui nullus usurarius lucri cupidus, iis pecuniam credit qui in primo & secundo casu versantur, quorum scilicet res aut jam desperatæ sunt, at probabiliter erunt, sed iis duntaxat qui in tertia classe reperiuntur; ergo semper aderit usura.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. S. Thomas docet posse augeri pretium propter periculum cui se exponit mercator, transferendo rem de loco in locum. (2. 2. q. 77. art. 4. ad 2.) Ergo pariter pretium sortis augeri potest propter periculum cui exponitur.

Resp. Neg. conseq. quia mercatorem inter & mutuante[m] maxima est disparitas: mercator enim de loco in locum merces transferendo, in multa incurrit pericula. Si merces à piratis vel latronibus rapiantur, aliove casu pereant, ipsi mercatori pereunt; idcirco propter hujusmodi pericula pretium augere potest: pecunia autem mutua perit accipienti, penes quem est ejus periculum, sicut & dominium: plurimum igitur discriminis est mercatorem inter & mutuante[m].

Obj. 2^o. Periculum est mutuo extrinsecum & per accidens conjunctum; ergo ratione periculi sortis amittendæ, aliquid sine usura potest exigi.

Resp. Neg. ant. De natura enim mutui est, ut dominium pecuniæ transferatur in accipientem: atqui eo ipso periculum est mutuo intrinsecum; siquidem mutuarius, cum sit acceptæ pecuniæ dominus, eam exponere potest ludo, mercatura periculosa, aut comestatione, luxu, aliove modo dissipare.

Inst. Quod à mutuo separari potest, ipsi extrinsecum est: atqui periculum à mutuo disjungi potest, nimirum per fidejussionem, cautionem, vel pignus, gage; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Quia pignore & fidejussione tollitur quidem effectus periculi; id est, impenditur ne quid damni inde patiatur mutuans; sed pignus quod exigitur, probat mutuo nudè & in se sumpto insitum esse periculum. Mutuum enim juxta adversarios non fit expers periculi, nisi quatenus pignore vel fidejussione munitum & quasi circum-

septum est; in se igitur & naturam suam spectatum, aliquid periculi adjunctam habet. Si enim mutuo nihil inesset periculi, ut quid pignus exigeret mutuans?

PARAGRAPHUS II.

Utrum liceat aliquid præter sortem accipere ob lucrum cessans & damnum emergens.

Mutuanti lucrum cessare dicitur, ubi aliquo fraudatur emolumento, quod probabiliter obtineret, si mutuum non daret, ut si pecuniam adhibiturus esset ad negotiandum. Tunc verò damnum dicitur emergere, cum propter mutuum aliquid detrimenti tuis rebus accidit, ut si triticum majori pretio emerè cogaris, si agrum tuum excollere nequeas, &c. Nunc proposita quaestione ut respondeatur, sit

PROPOSITIO.

Mutuans aliquid præter sortem exigere licitè potest, cum propter damnum emergens, tum propter lucrum cessans.

Probatur prima pars. 1^o. Quia rationi & aequitati maxime consentaneum est, ut mutuans non teneatur detrimentum pati, propter beneficium alteri præstitum: atqui tamen illud mutuanti contingeret, si jacturæ quæ ex mutuo provenit compensationem exigere non posset. 2^o. Quia postulat æquitas ut, si rebus tuis consulam, tu vicissim meis consulas: atqui rebus meis non consulere, si damnum quod tuâ causâ patior non rependeres; ergo, &c.

Prob. secunda pars quæ prioris est veluti consecutarium. Licitum est, ut modò probavimus, aliquid ultra sortem accipere propter damnum emer-

gens: atqui lucrum cessans est aliquod damnum emergens, quia non solus ille detrimentum patitur, qui perdit rem quam habet, sed ille etiam qui impeditur ne rem quam habiturus erat, consequatur: *Qui mutuum dat*, inquit S. Thomas, *potest absque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompensationem damni per quod subtrahitur sibi quod debet habere. Hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare.* (2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1.) Præterea per titulum lucri cessantis nihil exigitur præter sortem vi mutui; sed ratione spei quam habet mutuans lucrum certò, vel probabiliter ex pecunia sua faciendi: hæc autem spes pretio æstimabilis est, siquidem vendi potest.

Nonnullæ tamen requiruntur conditiones, quarum alia damnum emergens, & aliæ lucrum cessans spectant.

Quæres 1^o. quænam requirantur conditiones, ut aliquid præter sortem exigi possit ob damnum emergens.

Resp. Ut damnum emergens titulus sit legitimus, tres conditiones apponantur necesse est; prima, ut mutuum vera sit damni causa: hinc si mutuans aleâ ludens perdat, ideòque aliquid detrimenti patiatur, id non mutuo, sed imprudentiæ suæ tribuere debet; secunda, ut mutuans de damno sibi probabiliter subeundo præmoneat accipientem, qui poterit meliorem fortunam aliò quærere, & nolle tale onus in se suscipere; qui si præmonites non fuerit, minimè tenebitur damnum, si postea contigerit, compensare; tertia, ut quod præter sortem accipitur, non sit majus damno cui locum dedit mutuum: alioqui non servaretur æqualitas, & quidquid damnum excederet usura esset.

Quæres 2^o. quænam conditiones sint necessariæ,

ut lucrum cessans justa sit causa aliquid ultra sortem accipiendi.

Resp. Quinque necessariae sunt conditiones; prima, ut pecunia credita, vel negotiationi, vel acquirendæ rei frugiferæ verè sit destinata; alioqui fictus esset titulus; secunda, ut mutuans non aliam habeat pecuniam otiosam: si enim habuerit, vi mutui non patitur damnum lucri cessantis, cum aliud possit illi occurrere; otiosa tamen non censeri debet pecunia, quæ in familiæ sustentationem, in filiarum dotem, vel in casus inopinatos seposita est: hujusmodi enim pecunia non commodè potest in locum mutuatæ subrogari, ut in faciendum lucrum impendatur; tertia, ut mutuans accipientem moneat de lucro cessante; alioquin illius compensationi non consentiret, nec ad eam teneretur, modò lucro cessanti causam non præbuerit per moram culpabilem; quarta, ut in compensatione lucri sperati deducantur expensæ faciendæ, & pericula subeunda: ex iis enim fit ut non tanti valeat res sperata duntaxat, quanti res jam comparata & possessa; quinta, ut lucrum sit certò vel probabiliter percipiendum, nec satis est ut possibile tantum sit, quia possibile non habetur ratio.

Quæres 3^o. an possit mutuans in sortem non computare fructus pignoris quod ipsi pro cautione pecuniæ, *pour l'assurance de la somme*, datum fuit; si, v. g. à me domum acceperis ad pecuniæ mihi datæ cautionem, quæritur an fructus è domus locatione prodeuntes, possint à te sine usura percipi, donec debitum tibi solverim.

Resp. contractum illum esse prorsus usurarium. In eo quippè vi mutui aliquid supra sortem accipitur, nempe reditus qui non pertinent ad mutantem, benè verò ad *mutuatarium*, cum res quælibet ex axiomatico domino suo fructificet; ut ergo contractus ille sit expers usuræ, fructus per-

cepti in sortis diminutionem computari debent, deductis tamen sumptibus in re vel servanda, vel excolenda factis.

Quæres 4^o. an possit mutuans pacisci, ut si accipiens præfixo tempore, suâ culpâ non restituat, tunc aliquid præter sortem solvat in pœnam moræ, etiam lucro non cessante, nec damno emergente. Quæ pœna dicitur *conventionalis*, quia ex contrahentium mutuo consensu statuitur.

Resp. Conventionem hanc licitam affirmant multi Theologi, positis nonnullis conditionibus. Pœna *conventionalis*, inquirunt, ex contrahentium consensu apponitur, & quidem ob finem legitimum, nempe ut contractuum firmitati consulatur, & puniatur iniquitas vel negligentia *mutuatarii*, qui rem sibi creditam retinet, invito benefactore suo.

Hanc autem opinionem rejiciunt, & quidem probabilis, nonnulli Theologi. Mutuans enim pactum pœnæ *conventionalis* mutuo adjicit, vel quia timet ne fors, post diem præstitutum, in periculum adducatur; vel quia existimat conventionem hanc pœnam fore quasi stimulum *mutuatario*, ut die præfixo solvat: atqui duæ istæ rationes non valent. Prima quidem manifestum est usuræ palium: jam enim probavimus usurarium esse quidquid exigitur ob periculum sortis amittendæ, quia periculum est mutuo *intrinsecum*. Præterea qui veretur ne fors peritura sit post tempus constitutum, magis etiam timere debet ne sibi non solvatur pœna *conventionalis*: qui enim centum solvere non poterit, multò minùs solvet centum & quinque; ergo prima hæc ratio infirma est, usuramque involvit.

Secunda etiam ratio prorsus inanis est; si enim mutuans prævideat accipientem in differenda sortis restitutione fore contumacem, aut non ei dabit mutuum, aut fidejussorem vel pignus postulabit: si, neglectis his duobus præidiis, quæ tutam red-

dunt sortis restitutionem, mutuans confugiat ad pœnam *conventionalem* quæ sortem in tuto non collocat; nonne argumentum est evidens eum usuram querere?

Denique inter conditiones quas requirunt adversarii hæc potissima est, ut mutuans rectam habeat intentionem; id est, magis velit sortem sibi præfixo tempore restitui, quàm pœnam *conventionalem* solvi: si enim pœnæ pretium magis quàm restitutionem optaret, jam vellet lucrum ex mutuo percipere; quod planè usurarium est. Porro si mutuans verè & efficaciter velit non lucrari ex mutuo, sincerè etiam velle debet ut pœna *conventionalis* non solvatur; alioqui duo vellet contradictoria: atqui si efficaciter velit ut *mutuatarius* pœnam non solvat, quomodo illam exigit, elapso tempore constituto? Numquid lucrum quod verè nolit aliquis, reipsa curat ut sibi solvatur?

Quæres 5^o. an creditor possit in foro conscientie percipere usuras, gallicè *les intérêts*, per sententiam Judicis sibi assignatas, si nullum ex dilata solutione damnum passus fuerit.

Resp. Alii existimant licitè posse creditorem usuras sibi à Judice assignatas recipere, etiamsi nullum subierit damnum, modò tamen debitor sit in mora culpabili; alii verè negant: posteriorem hanc opinionem amplectitur Collator Parisiensis, & quidem meritò. Lex enim judicat creditorem suis in rebus damnum pati ex dilata pecuniæ suæ solutione. Id colligitur ex eo quòd Edictum Aurelianense an. 1560, majores usuras adjudicet mercatoribus, & largiores etiam opificibus quibus aliquid debetur.

Quam autem ob causam? quia scilicet hujusmodi homines gravius damnum ex pecuniæ suæ privatione patiuntur, quàm alii. Porro si Lex majores usuras eis adscribat, quæ propter dilatam pe-

cunæ suæ solutionem majus incommodum subeunt, nonne id manifesto est argumento, Legem nemini usuras adjudicare, nisi coniciendo eum in aliquid damni incurrere post tempus solutioni præfixum? Hæc conditio ita necessaria est, ut, eâ deficiente, contra justitiam peccet creditor qui usuras à Judice sibi concessas recipit: compensationem enim exigit, dum nullam patitur jacturam, quod juri naturali opponitur.

CAPUT III.

De Contractu societatis.

CONTRACTUS societatis definitur: *Duorum vel plurium conventio aliquid contribuendi ad commune lucrum & damnum, pro ratione rerum collatarum, gallicè à proportion des fonds qu'on y a mis.*

Dicitur 10. *Conventio aliquid contribuendi*, scilicet operam, industriam, pecuniam, instrumenta negotiationis, v. g. navim, equos, &c. 2º. *ad commune lucrum*, ut designetur finis proximus societatis negotiatoriæ de quâ hic agitur; 30. *& damnum*: æquum est enim ut ei commune sit damnum qui partem habet in lucro. Societas enim quæ ita coalescit, ut alter lucrum duntaxat sibi vindicet, nec damnum dividat, in jure dicitur *societas leonina*, & ab eo reprobat; (*Lib. 17. digest. tit. 2. leg. 29.*) 4º. *pro ratione rerum collatarum*, ita ut quò plura contulit aliquis, eò majorem lucri partem recipere debeat: alioqui non servaretur æqualitas.

Societas, ut patet, maximè differt à mutuo; in societate enim qui confert pecuniam, retinet ejus dominium, illiusque periculum & damnum in se recipit, quod non fit in mutuo. Idcirco potest

aliquid præter sortem accipere, tanquam pecuniæ suæ fructum, quam negotiationi & periculo exposuit.

Quæres 10. quænam conditiones ad justam societatem requirantur.

Resp. Quatuor requiri solent; prima, ut negotiatio propter quam inita est societas, sit licita: alioqui societas nulla esset ac irrita; secunda, ut pecunia verè ad negotiationem aliquam adhibeatur: si enim pecuniam conferens noverit nullam securam negotiationem, non erit societas, sed mutuum ficto societatis titulo dissimulatum; ex eo proinde non posset citra usuram *palliatam*, lucrum præter sortem exigere; tertia, ut lucrum vel damnum à societate proveniens, sociis commune sit pro rata parte quam quisque in societatem contulit: alioquin violaretur æqualitas; quarta tandem conditio est, ut pecuniam conferens illius periculum in se recipiat & jacturam, si pereat: hoc enim periculum solus est titulus legitimus, propter quem pecuniam contribuens, aliquam lucri partem sibi vindicare possit.

Quæres 2º. si finita societate, nullum sit lucrum, solaque pecunia remaneat ab uno sociorum collata, hæcne dividenda erit inter ipsum, & alium qui operam pecuniæ parem contulit?

Resp. eam conferenti totam esse restituendam: si enim periisset pecunia, ei perire debuisset qui eam contulit; ergo ubi superest, eidem restitui debet, ut qui sentit onus, sentiat & commodum; neque in ea re violatur æqualitas: qui enim pecuniam suam negotiationi exposuit & eam sterilem recipit, non minùs perdit quàm qui nihil lucri ex sua industria percipit.

Quæres 3º. quid sit societas animalium.

Resp. conventionem esse duorum vel plurium,

cunæ suæ solutionem majus incommodum subeunt, nonne id manifesto est argumento, Legem nemini usuras adjudicare, nisi conjiendo eum in aliquid damni incurrere post tempus solutioni præfixum? Hæc conditio ita necessaria est, ut, eâ deficiente, contra justitiam peccet creditor qui usuras à Judice sibi concessas recipit: compensationem enim exigit, dum nullam patitur jacturam, quod juri naturali opponitur.

CAPUT III.

De Contractu societatis.

CONTRACTUS societatis definitur: *Duorum vel plurium conventio aliquid contribuendi ad commune lucrum & damnum, pro ratione rerum collatarum, gallicè à proportion des fonds qu'on y a mis.*

Dicitur 10. *Conventio aliquid contribuendi*, scilicet operam, industriam, pecuniam, instrumenta negotiationis, v. g. navim, equos, &c. 2º. *ad commune lucrum*, ut designetur finis proximus societatis negotiatoriæ de quâ hic agitur; 30. *& damnum*: æquum est enim ut ei commune sit damnum qui partem habet in lucro. Societas enim quæ ita coalescit, ut alter lucrum duntaxat sibi vindicet, nec damnum dividat, in jure dicitur *societas leonina*, & ab eo reprobat; (*Lib. 17. digest. tit. 2. leg. 29.*) 4º. *pro ratione rerum collatarum*, ita ut quò plura contulit aliquis, eò majorem lucri partem recipere debeat: alioqui non servaretur æqualitas.

Societas, ut patet, maximè differt à mutuo; in societate enim qui confert pecuniam, retinet ejus dominium, illiusque periculum & damnum in se recipit, quod non fit in mutuo. Idcirco potest

aliquid præter sortem accipere, tanquam pecuniæ suæ fructum, quam negotiationi & periculo exposuit.

Quæres 10. quænam conditiones ad justam societatem requirantur.

Resp. Quatuor requiri solent; prima, ut negotiatio propter quam inita est societas, sit licita: alioqui societas nulla esset ac irrita; secunda, ut pecunia verè ad negotiationem aliquam adhibeatur: si enim pecuniam conferens noverit nullam securam negotiationem, non erit societas, sed mutuum ficto societatis titulo dissimulatum; ex eo proinde non posset citra usuram *palliatam*, lucrum præter sortem exigere; tertia, ut lucrum vel damnum à societate proveniens, sociis commune sit pro rata parte quam quisque in societatem contulit: alioquin violaretur æqualitas; quarta tandem conditio est, ut pecuniam conferens illius periculum in se recipiat & jacturam, si pereat: hoc enim periculum solus est titulus legitimus, propter quem pecuniam contribuens, aliquam lucri partem sibi vindicare possit.

Quæres 2º. si finita societate, nullum sit lucrum, solaque pecunia remaneat ab uno sociorum collata, hæcne dividenda erit inter ipsum, & alium qui operam pecuniæ parem contulit?

Resp. eam conferenti totam esse restituendam: si enim periisset pecunia, ei perire debuisset qui eam contulit; ergo ubi superest, eidem restitui debet, ut qui sentit onus, sentiat & commodum; neque in ea re violatur æqualitas: qui enim pecuniam suam negotiationi exposuit & eam sterilem recipit, non minùs perdit quàm qui nihil lucri ex sua industria percipit.

Quæres 3º. quid sit societas animalium.

Resp. conventionem esse duorum vel plurium,

quorum alii quendam animalium numerum in societatem conferunt; alii verò hæc animalia servant & pascunt, ut ex fructibus lucrum percipiant. Licita est hujusmodi societas, positis tribus conditionibus; prima est, ut quando animalia sine accipientis dolo vel culpa pereunt, non ipsi pereant, sed tradenti, quia ipsorum dominus remanet; secunda, ut villicus animalia pascat, & accuratam totius lucri rationem reddat: hoc enim solo diligentis custodia titulo, suam in lucro partem sibi vindicare potest; tertia conditio est, ut in proventuum vel lucri divisione servetur æqualitas, ita ut *tradens* recipiat partem *capitali* suo congruentem; *accipiens* verò partem habeat suis laboribus & industriae parem, juxta hominum in ea re peritorum æstimationem.

Aliquando accipiens, *le preneur*, dimidiam *capitalis* partem solvit, sive ex novis fortibus, sive ex pecunia sua, & tunc societas dicitur *chetel affranchi*; interdum autem non solvit, tuncque appellatur *chetel non affranchi*. In primo casu periculum ad dantem & accipientem pertinet, & cum lucro dividitur ex æquo *capitale*, ut potè quod factum sit commune. In secundo casu periculum est danti qui idcirco totum *capitale* recipit, nisi fortuito perierit eventum. De hujusmodi contractibus vide Collatorem Parisiensem. (*Conf. sur l'usage, tom. 2. liv. 6.*)

CAPUT IV.

De triplici Contractu.

FAMOSUS ille contractus triplex dicitur, quia tres contractus complectitur; scilicet 1º. *societatem*; 2º. *sortis cautionem*, gallicè *contrat d'assurance*;

3º. *venditionem lucri majoris & incerti pro minori & certo*. Sic autem conficitur: in eo contractum societatis cum Paulo negotiatore, apud quem centum aureos depono; ipse verò industriam confert, ut ambo simus lucri participes. Spero me ex eo contractu comparaturum esse triginta circiter aureos supra *capitale*; quod ne pereat veritus, conficio cum eodem Paulo contractum, qui dicitur gallicè *contrat d'assurance*, & meam pecuniam ut tutam faciat, ei decem aureos promitto. Sed existimans mihi utilius fore, si lucrum habeam certum, tertium cum Paulo contractum in eo, eique *lucrum* majus quod spero, & quod incertum est, vendo pro decem aureis mihi donandis, sive bonè, sive malè succedat negotiatio. *Capitali* sic extra periculum constituto, contingit ut certo recipiam decem aureos præter sortem. Quæritur autem an ea contractuum complexio usuram careat.

PROPOSITIO.

Triplex Contractus illicitus est, usuramque involvit.

Prob. 1º. Contractus ille vitatur usura, in quo præter sortem aliquid accipitur vi mutui: atqui in triplici contractu aliquid ultra sortem recipitur, ut patet, & quidem ratione mutui: contractus enim societatis cui accedit *cautio sortis*, gallicè *l'assurance du capital*, abit in verum mutuum; socius enim qui pecuniæ sponsores se præbet (*qui assure le capital*), illius fit dominus, cum hujus jacturam ipse patiat, si pereat, eaque pro suo arbitrio uti possit, modo lucrum de quo conventum fuit præter sortem rependat.

Prob. 2º. Aliquid supra sortem recipere absque titulo, illicitum est ac usurarium: atqui in triplici contractu aliquid supra sortem accipitur absque titulo: si quis enim esset, maxime societas: atqui in triplici contractu allegari non potest societas, tanquam titulus legitimus, siquidem planè destrui-

tur : nam stare non potest societas sine Lucri & damni communione : atqui hæc communio in triplici contractu prorsus tollitur, cum socius qui pecuniam contulit, certus sit de lucro & forte; ergo, &c.

Et verò tradere mille aureos sub spe lucrandi 150, ex illoque lucro sperato centum cedere, tum pro *fortis cautione*, tum pro venditione lucri incerti, quid aliud est quàm mutuos dare mille aureos ut, quidquid contigerit, recipiantur mille & quinquaginta? quod profectò sine usura fieri non potest.

His omnibus accedit quòd triplex contractus damnatus & reprobatus fuerit à S. Carolo in Concilio Mediolanensi I; (tom 15. Concil. pag. 311.) à Sexto V, in Bulla *Detestabilis*, an. 1586; (*Magnum Ballar. Rom. tom. 2. pag. 558. edit. Lugd. an. 1655.*) & à Facultate Parisiensi quæ eum repetitis censuris confixit, annis 1641, 1658 & 1665. (*d'Argentré, collect. judicior. tom. 3. pag. 329 & seq. -- Ibid. pag. 77. & seq. & pag. III. col. 1.*)

Obj. Ibi non est mutuum, ubi pecuniæ sponfor, *l'assureur du capital*, illius non fit dominus : atqui in triplici contractu socius pecuniæ sponfor, non fit illius dominus; ergo in triplici contractu verum non est mutuum.

Resp. Neg. min. Ille enim est rei dominus cui res ea periclitatur, perit, stat, fructificat, & qui eâ pro arbitrio uti potest : atqui in triplici contractu pecunia cujus sponfor est socius mercator, ipsi periclitatur, &c. & de ea potest, ut sibi libuerit, statuere. Conferentis enim nihil omnino interest, in quem usum pecuniæ à socio mercatore impendatur, modò fortem cum pacto lucro recipiat; ergo censendus est verum illius dominium in socium negotiatorem transtulisse, ut fit in quolibet mutuo.

Inst. Socius mercator qui pecuniæ vadem se præbuit, *qui a assuré le capital*, non potest eâ pro

pro suo arbitrio uti; sed tenetur vi contractus societatis pecuniam hanc in negotiationem impendere; illius ergo non est dominus.

Resp. Neg. ant. Cum enim teneatur mercator fortem, quicumque fuerit eventus, restituere, eam potest sive in negotiationem, sive in alium usum pro libitu conferre. Nullam quippè alteri socio injuriam infert, cujus nihil interest ad quoscumque usus adhibeatur pecunia; modò & fortem, & lucrum, de quo conventum fuit, recipiat tempore constituto. Præterea mercator qui pecuniæ collatæ sponfor est, non posset sine injusta vexatione spoliari libertate, eam in quoscumque voluerit usus conferendi, cum ad eum pertineat illius periculum & commodum, & pecunia hæc sibi pereat vel stet, accrescat aut decrescat.

Quæres utrum licitus sit contractus societatis cum fortis cautione, si lucrum non vendatur; vel cum venditione lucri, sine *capitalis* cautione. Hæc quæstio gallicè sic proponitur : *Un associé ne peut-il pas se faire assurer son capital par son associé, pourvu qu'il ne lui en vende pas les profits? ne peut-il pas encore lui vendre les profits sans se faire assurer son capital?*

Resp. 10. à plurimis Theologis ut licitum defendi hujusmodi contractum, quia non habet, inquit, vitium quod in triplici contractu reperitur; scilicet non vertitur in mutuum, quia socius qui pecuniæ ab alio collatæ periculum in se recipit, illius non fit dominus: siquidem verè tenetur eam impendere in negotiationem, de qua inter ambos conventum est, ut nimirum qui pecuniam dedit, ex ea fructus percipiat, si qui proveniant; quòd si lucrum vendatur, nec alius socius pecuniæ sponforem se præbeat, certè multò minus erit pecuniæ dominus, quandoquidem si pereat, ei sit peritura, à quo collata fuit in societatem.

Præterea, inquit, requirimus 10. ut ille qui

suâ pecuniâ cautionem (assurance) accipit, justum pro ea pretium tradat; 2^o. ut pretium illud non fictè, sicut in triplici contractu contingit, sed verè sponfori (à l'assureur) solvatur, etiâsi nihil lucri ex societate percipiatur: quo sensu domino suo perit. Itaque si nullus ex societate questus proveniat, unusquisque sociorum suam hujus damni partem sustinet.

Denique hæc cautio quam in se recipit socius, non magis societati nocet, quàm si fieret ab alio extra societatem; atqui in posteriori casu societatem non perimit cautio; ergo neque in priori. (Ita D. Collet.)

Resp. 2^o. opinionem hanc ab aliis Theologis rejici, inter quos eminent Collator Parisiensis. Hæc sententia, inquit, non videtur probabilis, nec licita est illius praxis, saltem quoad contractum cautionis, d'assurance, quia per eum destruitur societas. Hæc enim stare non potest sine duplici conditione prima est, ut qui pecuniam confert, illius periculum subeat; secunda, ut lucrum inde proventurum, neutri socio certum ac tutum sit, gallicè ne soit point garanti. Quæ duo si non fuerint simul conjuncta, societas fictitia est, in mutuumque venit.

Quod spectat ad venditionem lucri majoris sed incerti, pro minori et certo, hæc uni socio lucrum certum asserit: inter socios autem omnia debent esse incerta, tum capitale, tum lucrum: eâ enim tantum conditione societas contractus est licita. Ita Collator Parisiensis.

Quoad posteriorem istam partem aliter sentit Pater de Gasquet, licet usuræ insensibilissimus, in opere cui titulus, *l'usure démasquée*. Suam sententiam ita probat: Rien de plus permis que ce contrat de société, & d'abonnement du profit, puisqu'il laisse subsister la société, & que d'ailleurs il n'a rien que de juste.

1^o. Il laisse subsister la société, parce que se

contrat exige seulement comme une chose essentielle, que le capital soit exposé à la perte pour celui qui l'a mis, & que le profit qui en revient par le commerce, soit partagé entre les associés à proportion de ce qu'ils ont fourni. Or tout cela se trouve dans la société dont il s'agit, après même l'abonnement; puisque le capital est aux risques de celui qui l'a mis, & que le gain est partagé proportionnellement. Car quoique le capitaliste ait toujours un gain fixe & déterminé en vertu de l'abonnement, ce gain est probablement moindre, que celui qu'en retirera l'autre associé: et quoique celui-ci coure risque de ne rien gagner, il risque aussi plus souvent de gagner davantage, & son espérance compense suffisamment sa crainte; de sorte que chacun d'eux participe à proportion à la perte & au profit, en quoi consiste la nature de la société.

2^o. L'abonnement n'a rien que de juste, puisqu'il n'est autre chose que la vente d'un plus gros gain en espérance, pour un moindre gain assuré, & que les Loix approuvent cette vente, sur le fondement qu'elles autorisent les gageures & les paris. N'est-il pas ordinaire qu'un pêcheur vende le profit incertain qu'il espère d'un coup de filet, moyennant un moindre profit qu'on lui offre? N'achete-t-on pas tous les jours de la même manière les fruits d'un verger qui sont à naître, ou fort éloignés de leur maturité, & qui peuvent périr à l'acheteur par plusieurs accidens? (ibid. pag. 441 & 442.)

Resp. 3^o. Quicquid sit de illa controversia, id certum est, non facile permittendum esse duplicis illius contractus usum, quia tum propter hominum cupiditatem, tum propter fraudis & usuræ pericula quæ secum importat, vix ac ne vix quidem ad praxim sine peccato reducitur; ut si socius cujus capitale in tuto ponitur, pretium illius cautionis, de cette assurance, assignet percipiendum ex lucro sperato, quod forsan non erit; aut si non servetur æqualitas inter pretium &

periculum, vel inter spem lucri majoris quod venditur, & lucrum minus quod certum & tutum praestatur.

CAPUT V.

De Cambio.

CAMBIUM (gallicè *change*) definitur contractus quo pecunia pro pecunia commutatur, cum aliquo lucro *camporis* (*changeur* ou *banquier*.) Qui recipit pecuniam, dicitur *camporius*.

Cambium dividitur in *fidum* & *reale*. *Fidum* illud est quo reipsa non permutatur pecunia, sed permutari fingitur, verumque est mutuum nomine cambii velatum. Dicitur etiam *secum*, quia instar fundi siccus & aridus nihil parere debet: Fraudulenti hujus cambii notionem sic exhibet Collator Andegavensis: *Le change sec n'est qu'une fiction de change, & dans la vérité ce n'est qu'un prêt à qui on donne le nom de change pour couvrir l'usure qui s'y commet: car quoiqu'un Banquier donne une lettre de change pour la somme en être payée dans une autre ville, il n'y a ni transport d'argent en cette ville, ni change d'un argent présent contre un autre argent qui doit être payé dans une autre ville: mais la somme spécifiée dans la lettre de change est payée dans le même lieu où la lettre a été expédiée. On donne faussement à ce commerce frauduleux & plein de mensonges le nom de change, qui est consacré pour expliquer le profit légitime que les Banquiers peuvent retirer pour les lettres de change qu'ils fournissent de place en place, & pour le transport de l'argent d'un pays dans un autre; & en vérité ce n'est qu'une usure palliée. (Confér. sur les contrats, tom. 2. pag. 37 & 38. édit. de 1768.)*

Cambium verum & reale illud est, in quo reipsa

pecunia pro pecunia commutatur. Triplex distinguitur, *manuale*, *locale* & *temporale*. *Manuale* quod etiam dicitur *minutum*, est illud quo praesens pecunia de manu ad manum pro alia diversae speciei traditur, ut aurea pro argentea, Gallica pro Hispanica. *Locale*, seu cambium *per litteras*, est permutatio pecuniae praesentis cum distante, si, v. g. Lugduni dederis pecuniam campori, ut eam per litteras amico tuo curet restituendam Lutetiae. *Temporale* illud est quo hodie v. g. datur pecunia, ut post tres aut quatuor menses cum additamento reddatur.

Quodnam cambii genus licitum sit aut illicitum, nunc statuendum est.

PROPOSITIO I.

Cambium secum & temporale illicitum est.

Prob. prima pars. Cambium *secum* verum est mutuum alio nomine velatum, ex quo lucrum sine alio titulo percipitur, ut patet ex his quae modo diximus: atqui lucrum ex mutuo sine alio titulo acquisitum, prorsus illicitum est ac usurarium; ergo, &c.

Prob. secunda pars. In cambio temporali datur hodie pecunia eâ lege, ut eadem summa post aliquot, tres v. g. menses, cum nova accessione restituatur. Quod si post elapsum illud tempus, promissioni non satisfiat, haec renovatur, & incrementum jam debitum *capitali* additur, ita ut solvenda sit usura usurae, quod tunc appellatur *recambium* (*rechange*): atqui contractus ille multiplici foedatur iniquitate. 1o. Quia accretio non exigitur, nisi ob privationem pecuniae usque ad certum tempus, & solutionis dilationem: unde quod diutius protrahitur solutio, eò majus incrementum postulatur: atqui propter pecuniae privationem, vel solutionis dilationem, aliquid praeter sortem requirere, mera est usura, ut conitat ex

dictis & postea dicendis. 29. Quia nequidem negotiatoribus licitum est usuram usurae exigere, quod tamen fit in hujusmodi cambio. 30. Quia ideo campforibus aliquid supra sortem accipere licet, quod varios habeant id faciendi titulos; ut modo sumus exposituri: atqui ii tituli locum non habent in cambio de quo agitur; ergo, &c. Vide Collatorem Parisiensem. (*Conf. sur l'usure, tom. 2. pag. 143.*)

Nequicquam responderetur cambium illud Principis autoritate firmatum esse. Id enim disertè negant, qui de cambis licitis & illicitis accuratius scripsere; & inter alios vir sanè eruditus *D. Maréchal*; quinimò idem candidè fatetur *Advocatus* quidam nomine *Collet*, qui in hujusce cambii gratiam scripserat, & cujus verba sic refert *Collator Parisiensis*: *Quelques Casuistes particuliers ont parlé favorablement pour les changes; ... mais ils ont d'abord été accablés par tous les écrits & les solides raisonnemens de leurs adversaires, en sorte que c'est un parti déjàit que le nôtre, qui doit demeurer dans le silence, & se contenter de la tolérance qu'on nous laisse, sans disputer la victoire.*

PROPOSITIO II.

Cambium verum licitum est, modò lucrum sit moderatum, & quale vel legibus, vel locorum consuetudine statuitur.

Prob. Illud licitum est quod in Reipublica bonum cedit, & nihil habet vitii; atqui 10. verum cambium vergit in bonum Reipublica, eùm illius ope multorum civium damnis & incommodis occurratur: multis enim opus est pecuniâ quæ in locis quò peregrinaturi sunt, in usu est; multi sine lanonum metu & periculo, suas pecunias in locum distitum transferre nequeunt: atqui cambii veri subsidio tolluntur hæc incommoda; ergo 10. Reipublica maxime est utilis.

20. Nihil habet vitii: si quid enim in cambio videretur redarguendum, maxime quia campfor aliquid supra pecuniam à se datam accipit: atqui id minime culpandum est, quia justo fit titulo, scilicet ob impensas & labores quibus obnoxius est campfor; tum in conquirendis, colligendis, servandisque variis monetarum speciebus; tum ut diversis in locis habeat procuratores, gallicè *des correspondans*, ministros, domum, aliaque ad illud commercium requisita. Præterea in se curam recipit pecuniam eò transferendi ubi eà indiget: atqui hæc omnia sunt pretio æstimabilia; ergo non sine titulo legitimo, campfor aliquid lucri præter pecuniam à se datam percipit; ergo 20. nihil vitii involvit cambium verum: aliunde cedit in Reipublica bonum; ergo, &c.

CAPUT VI.

De censibus sive redditibus annuis.

CENSUS, gallicè *rente*, est contractus quo emitur jus pensionem annuam percipiendi ex re vel persona aliena. Duplex distinguitur, nempe *reservativus* (*rente foncière*), & *consignativus* (*rente constituée*). *Census reservativus* ille est quem sibi reservat aliquis, cum rei suæ fructifera dominium transfert in alterum, jus sibi retinens annuam pensionem recipiendi.

Census consignativus est contractus quo aliquis, dato alteri pretio, ab eo jus acquirit certam quotannis pensionem recipiendi. Dividitur in *realem*, *personalem* & *mixtum*. *Realis* ille est qui constituitur in aliqua re frugifera, scilicet domo, agro, prædio, &c. eamque immediate afficit & perpetuò comitatur, ad quemcumque res ea pervenerit.

Personalis ille dicitur census, qui fundatur in persona qua sese obligat ad pensionem annuam solvendam ex industria, labore, officio & operibus suis. *Mixtus* constituitur in re simul & persona, ita ut licet res pereat, persona semper obligata maneat.

Apud omnes certum semper fuit licitum esse censum *reservatum*; æquum est enim ut qui rei suæ dominium alteri confert, in eam possit aliquam pensionem sibi retinere. De censu autem *consignativo* gravis olim fuit controversia.

PROPOSITIO.

Census consignativus tum realis, tum personalis, licitus est.

Prob. prima pars. 1^o. Quia census *consignativus realis* à Summis Pontificibus Martino V, Calixto III, Nicolao V & aliis, re diligenter excusata, ab omni vitio immunis judicatus est, & hodie unanimi Ecclesiarum, imò & nationum omnium consuetudine approbatur. 2^o. Quia emptio rei pretio æstimabilis licita est: atqui census *realis* est hujusmodi, cum nihil aliud sit quam emptio juris pensionem quotannis percipiendi; jus autem illud esse pretio æstimabile nemo negaverit; ergo, &c.

Prob. secunda pars. Ex omnium consensu licitum est justo pretio emere jus annuam pensionem percipiendi ex fructibus agri vel domus: atqui persona suâ arte & industria non minus fructifera esse potest, quam ager vel domus; ergo, pariter justo pretio licite acquiri potest jus annuam pensionem percipiendi ex alicujus arte & industria.

Dices 1^o. Pensiones annuæ post aliquot annos excedunt summam *capitalem* pro sensu datam; ergo injusta est census emptio.

Resp. Neg. conseq. Qui enim fundum fructiferum emit, pretium suum post aliquod tempus recuperat, & labentibus annis summam eâ quam venditori dederat majorem consequitur: atqui tamen

nullus injustitiæ accusatur; ergo idem sentiendum de emptore census. Ratio utriusque est, quod ex communi hominum sensu, summa in multas partes divisa, & *successivè* tantum recipienda, non tanti valeat quanti illarum partium collectio simul posita, quæ ad quodlibet lucris & negotiationis genus utilior est ac commodior: alioqui nunquam satis prædia solverentur, ex quibus *successivè* quidem, sed perpetuò fructus colliguntur.

Dices 2^o. Mutuum ex quo aliquid præter sortem exigitur, non est licitum: atqui contractus census *realis* verum est mutuum ex quo recipitur aliquid ultra pecuniam datam; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Maxima enim est disparitas inter censum *realem* & mutuum. 1^o. Scilicet pecunia mutua, post tempus vulgò satis breve repeti potest; secus autem pecunia quæ census acquiritur: qui enim eam dedit, hanc repetere non potest, quibuscumque in angustiis versetur. 2^o. In mutuo pecunia in accipientis dominium eâ tantum lege transfertur, ut eandem summam post aliquod tempus restituat; pecunia autem pro censu obtinendo tradita, in venditoris dominium ita plenum transmittitur, ut possit eam, si velit, nunquam restituere; ergo plurimum est discriminis inter censum *realem* & mutuum.

Præterea censum *realem* approbat Ecclesia; licrum autem ex mutuo perceptum reprobat: atqui si nihil esset discriminis inter duos illos contractus, erraret Ecclesia, vel censum *realem* approbando, vel mutuum cum scenore reprobando. Quis autem dixerit Ecclesiam aut fallere, aut falli in iis quæ mores spectant? ergo certum est præfatos contractus à se invicem multum discrepare.

Quæres quænam sint in Gallia census constituendi conditiones.

Resp. præcipuas esse 1^o. ut emptor sortem in perpetuum alienet, nec anquam venditorem, à quo

solvitur census, cogere possit ad eam restituendam & alioqui verteretur in mutuuum usurarium: idem enim ageret emptor, ac si daret pecuniam eâ lege ut illam cum lucro reciperet; 2^o. ut venditor contra possit, cum voluerit, ex onere sese eximere totam emptori sortem restituendo; 3^o. ut pensio non excedat Principis taxationem, gallicè *le denier ou le taux de l'Ordonnance*, nempe ut non superet partem sortis vigesimam; 4^o. ut pensio in pecunia, non verò in fructibus solvatur, si in sortem data fuerit pecunia; cum enim fructus, ut vinum, frumentum, &c. fixum non habeant pretium, si certa eorum mensura pro pensione esset constituta, contingeret interdum ut illius valor taxationem excederet à Principe definitam, quæ est sortis pars vigesima.

CAPUT VII.

De Venditione & Emptione.

QUIDQUID ad venditionem & emptionem pertinet, quinque in articulis explanabimus; in 1^o. agemus de natura, materia, pretio venditionis & emptionis; in 2^o. inquiremus an teneatur venditor rei vitia manifestare; in 3^o. differemus de venditione cum pacto; in 4^o. de venditione cujus differatur solutio, gallicè *à crédit*, de anticipata solutione, & de emptione chirographorum; in 5^o. de venditione per proxenetas facta, & de monopolio.

¶

ARTICULUS PRIMUS.

De natura, materia, pretio venditionis & emptionis.

Venditio definiti potest: *pactio mercis tradendæ pro pretio*; emptio autem, *pactio dandi pretii pro merce*: *mercis* nomine intelligitur quidquid pecuniâ aestimari & compensari solet; pretium verò rerum vendibilium est pecunia: si enim merx pro merce rependeretur, id esset permutatio, non venditio.

Quæres 1^o. quænam sit venditionis & emptionis materia.

Resp. Materia venditionis & emptionis ea sunt omnia, quorum habetur dominium & libera administratio. Quamquam autem valida sit venditio rei cujus plenum habes dominium, non idè semper licita est. 1^o. Enim res per se malæ vendi nequeunt absque peccato quia, ut docet S. Thomas, qui hæc vendunt, *præbent aliis directè occasionem peccandi.* (2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 4.) Hinc graviter peccant qui libellos famosos, cantilenas proximo injurias, libros amatorios, aut scripta quibus violatur fidei & Religionis integritas vendunt, nisi iis vendant quibus nullum est hujusmodi scriptis abutendi periculum. 2^o. Res *indifferentes* quibus benè vel malè uti possunt emptores, non sine peccato his venduntur, quos iis abufuros esse probabiliter prævidet venditor. Ratio est, quòd tunc alieni peccati fiat particeps. Unde non licet cauponibus vinum iis præbere, quos norunt ebrietati se dedituros.

Quæres 2^o. quotuplex sit rei vendendæ pretium.

solvitur census, cogere possit ad eam restituendam & alioqui verteretur in mutuum usurarium: idem enim ageret emptor, ac si daret pecuniam eâ lege ut illam cum lucro reciperet; 2^o. ut venditor contra possit, cum voluerit, ex onere sese eximere totam emptori sortem restituendo; 3^o. ut pensio non excedat Principis taxationem, gallicè *le denier ou le taux de l'Ordonnance*, nempe ut non superet partem sortis vigesimam; 4^o. ut pensio in pecunia, non verò in fructibus solvatur, si in sortem data fuerit pecunia; cum enim fructus, ut vinum, frumentum, &c. fixum non habeant pretium, si certa eorum mensura pro pensione esset constituta, contingeret interdum ut illius valor taxationem excederet à Principe definitam, quæ est sortis pars vigesima.

CAPUT VII.

De Venditione & Emptione.

QUIDQUID ad venditionem & emptionem pertinet, quinque in articulis explanabimus; in 1^o. agemus de natura, materia, pretio venditionis & emptionis; in 2^o. inquiremus an teneatur venditor rei vitia manifestare; in 3^o. differemus de venditione cum pacto; in 4^o. de venditione cujus differatur solutio, gallicè *à crédit*, de anticipata solutione, & de emptione chirographorum; in 5^o. de venditione per proxenetas facta, & de monopolio.

¶

ARTICULUS PRIMUS.

De natura, materia, pretio venditionis & emptionis.

Venditio definiti potest: *pactio mercis tradendæ pro pretio*; emptio autem, *pactio dandi pretii pro merce*: *mercis* nomine intelligitur quidquid pecuniâ æstimari & compensari solet; pretium verò rerum vendibilium est pecunia: si enim merx pro merce rependeretur, id esset permutatio, non venditio.

Quæres 1^o. quænam sit venditionis & emptionis materia.

Resp. Materia venditionis & emptionis ea sunt omnia, quorum habetur dominium & libera administratio. Quamquam autem valida sit venditio rei cujus plenum habes dominium, non idè semper licita est. 1^o. Enim res per se malæ vendi nequeunt absque peccato quia, ut docet S. Thomas, qui hæc vendunt, *præbent aliis directè occasionem peccandi.* (2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 4.) Hinc graviter peccant qui libellos famosos, cantilenas proximo injurias, libros amatorios, aut scripta quibus violatur fidei & Religionis integritas vendunt, nisi iis vendant quibus nullum est hujusmodi scriptis abutendi periculum. 2^o. Res *indifferentes* quibus benè vel malè uti possunt emptores, non sine peccato his venduntur, quos iis abufuros esse probabiliter prævidet venditor. Ratio est, quòd tunc alieni peccati fiat particeps. Unde non licet cauponibus vinum iis præbere, quos norunt ebrietati se dedituros.

Quæres 2^o. quotuplex sit rei vendendæ pretium.

Resp. Pretium rei vendenda duplex distinguitur; aliud *legale* sive *legitimum* dicitur, quod scilicet publicâ lege, seu Principis autoritate, vel Magistratus decreto constitutum est; aliud dicitur *naturale* seu *vulgare*, quod scilicet ex communi hominum aestimatione pendet. Inter utrumque autem illud pretium id discriminis est, quod *legale* sit prorsus individuum, id est, non possit licet à contrahentibus augeri vel minui; pretium autem *vulgare*, quamdam habeat latitudinem. Ratio est, quod ex plurium judicio pendeat. Cùm autem varii homines variè judicent, temque alii pluris, alii minoris aestiment, ideo solent Doctores pretium vulgare dividere 1o. in *supremum*, quod augere non licet; 2o. in *infimum* quod minui non potest; 3o. in *medium* sive *moderatum*, ultra quod asurgere, & infra quod descendere licitum est. Ex hac pretii naturalis seu vulgaris latitudine fit ut aliquis rem eandem emat decem, v. g. nummis, & statim vendat duodecim, quia emit infimo pretio & supremo vendit. His prænatis sit

P R O P O S I T I O.

Contra justitiam peccat qui sciens pluris vendit, vel minoris emit quàm fert justum pretium; illud verò constituitur vel Lege, vel communi hominum aestimatione.

Prob. prima pars. Ex eo quod contractus venditionis & emptionis pro utilitate tum venditoris, tum emptoris fuerint inducti, debet proinde inter utrumque servari æqualitas: atqui si ultra justum pretium vendatur aut infra ematur, æqualitas tollitur, & contra justitiam peccabitur.

Prob. secunda pars, nempe injustum illud pretium vel lege, vel communi hominum aestimatione constitui: si enim ex alio capite repeti posset, maximè ex pretio quo res à mercatore compa-

rata est, additis simul sumptibus et damnis quæ pertulit: atqui illud dici nequit; alioqui posset mercator interdum vendere supra justii pretii dimidium, quando scilicet grave damnum in re comparanda & servanda subisset; vel è contrario teneretur aliquando infra justii pretii dimidium vendere, nempe quando singulari fortunâ rem vilissimo pretio habuisset: atqui hæc duo falsa esse apud omnes constat; ergo justum pretium ex lege, vel si nulla sit, ex communi hominum aestimatione reperendum est.

Quæres 3o. an propter dati pretii vilitatem rescindi possit venditionis contractus.

Resp. id fieri posse. Jus enim civile & æquitas exigunt, ut inter pretium & rei venditæ valorem justa sit proportio. Ut autem innumeris occurreret litibus quæ commercium turbarent, si propter læsionem quamlibet postulari contractus rescisio posset, quasdam ea de re regulas statuit jurisprudentia.

1o. Intendi non potest actio, contractus rescindendi causâ, nisi læsio excedat dimidium pretii quo res aestimabatur cùm vendita fuit; quæ ob rem si læsio minor sit dimidiâ justii pretii parte, nequicquam postularetur contractus rescisio.

2o. Necessè est ut læsio sit ex parte venditoris: quodcumque enim damnum passus fuerit emptor, etiam si rem duplo, triplo, etc. carius emisset, eam ob causam non foret rescisioni locus. Hujus discriminis rationem istam afferunt Jurisperiti, quod venditor à Judicibus censeatur ad venditionem urgente quâdam necessitate coactus fuisse, emptor verò carius emisse propter suam commoditatem vel delectationem, siquidem id liberrimè fecit. Creditum est postulare humanitatem ut venditori indigenti subveniretur; emptori verò non eandem deberi commiserationem, quod nimio pretio rem acquiserit, quia eum prosperâ uti fortunâ conjicitur.

3^o. Quamvis læsio dimidiam jussi pretii partem superet, locum non habet contractus rescissio, nisi cum agitur de immobilium venditione.

Observandum est tamen hæc omnia non spectare, nisi forum externum. In foro enim conscientie nullum esse debet discrimen inter venditorem & emptorem, inter mobilium & immobilium venditionem; sed ubi res sive mobilis, sive immobilis, infra justum pretium vendita fuit, tenetur emptor quidquid justo pretio defuit, venditori rependere. Patiter si res ultra justum pretium vendita fuerit, debet venditor quidquid rei valorem excedit, emptori refundere.

Quæres 4^o. an licitum sit aliquando vendere ultra, pretium legale aut vulgare.

Resp. id licitum esse juxta communem opinionem, quando venditio damnum venditori affert, aut eam aliquam commoditate vel utilitate defraudat: incommodam enim quod patitur venditor, & utilitas quæ privatur, sunt aliquid pretio æstimabile, ac proinde justæ augendi pretii causæ. Hinc licet plus vendere ob lucrum cessans vel damnum emergens ex venditione hic et nunc factâ; ut si venditor certo rem suam servaturus esset in aliud tempus, quo probabiliter plus venderetur: tunc autem deducere debet, tum sumptus quos in servandis mercibus facturum erat, tum varia pericula quibus obnoxie sunt mercès quæ diu custodiuntur; alio qui tolleretur æqualitas, dum venditor plus hodie reciperet, quam post tres, v. g. menses recepturus erat. Debet etiam emptorem admonere cur rem plus illi vendat, quia forte nollet emptor venditoris incommodum redimere.

Quæres 5^o. an liceat rem plus vendere, quia emptori valde grata est, vel utilis, vel necessaria.

Resp. id licitum non esse: *Si aliquis, ait S. Thomas, multum juvetur ex re alterius quam*

accepit, ille verò qui vendit non damnificetur cavendo re illâ; non debet eam supervendere, quia utilitas quæ accrescit alteri, non est ex vendente, sed ex conditione emeritis; nullus debet vendere alteri quod non est suum. (2. 2. quæst. 7. art. 2.) Præterea ex communi æstimatione, non verò ex particulari alicujus affectu, aut necessitate in quæ versatur, repeti debet rei pretium; qui igitur agrum aut domum contiguam plus vendit, quia id perutile est emptori, peccat contra justitiam & tenetur restituere.

Quæres 6^o. utrum res quæ pretium non habent sive Lege, sive communi æstimatione constitutum, ut gemmæ eximie, veteres picturæ, &c. vendi possint quanti dominus velit.

Resp. affirmant nonnulli, 1^o. quia ubi res pretium aut legale aut commune non habent, justum illud sit oportet de quo inter contrahentes convenit; 2^o. quia cum hujusmodi res sint humanæ vitæ inutiles, quæ eas vult emere, censetur spontè dare quod exigit venditor.

Sed probabilior tutiorque est sententia, quæ docet hujusmodi res vendendas esse, juxta communem hominum in hac parte intelligentiam æstimationem; 1^o. quia res quælibet eo pretio vendenda est, quod ipsi par esse prudenter censetur: atqui tale est pretium quod viri peritiores assignant rei cujus valor, nec ullâ Lege, nec communi hominum judicio definitur; 2^o. quia nemo sapienter judicare potest rem ideò tanti valore, quod venditor eam tanti vendere possit aut velit.

Quæres 7^o. an mercator qui privatim novit magnam quarumdani mercium copiam paulò post advehendam esse, ideòque easdem viliori pretio emendas, suas possit pretio, ut aiunt *currente*, vendere.

Resp. illud posse, quia tunc mercator rem suam

justo vendit pretio, quod scilicet res habet juxta communem hominum aestimationem: nec enim privata unius vel alterius scientia vulgarem mutat aestimationem; aliunde pretium ex presenti rerum statu, non autem ex futuro repeti debet; ita docet S. Thomas: *Venditor, inquit, qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitia debito.* (2. 2. q. 77. art. 3. ad 4.)

Quares 8^o. an res quæ venduntur sub hasta, (gallicè à l'encan) emi possint infra, aut vendi supra pretium vulgare.

Resp. id licitum esse, quia potestas publica illud pro justo pretio aestimare tunc censetur, quod in emptorum concursu, veluti in quodam examine, assignatum fuerit. Sed cavendum ne adhinc fraus & dolus: multis enim modis irrepere possunt, ut si venditor occultos rei expositæ defectus celaverit; si fictos licitatores immittat, qui se emptores simulent ut pretium augeatur; si emptores inter se conspirent, ut nullus tale pretium excedat.

ARTICULUS II.

An teneatur venditor rei suæ vitia manifestare.

Resp. 1^o. Si vitium occultum sit, & rem faciat emptori periculosam vel noxiam, illud manifestare debet venditor, etiam non interrogatus. Ratio est, quia dare alicui occasionem periculi vel damni, inquit S. Thomas, *semper illicitum est*; ... *venditor autem qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, pro quod rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum*

vel periculum occurrere possit; ... unde si hujusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita et dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni recompensationem. (2. 2. quæst. 77. art. 3. in corp.)

Resp. 2^o. Si vitium occultum rem non efficiat, sive noxiam et periculosam, sive notabiliter inutilem ad usum propter quem petitur, illud aperire non tenetur venditor, si non interrogetur, modò pretium minuat pro ratione vitii. Ita sentit S. Thomas: *Quia venditor minus pretium imponit propter vitium, non peccat tacens vitium, quia venditio non est injusta, & forè esset sibi damnosum si vitium diceret, quia emptor vellet habere rem etiam minori pretio quam valeret.* (Quod lib. 2. art. 10. in corp.) Præterea si tenerentur mercatores occulta quolibet mercium vitia prodere, etiam non interrogati, funditus subverteretur eorum fortuna: alii enim vel ab emendo deterrentur, vel pretium justo minus offerrent.

Resp. 3^o. Si vitium manifestum sit, nec interrogetur venditor, illud palam facere minimè tenetur. *Si vitium manifestum sit, ait idem Doctor, & venditor propter hujusmodi vitium subtrahat, quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei; quia forè propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum; unde potest licite venditor indemnitati suæ consulere vitium reticendo.* (2. 2. q. 77. art. 3. in corp.) Præterea tunc venditor emptorem non decipit, sive ratione pretii quod satis minuit, ut servetur equalitas; sive ratione vitii de quo silet: non tenetur enim emptoris partes agere, ea manifestando quæ per se patent, & quæ facile emptor dignoscere potest, si debitam afferat diligentiam. Ubi tamen animadvertit venditor grave aliquod vitium, licet apertum, ab emptore non detegi, vel propter ingenii hebetudinem, vel propter oculorum debilitatem, tunc

eum debet admonere, vitium enim illud quamvis in se manifestum, nihilominus respectu hujusmodi emptoris occultum est.

Resp. 4^o. Si quis bonâ fide veluti integram vendat rem vitiatam, sed cujus vitium prius ignorat, non peccat, quia eum sua excusat ignorantia. Re tamen cognitâ, debet vel contractum rescindere, vel emptori restituere quidquid justum excedit pretium: aliter enim fieret malæ fidei possessor, reninendo scilicet quod suum non esse cognovit.

ARTICULUS III.

De venditione cum pacto facta.

In venditione et emptione possunt contrahentes quædam pacta apponere, quibus postmodum dissolvantur contractus. Primum hujusmodi pactum est *legis commissoria*, cum nempe aliquis eâ lege vendit, ut nisi emptor intra certum tempus solvat, res habeatur ut inempta, & contractus sit irritus; nisi tamen venditor in cujus solius arbitrio est *legem commissoriam* exercere, ei renuntiare malit & stare contractui. Pactum illud licitum est; tum quia jure civili approbatur; tum quia nemini injuriam facit: in potestate enim domini est, rei suæ pretium, quando voluerit, petere.

Secundum pactum est *adjectionis in diem*, quo scilicet aliquis eâ conditione vendit, ut si alius intra definitum tempus meliorem offerat sortem, v. g. pretium augendo, prior venditio non valeat. Hujusmodi pactum licitum est, ac jure civili approbatum, modo tamen absint fraus & dolus; ut si venditor quem poenitet contractus, sicum emptorem induceret, qui majus pretium offerre simularet.

Tertium pactum est *retrovenditionis*, gallicè

contrat-à gage, ou avec la faculté de réméré, ou de rachat. Venditio hæc fieri potest vel in gratiam venditoris, quando nempe rem suam eâ conditione vendit, ut cum ei placuerit, aut post assignatum tempus, hanc ipsi revendere emptor cogatur; vel in gratiam emptoris, cum scilicet venditori id oneris imponitur, ut rem suam recipiat et redimat, statim ac emptori libuerit. Quæ de venditione sit

PROPOSITIO I.

Venditio cum pacto redimendi, in solius venditoris gratiam facta, licita est, modo ab ea removeantur injustitia & usura.

Prob. Contractus ille licitus est, quem approbat & quali præcipit Scriptura: atqui talis est contractus *retrovenditionis* in gratiam solius venditoris; sic enim statuitur: *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. (Levit. 25. 29.)* Jure etiam civili admittitur ille vendendi modus; (*Lib. 4. cod. tit. 54. leg. 2.*) Et quidem non immerito: venditor enim, ut potè rei suæ dominus & arbiter, potest quidquid oneris voluerit emptori imponere, modo pro gravitate oneris pretium minuatur: tunc enim nullam emptori facit injuriam.

Sed maxime cavendum est ne in hujusmodi contractum irrepat vel injustitia, vel usuræ labes. Committitur autem injustitia, si illud onus emptori impositum pretii diminutione non compensetur. Quanta autem esse debeat hæc pretii decessio, definiendum est ex hominum peritorum judicio, vel ex locorum consuetudine. Justitiam pariter læderet venditor, si pactum fieret rem viliori pretio redimendi, quàm vendita fuit, licet deterior non evaleret; in hoc enim manifesta est inæqualitas. Denique in hujusmodi venditione latet usura, &

res propriè non vendatur; sed tantàm detur instar pignoris cujus interim fructus emptor recipit, donec fors sive pretium sibi à venditore restitutum fuerit.

PROPOSITIO II.

Contractus venditionis cum pacto redimendi, in gratiam solius emptoris factus, reprobari debet quia usuram sapit.

Prob. Venditio cum pacto retrovenditionis in gratiam solius emptoris, est contractus quo res aliqua, v. g. vinea emitur eà conditione, ut quando emptori placuerit, venditor teneatur rem suam redimere acceptum pretium restituendo, emptor verò interim rei fructus ipse percipit: atqui contractus illa usuram sapit: licet enim fiat sub nomine venditionis, res tamen propriè non venditur, sed instar pignoris datur cujus fructus emptor sibi retinet, quasi lucram supra sortem sive pecuniam creditam.

Quæres 10. quis sit contractus quem Hispani vocant *Mohatra*, & utrum sit licitus.

Resp. Contractus *Mohatra* ille est quò pecunià indigens aliquis, nonnullas merces obstrictà tantum fide (gallicè *à crédit*) à mercatore emit summo pretio, v. g. centum et decem nummis, cum pacto easdem ipsi revendendi numeratà pecunià, sed infimo pretio, v. g. centum nummis. Contractus ille totus, ut ita dicam, imbibitur usuram. Idem enim est ac si emptor de quo agitur, mutuos reciperet centum nummos, eà conditione ut postea centum et decem restitueret: atqui sanè illud meram redolet usuram. Quapropter Innocentius XI hanc damnavit nonnullorum Casuistarum propositionem: *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum con-*

tractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri. Eandem propositionem censurà notavit Cle- rus Gallicanus an. 1700. (*Mém. du Clergé, tom. I. pag. 727. Edit. an. 1716.*)

An autem contractus ille, remoto quolibet pacto, licitus sit controvertitur. Negant S. Antoninus et alii; affirmant verò non pauci: si enim, inquit, rem à me summo pretio emptam possim statim alteri vendere pretio infimo, cur non liceat eandem vendere ei à quo emptam fuit, quando hanc ipse bonà fide vendidit, nec à me exegit ut ipsi revenderem?

Sed standum est sententiæ quæ id licitum negat. Quod ut pateat, sit istud exemplum: Luxuriosus adolescens pecuniæ indignis centum nummos accipiat mutuos, & 150 nummorum debitum contrahat; eum qui sic collocarit pecuniam, manifestum esse forneratorem fatebuntur adversarii: at si iste adolescens neminem qui sic collocet reperit, et tamen quoquo modo inventum argentum cupiat, mercatoremque adeat, ab eo mercem aliquam emat 150 nummis non numeratis, eidemque revendat centum duntaxat nummis, sed numeratis; quis neget hunc adolescentem fenore accepisse hanc pecuniam, cum centum nummos acceperit, & sese obliget ad restituendum 150? Nonne tota hæc emptio merum est ludibrium, & merum usuræ integumentum?

Quæres 10. Quid sit *retractus gentilitius*, gallicè *retrait lignager*.

Resp. jus esse concessum proximo venditoris consanguineo, ut intra certum tempus rescindat, & ad se revocet venditionem rei immobilis, idem reddendo pretium quo fuit ab extraneo, vel consanguineo remotiore emptam.

Dicitur 10. *Jus*, Principum scilicet & Legum autoritate inductum, ut res avitæ in familiis conserventur; peccat igitur contra justitiam, qui

fraude & dolo, v. g. simulando se pluris emisse, deterreret & impedit consanguineum, ne rem à proximo suo cognato venditam retrahat.

2^o. *Proximo venditoris consanguineo*: hinc generatim justitiam lædunt, qui rem nolunt reddere consanguineo viciniore, dùm jure suo uti vult: consulendæ sunt tamen locorum consuetudines; quædam enim propinquiore cognato qui lentior est in retrahendo, diligentiore præferunt.

3^o. *Intra certum tempus*; elapso enim anno & die, extinguitur retrahendi facultas.

4^o. *Ad se revocandi*; quia consanguineo jus retrahendi Lex non concessit, nisi ut rem sibi retineat. Idcirco si retrahat ut alteri majori pretio revendat, violatæ justitiæ reus est, ac restitutioni obnoxius, quia vendit jus quod alienare non potest.

5^o. *Res immobilis*: in bonis enim mobilibus locum non habet retractus gentilitius.

6^o. Tandem dicitur, *idem reddendo pretium*. Idcirco emptor qui à retrahente majus pretium exigit quàm dedit, tenetur restituere, quia violat jus alterius.

ARTICULUS IV.

De venditione cujus differtur solutio, de anticipata solutione, & chirographorum emptione.

Quæres 1^o. an liceat carius vendere propter dilatam solutionem.

Resp. licitum non esse ob dilatam solutionem vendere supra pretium vulgare aut legale; id enim citra usuram fieri non potest: idem quippè est ac pecuniam ex qua solvendum erat justum pretium mutuum dare emptori, & pro ea majorem accipere pecuniæ summam. Fatentur tamen omnes licitè carius vendi ratione lucri cessantis aut

damni emergentis. Sed tunc emptorem præmonere debet venditor, cur pluris rei vendat quàm res mereatur, ut meliorem, si possit, fortunam alio quærat. Confessariis autem cavendum est ne fictus sit ille lucri cessantis titulus.

Quæres 2^o. possintne res infra justum pretium emi ob anticipatam solutionem, sive cum prius solvitur pretium quàm tradantur merces?

Resp. id esse illicitum: hujusmodi enim emptor idem agit, ac si nunc venditori mutuum daret pecuniam usque ad tempus mercis accipiendæ: atqui pro mutuo quidquam præter sortem accipere non licet; ergo propter anticipatam solutionem non licet res infra justum pretium emere: *Ista anticipatio solutionis pecuniæ*, inquit S. Thomas, *habet rationem mutui ab emptore dati cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.* (2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 7.)

Quæres 3^o. an liceat chirographa minoris emere quàm contineant.

Resp. si chirographa sint liquida, certa, facilèque solvenda, non licet ea minoris emere quàm contineant: tunc enim non servaretur æqualitas pretii cum re empta; siquidem centum nummi post sex menses certò solvendi, remoto lucri cessantis aut damni emergentis periculo, tanti valent quanti centum nummi præsentis; eorum quippè valor ob dilatam solutionem non minuitur. Præterea qui chirographum centum nummorum post sex menses solvendorum emeret 90 nummis præsentibus eodem modo se gereret, ac si 90 nummos nunc mutuos daret ut, elapsis sex mensibus, centum reciperet: atqui in eo manifesta est usuræ labes.

Si vero chirographa sint litigiosa & incertæ solutionis, quæ non sine molestiis & difficultatibus extorqueri possit, fatentur omnes licitum esse

hæc minoris emere: tunc enim habentur ut merces vitiatæ quæ minoris valent quàm integræ. Non licet tamen ipsis debitoribus hujusmodi chirographa minoris emere; tum quia tenentur ad integram solutionem, tum quia in causa sunt cur minoris æstimantur.

ARTICULUS V.

De venditione quæ fit per proxenetæ, & de monopolio.

Proxenetæ nomine (gallicè *Courtier*) *Entremetteur*, intelligitur qui rem pro altero vendendam aut emendam suscipit.

Quæritur 1^o. an proxenetæ qui vendit supra, vel emit infra pretium sibi designatum, possit id quod supra vel infra est sibi retinere.

Resp. non posse absque consensu domini. Quo enim titulo id sibi vindicaret? An propter industriam suam & laborem? Minime quidem: nam industriam vel præstat gratuitam, & nihil habet juris in compensationem; vel pretio locat, & tunc nihil debetur præter stipendium de quo conventum fuit; vel industriam & operam debet ex officio, ut famulus, & tunc non potest eam vendere, cum non sua sit, sed domini cui servit. Si cum domino seu mandante pactum fuerit, ut proxenetæ sibi retineret quidquid superaret pretium sibi præfixum, poterit illud suum facere; sed quando rem supra justum pretium vendidit, quidquid illud excedit tenetur restituere, non domino rei venditæ, sed emptori, cum huic, non illi injuriam fecerit.

Non raro ministri famulive merces pro domino suo emunt infimo pretio, easque domino computant summo pretio. Hoc verò latrocinium ut honestent,

nessent, & quodam quasi-velo obtegant, dicuntur solent mercatorem in ipsorum gratiam pretium minuisse; sed inanis est prætextus ille, quia rem domini sui, quantum possunt, bene gerere tenentur. Eiusdem furti sunt rei factores quibus emendorum pannorum cura commissæ est, dum aliquid sibi retinent sub eo obtentu, quod in ipsorum gratiam aliquid è pretio minuerit mercator, vel quod à labore cessaverint: nam spontè domino suam industriam obrulerunt. Præterea mentiuntur plerique venditores, quando factoribus aut famulis testantur se in eorum duntaxat gratiam pretium minuisse; quando quidem sæpius ita affectus est mercator, ut cuilibet alteri eodem pretio venderet. Hinc colliges vix unquam permittendum esse ut factores, famuli aliquid à mercatoribus apud quos emunt accipiant: quod enim iis ceditur, solvi à domino solet cujus nomine fit emptio.

Quæres 2^o. Quid *monopolii* nomine intelligatur, & utrum sit licitum.

Resp. *Monopolium* Græcum nomen est, derivatum à vocabulo *monos*, quod *unus*, & à verbo *polein*, quod *vendere* significat. *Monopolium* igitur idem sonat ac venditio ab uno facta. Definitur autem conventio unius vel plurium mercatorum simul conspirantium ut ipsi soli vendant, vel emant merces eo quo voluerint pretio. Patentur omnes licitum esse *monopolium* autoritate publicâ concessum; cum scilicet unus vel pauci eam à Principe facultatem obtinent, ut ipsi soli quasdam merces vendant. Ratio est, quod interdum id postulet commune bonum: ad comparandas enim vel perpoliendas nonnullas merces, aliquando tot sumptus necessarii sunt, ut propter damni periculum nemo vellet eos in se recipere, nisi id privilegii sibi concederetur, ut solus venderet. Sed curare debent Magistratus, ne mercatores vel

artifices privilegio sibi dato abutantur, pretium exigendo immoderatum.

Quæres 3^o. an monopolium privatâ autoritate susceptum, licitum sit & quotuplici modo fieri queat.

Resp. prorsus illicitum esse, quia jure intra justii pretii latitudinem emendi cives defraudat. Tribus autem modis fieri potest; 1^o. quando mercatores inter se conspirant ut non nisi certo pretio, v. g. summo, vel supra vendant, & infimo tantum emant, v. g. triticum ab agricolis; 2^o. cum unus vel plures coemunt omnes cujuscumque generis merces, easque supprimunt donec pretium creverit; 3^o. cum impediunt ne aliunde merces importentur, ut sua plura venendant.

His præmissis, 1^o. contra Justitiam peccant qui vi vel fraude impediunt ne alii merces suas in civitatem invehant: tenentur restituere, tum civibus qui jus habent ne sibi mercium copia per vim aut fraudem auferatur, & qui propter earum penuriam majori pretio emere coacti sunt; tum aliis mercatoribus quos impediunt ne mercaturam suam exercent.

2^o. Quando usus vel panis omnes congerunt alicujus generis merces, ut eas aucto pretio dividant, justitiam lædunt & restitutioni sunt obnoxii, quia nimio pretio vendunt quasi rarum, quod reipsâ abundat. Præterea merces apud unum hominem per injustitiam collectæ, non plura valent quam si apud multos divisim extarent: atqui tamen plura ab uno venduntur, quam venderentur à multis; ergo pretium quod exigit nimium injustumque est.

3^o. Qui merces suas supprimunt ut earum pretium augeatur, justitiam offendunt quia causa sunt cur rebus non raris idem imponatur pretium, ac si raræ essent, idèque ut nimio vendantur pretio; neque tamen injustitiæ accusandi sunt qui res suas in illud tempus servant, quo eas plura

vendendas esse conjiciunt, modò caritatem & penuriam hæc arte non inducant: tunc enim nullâ injuriam inferunt.

4^o. Justitiam violant mercatores inter quos convenit de mercibus vel summo tantum pretio vendendis, vel infimo duntaxat emendis; tum quia potestatem publicam usurpant, dùm privato suo arbitrio rebus pretium imponunt; tum quia injustè civibus libertatem auferunt, emendi infra summum & vendendi supra infimum pretium.

CAPUT VIII.

De Locatione, Conductione, Deposito & Commodato.

LOCATIO & **conduçtio** sunt unus & idem contractus, quo usus vel fructus rei aut personæ ad certum tempus pacto pretio conceditur alteri à quo accipitur. Contractus ille ex parte dantis *locatio*, ex parte accipientis *conduçtio* appellatur; sua sunt utriusque officia.

Quæres 1^o. quænam sint locatoris officia.

Resp. 1^o. Occultum rei locatæ vitium declarare debet, ut quando ruinosa est domus, vel equus onera excutere & abjicere consuevit: quòd si vitium sibi cognitum celaverit, tenetur compensare damnum inde consecutum; 2^o. debet sumptus necessarios in re conducta factos solvere, nisi aliter conventum fuerit; 3^o. rem locatam ante constitutum tempus repetere non potest sine justa causa, quales sunt domus reficiendæ necessitas, pravi conductoris mores, solutionis defectus, item si domo suâ verè indigeat; 4^o. rem suam nimio pretio

locare non debet; alioqui restituere teneretur: justum verò pretium æstimandum est ex consuetudine in hoc vel illo loco à viris probis servata; 5º. non debet ei rem suam locare, quem eà prævidet abuturum, v. g. domum meretricibus, vel ad ludos alearum, quia non licet peccandi occasionem & facilitatem alteri præbere; 6º. tenetur locator pensionem remittere vel minuire, cum propter fortuitum casum, v. g. incurfionem hostium, sterilitatem, &c. vel nullum, vel penè nullum fructum ex re locata percepit conductor: duo tamen casus excipiuntur, nempe si præcedentis vel subsequæntis anni ubertate valeat compensari sterilitas; vel si conductor sese obligaverit ad solvendam, quicumque fuerit eventus, pensionem integram quæ propter illud onus minor esse debet.

Quæres 2º. quænam sint onera conductori imposita.

Resp. 1º. Rem locatam in eum duntaxat usum adhibere potest, ad quem concessa fuit: alioquin usurparet rei alienæ usum, invito domino. 2º. Non debet rem conductam ante constitutum tempus dimittere: aliter integram pensionem solvere teneretur, si non posset res simili pretio locari. 3º. Elapfo tempore præfixo, res eadem numero & integra restituenda est, nisi aliter fit conventum, vel nisi fortuito casu & citra ipsius culpam, perierit: quod si res conductoris culpâ vel pereat, vel deterior fiat, omne damnum ab eo resarciendum est. Venique debet pensionem tempore præstituto solvere, nisi legitimâ excusetur causâ.

Quæres 3º. quid sit depositum & quænam officia importet.

Resp. *Depositum* est contractus quo res custodienda committitur alteri, ab eoque suscipitur ut reddatur eadem, non tantum specie, sed etiam numero, saltem ut plurimum. *Depositarius* rem

sibi creditam eà curâ servare debet, quam in simili se sua adhibere solent viri diligentes. Re depositâ uti non potest sine expresso vel tacito domini consensu, quia usus rei non fuit ipsi concessus, sed tantum custodia.

Quæres 4º. quænam sit commodati natura.

Resp. *Commodatum* est contractus quo res ad solum usum gratuito conceditur, usque ad tempus præstitutum. Differt autem 1º. à locatione in qua pro rei usu exigitur pretium; 2º. à mutuo in quo non usus tantum, sed & rei dominium in aliquem transfertur; 3º. à deposito in quo ne usus quidem conceditur; 4º. à *precario* quod revocari potest ad nutum concedentis; commodatum verò repeti nequit ante tempus de quo conventum fuit. Quapropter si quis ante præfixum tempus rem commodatam ad se sine justa causa revocet, tenebitur rependere quiddam damni inde expertus fuerit *commodatarius*. Si tamen simile damnum commodanti immineret ex rei suæ privatione, tunc eam repetere posset, quia sub ea tantum conditione censetur gratuitum rei suæ usum concessisse.

Quæres 5º. quænam sint officia *commodantis* & *commodatarii*.

Resp. Debet *commodans* rei vitium, si periculosum sit, manifestare; alioqui damnum quod inde contigerit resarcire tenebitur. Ea sunt autem *commodatarii* officia: 1º. ut rem commodatam non nisi ad usum sibi concessum conferat: eam quippè in alium usum adhibendi jus non habet; 2º. ut rem eà curâ servet, quam rebus suis similibus impendere solent homines diligentissimi; 3º. ut rem tempore constituto restituat, etiam si non repeteretur; 4º. ut impensas modicas ad rem conservandam necessarias faciat, ut, v. g. equum sibi commodatum nutriat; non autem extraordinarias; non teneretur, v. g. sumptus facere ad curandum equum, si gravi morbo citra ejus culpam laboraret.

CAPUT IX.

De Fidejussione, Cautione, Pignore & Hypotheca.

FIDEJUSSIO, gallicè *caution*, est contractus quo in se recipit aliquis obligationem solvendi debitum alterius, si ille non solverit.

Quæres 1^o. an liceat pro fidejussione quoddam pretium à debitore exigere.

Resp. Multi id licitum asserunt, quia nullus, inquit, tenetur onus pretio æstimabile sibi gratis imponere: onus autem fidejussionis ita est pretio æstimabile, ut illud à *mutuario* exigere sine usura non possit mutuas.

Hanc autem opinionem post S. Antoninum rejiciunt alii quidam Theologi, inter quos Autor Collationum Parisiensium & Juenin. Prior sic habet: *La caution n'exige des intérêts du débiteur dont il est garant, qu'en conséquence du prêt; c'est comme s'il prêtoit au débiteur par le moyen du créancier: d'où il suit, dit S. Antonin, que c'est la même chose de prêter à intérêt, & de recevoir une certaine somme du débiteur, à cause qu'on est sa caution.* (Conf. sur l'usure, tom. 1. pag. 373. lib. 6.)

Eandem hanc rationem sic adhibet Juenin: *Celui qui cautionne un autre, ne peut pas exiger de lui quelque intérêt à cause qu'il est sa caution, parce que le cautionnement est un prêt virtuel. Car celui qui cautionne fait la même chose que s'il disoit à celui qui emprunte: Je n'ai pas actuellement l'argent que vous demandez, mais je prie un tel de vous prêter à ma place, & je le paierai,*

si vous ne le payez pas. (Résolut. des cas de conscience, tom. 3. pag. 55. Edit. an. 1761.)

Quæres 2^o. quid cautionis nomine significetur, & utrum licita sit.

Resp. *Cautionis* nomine intelligimus contractum, gallicè dictum *contrat d'assurance*, quo scilicet rei alienæ periculum in se recipit aliquis, ad eam si pereat compensandam, vel gratis vel pacto pretio sese obligans. Licitus est hic contractus, quia uterque contrahens lucri & damni aleam æqualiter tentat. Rei enim dominus hujus quidem compensationem recipiet, si perierit; at simul in periculum incurrit pretium, ut rem suam in tuto poneret, datum perdendi. Pariter qui sponsorem se præbuit (gallicè *l'Assureur*) potest quidem sine ullo labore aliquid lucri facere; sed discrimen adit pretium rei, si peritura sit, solvendi. Ad illius autem contractus justitiam duæ requiruntur conditiones; prima, ut aliquid periculi subeatur, & rei eventus utrique contrahenti sit incertus: hinc peccaret contra justitiam, qui sponsorem pacto pretio se constitueret pro navi quam cognosceret ad portum jam pervenisse, aut qui sciens rem suam jam periisse, cum aliquo ut illius periculum in se reciperet, pacifceretur; secunda, ut pretium periculo respondeat, juxta viri cuiuspiam prudentis & in ea re peritissimi judicium; alioqui non servaretur æqualitas.

Quæres 3^o. quid sit pignus, quid hypotheca, & quæ officia ipsi illigata sint.

Resp. *Pignus* est contractus quo debitor rem aliquam mobilem tradit creditori, qui ex ea solutionem habiturus est, si alter non solverit.

Hypotheca vero est contractus quo debitor rem aliquam immobilem creditori obligat, qui inde poterit solutionem deducere.

Quædam sunt pignus & hypothecam dantis

officia : primam est, ut rem eandem pluribus in hypothecam non tradat, nisi solvendis omnibus debitis sufficiat : alioqui creditores deciperet debitor ; secundum, ut creditori restituat impensas quas iste conservando pignore posuit : quod nisi præstaret, ex pignore deterior fieret creditoris conditio ; tertium, ut rem cui annexa est hypotheca non prius vendat, quam emptorem præmonuerit : ille enim deciperetur si rem emeret quasi liberam, cui tamen onus esset illigatum.

Suæ sunt etiam pignus accipienti leges : prima est, ut diligentem adhibeat curam in servando pignore, quod tenetur restituere si culpâ suâ peccet ; secunda, ut pignore non utatur, quia non ad usum, verum in debiti securitatem datum fuit ; tertia, ut soluto debito statim pignus restituat, quia tunc cessat illius retinendi jus ; quarta, ut pignus non vendat, nisi solutionem longius & diutius protrahat & differat debitor, eoquæ prius monito : quod si pignus pluris vendiderit quam sibi debitum sit, tenetur quod excedit debitori restituere.

C A P U T X.

De Ludo & Sponsione.

QUÆRES 1^o. quomodo definiatur ludus, & utrum sit licitus.

Resp. Ludus est contractus hominum sese oblectantium & deponentium aliquid victori cessurum. Nullus ludus per se, & spectato solo jure naturali, illicitus est : sicut enim potest unusquisque rem suam alteri simpliciter & absolutè dare, sic eam potest in alium transferre sub conditione licita, videlicet si ludendo victor extiterit.

Ludus autem, quamvis ex se licitus, per accidens tamen fieri potest mortaliter aut venialiter malus propter gravitatem vel levitatem materiae, ludentisque affectum. Id peccatum autem vertitur 1^o. cum ludens quantum præcipue intendit & inhiat : ludi enim finis proximus est animi recreatio ; 2^o. quando periculo exponitur nimia pecunia ; in creditorum & familiae detrimentum ; 3^o. ubi in ludo nimium tempus consumitur ; 4^o. si ludo ita indulgeat aliquis, ut quæ officii sui sunt negligat ; 5^o. quando non servantur conditiones quas in ludo requirit justitia.

Quæres 2^o. quænam sint illæ conditiones.

Resp. Quatuor sunt : prima, ut ludentes liberam earum rerum quas ludo exponunt administrationem habeant. Hinc qui aliquid lucri fecit ludens cum filiofamilias qui bonis castrensibus caret, cum uxore quæ non habet paraphernalia, cum Religioso, restituere tenetur nisi si quibuscum luserit, eorum à quibus pendent consensum obtinuerint ; aut nisi quod ab iis perditum fuit, sit quid modicum, ait S. Antoninus, de quo præsumi possit quod patres, tutores, & hujusmodi non curarent. Secunda conditio est, ut exulet fraus omnis & dolus ; itaque peccaret qui rudem se & inexpertum simulans, alium fraudulentè ad ludum illiceret. Tertia, ut absit coactio : hinc qui minis, precibus importunis alium impellit ad ludum, vel incipiendum vel continuandum, tenetur restituere quicquid lucri fecerit. Quarta, ut æquale sit utrinque perdendi periculum ; idcirco qui de victoria certus est, debet, si vicerit, restituere : item qui non potest amittere pecuniæ summam huic æqualem quam alter exposuit.

Quæres 3^o. quinam ludus jure positivo sit prohibitus.

Resp. Jure tum civili, tum canonico vetitum

officia : primam est, ut rem eandem pluribus in hypothecam non tradat, nisi solvendis omnibus debitis sufficiat : alioqui creditores deciperet debitor ; secundum, ut creditori restituat impensas quas iste conservando pignore posuit : quod nisi præstaret, ex pignore deterior fieret creditoris conditio ; tertium, ut rem cui annexa est hypotheca non prius vendat, quam emptorem præmonuerit : ille enim deciperetur si rem emeret quasi liberam, cui tamen onus esset illigatum.

Suæ sunt etiam pignus accipienti leges : prima est, ut diligentem adhibeat curam in servando pignore, quod tenetur restituere si culpâ suâ peccet ; secunda, ut pignore non utatur, quia non ad usum, verum in debiti securitatem datum fuit ; tertia, ut soluto debito statim pignus restituat, quia tunc cessat illius retinendi jus ; quarta, ut pignus non vendat, nisi solutionem longius & diutius protrahat & differat debitor, eoquæ prius monito : quod si pignus pluris vendiderit quam sibi debitum sit, tenetur quod excedit debitori restituere.

C A P U T X.

De Ludo & Sponsione.

QUÆRES 1^o. quomodo definiatur ludus, & utrum sit licitus.

Resp. Ludus est contractus hominum sese oblectantium & deponentium aliquid victori cessurum. Nullus ludus per se, & spectato solo jure naturali, illicitus est : sicut enim potest unusquisque rem suam alteri simpliciter & absolutè dare, sic eam potest in alium transferre sub conditione licita, videlicet si ludendo victor extiterit.

Ludus autem, quamvis ex se licitus, per accidens tamen fieri potest mortaliter aut venialiter malus propter gravitatem vel levitatem materiae, ludentisque affectum. Id peccatum autem vertitur 1^o. cum ludens quantum præcipue intendit & inhiat : ludi enim finis proximus est animi recreatio ; 2^o. quando periculo exponitur nimia pecunia ; in creditorum & familiae detrimentum ; 3^o. ubi in ludo nimium tempus consumitur ; 4^o. si ludo ita indulgeat aliquis, ut quæ officii sui sunt negligat ; 5^o. quando non servantur conditiones quas in ludo requirit justitia.

Quæres 2^o. quænam sint illæ conditiones.

Resp. Quatuor sunt : prima, ut ludentes liberam earum rerum quas ludo exponunt administrationem habeant. Hinc qui aliquid lucri fecit ludens cum filiofamilias qui bonis castrensibus caret, cum uxore quæ non habet paraphernalia, cum Religioso, restituere tenetur nisi si quibuscum luserit, eorum à quibus pendent consensum obtinuerint ; aut nisi quod ab iis perditum fuit, sit quid modicum, ait S. Antoninus, de quo præsumi possit quod patres, tutores, & hujusmodi non curarent. Secunda conditio est, ut exulet fraus omnis & dolus ; itaque peccaret qui rudem se & inexpertum simulans, alium fraudulentè ad ludum illiceret. Tertia, ut absit coactio : hinc qui minis, precibus importunis alium impellit ad ludum, vel incipiendum vel continuandum, tenetur restituere quicquid lucri fecerit. Quarta, ut æquale sit utrinque perdendi periculum ; idcirco qui de victoria certus est, debet, si vicerit, restituere : item qui non potest amittere pecuniæ summam huic æqualem quam alter exposuit.

Quæres 3^o. quinam ludus jure positivo sit prohibitus.

Resp. Jure tum civili, tum canonico vetitum

esse omnibus ludum, saltem frequentem, aleæ, jeu de hasard.

10. Quidem jure civili gallico, plurimis sci- licet Regum nostrorum Edictis, & maximè Ludovici XIII sic prohibentis: *Nous défendons & interdisons à tous nos Sujets, de recevoir en leurs maisons assemblée pour le jeu qu'on appelle Académies ou Berlans, ni prêter ou louer leurs maisons à cet effet. Déclarons dès à présent tous ceux qui y contreviendront & qui se prostitueront à un si pernicieux exercice, infâmes, instables; ... déclarons toutes dettes contractées pour le jeu nulles, & toutes obligations & promesses faites pour le jeu, quelque déguisées qu'elles soient, nulles & de nul effet; ... voulons & ordonnons que toutes lesdites promesses soient cassées, & les porteurs d'icelles ... soient non seulement déboutés de leurs demandes à fin de paiement des sommes portées par lesdites promesses; mais aussi étant prouvé qu'elles viennent du jeu, condamnés envers les pauvres en pareille somme que celle qui sera contenue aux susdites promesses; ... permettons aux peres, meres, ayeux & ayeules, & aux tuteurs de répéter toutes les sommes qui auront été perdues sur le jeu par leurs enfans ou mineurs.* (Ordonn. de 1612 & de 1629.)

20. Ludus aleæ jure etiam canonico prohibetur, ut innumeris constat canonibus. Sic, v. g. vetat Concilium Quini-Sextum: *Nullus omnino, sive Clericus, sive Laicus, ab hoc deinceps tempore aleæ ludere præsumat. Si quis autem hoc deinceps facere deprehendatur, si sit quidem Clericus, deponatur: si Laicus, segregetur.* (Tom. 6. Concil. pag. 1165.) Ex pœna autem adeo gravi colligere est mortaliter peccare eos qui aleæ serviunt & nimis inculgent. Priora contra Clericos aleatorum Ecclesiæ decreta confirmat Synodus Tridentina, quæ mandat Episcopis, ut si qui Canonici advertebunt Clericos aleatores in desuevitudinem

abuisse compererint, quàm primum in usum revocari debeant. (Sess. 22. de reform. cap. 1.)

Quæres 40. utrùm ludus immodicus non tantùm illicitus, sed etiam ita injustus sit, ut qui lucrum fecit, illud restituere teneatur.

Resp. Quidam Theologi censent eum teneri ad restituendum, non quidem colludenti qui legem violando indignum se præbuit cui restitueretur, sed pauperibus. Ratio est, inquit, quòd jure gallico planè irritus sit, nec dominium transferat contractus ludi aleæ, ut patet ex istis Ludovici XIII verbis: *Déclarons toutes dettes contractées pour le jeu, nulles, & toutes obligations & promesses faites pour le jeu, nulles & de nul effet.*

Aliter existimat D. Pothier doctrinâ & virtute notissimus, nec ludum illum putat ita injustum, ut restituere teneatur qui grande lucrum fecit: 10. quia ea de re silent leges. Tutoribus quidem & curatoribus jus concedunt, iis actionem intendendi qui minores ludo spoliarunt, & in judicio persequendi pecuniæ quam amiserunt restitutionem. Quoad majores verò nihil simile præscribunt, quàmvis reprehendant ludos immoderatos, quibus operam dare possent. Id unum ait Edictum anni 1611, *sans approuver le jeu des majeurs.* Nulla lex pronuntiat de pecuniâ quam lucrati sunt, nec permittit illos in jus vocari, ut eam reddere cogantur. 20. Quia nullus ad restitutionem cogi potest, nisi ex bono alieno injustè diuor factus fuerit: atqui nihil simile occurrit in ludo, in quo bona fides & æqualitas accuratè servata fuit; colutores enim eandem sine fraude tentarunt aleam (cours les mêmes risques.)

Obsevat tamen D. Pothier eum qui ludo grande lucrum comparavit, Deum graviter offendisse; hæcque satisfactionem divinæ justitiæ debitam, & culpæ suæ poenitentiam postulare, ut eo quantum se exuat, illum vel collutori reddendo, vel pia in opera conferendo.

Quæres 50. quid sit Sponsio, gallicè *gageure*.
 Resp. contractum esse quo duo vel plures, de
 veritate aut eventu rei cujuscumque contententes,
 sibi invicem aliquid spondeant, ut ejus sit qui
 veritatem assecutus fuerit. Licitas esse Sponsiones
 vulgò doceat Theologi recentiores, quia hujus-
 modi contractus, inquit, sunt ludi fortunæ in
 quibus sponsores æquali periculo lucri & jacturæ
 sese exponunt.

At Sponsiones licitas negat S. Antoninus: *Res-
 pondeo*, inquit, *tale lucrum non esse licitum; sed
 turpe dici potest, procedens ex avaritia, & nulli
 deserviens utilitati, sed vanitati & prodigalitati;*
non tamen restituere oportet, sed pauperibus ero-
gandum, ut audivi ex peritis. (2. part. tit. 1. cap.
23. sect. 9.) Quæ ultima verba probant, non
 solum S. Archiepiscopum, sed etiam suæ ætatis
 viros peritos quos consuluerat, eandem doctrinam
 defendisse.

Hanc inter recentiores tuetur Concina: *Spon-*
siones illæ lucratoriae & pecuniariæ, inquit, quæ
fieri solent de bellorum exitu, de aliorum luden-
tium victoria vel jactura, aut de aliis eventibus,
à vitio purgari nequeunt. Ex avaritia & cupiditate
lucranda, ex superbia devincendi æmuli, ex nimio
& impotente amore erga eventum, ex partium studio
proficiscuntur. Nullus hic honestus finis, necessitas
nulla; unde ergo recentiores nostri tam confidenter
harum Sponsionum honestatem affirmant? (Theolog.
Christian. tom. 7. pag. 359.)

CAPUT XI.

De promissione gratuita.

PROMISSIO gratuita est contractus, quo fidem
 suam aliquis deliberatè & liberè alteri obligat, de
 præstanda re licita & possibili. Dicitur 1^o. *deli-*
beratè. Cum enim hæc fidei obligatio sit onus
 spontè susceptum, non censetur cuiquam impo-
 situm, nisi perfectè in illud consenserit; 2^o. *liberè*,
 id est, citra ræctum & violentiam; alioquin nulla
 foret promissio, vel saltem rescendi posset, nisi
 tamen fuerit jurata: tunc enim obligatur, non
 quidem ratione promissionis, sed propter Reli-
 gionem, ne scilicet Deus in falsi testem invoc-
 retur; 3^o. *de re licita & possibili*, quia nulla potest
 contrahi obligatio de re mala vel impossibili:
 quod si res promissa partim licita & partim illi-
 cita sit, quod licitum est impleri, quod illicitum
 omitti debet.

Quæres 1^o. utrum promissio ex justitia obliget.

Resp. eam, *si acceptata fuerit*, obligare ex justitia;
 tum quia est contractus quidam jure gen-
 tium institutus; omnis autem contractus parit obli-
 gationem ex justitia; tum quia obligatio ex qua
 nascitur jus aliquid exigendi, pertinet ad justitiam:
 atqui obligatio quam importat promissio,
 jus tribuit aliquid exigendi. Promittere enim nihil
 aliud est, quàm sese alteri obstringere ad faciendum
 aliquid, ac proinde jus ei dare, quod ipsi pro-
 missum fuit exigendi.

Dixi autem, *si acceptata fuerit*: alioquin pro-
 missio non esset duorum in idem conventio, ex
 qua sola nascitur obligatio; ut verò censetur

acceptata, satis est eam fieri presenti & tacenti, quia in beneficiis gratuitis valet hæc juris regula: *Qui tacet, consentire videtur*, sicut in onerosis locum habet ista: *Is qui tacet, non fatetur*.

Quæres 2^o. quale sit peccatum promissionis violatio.

Resp. eam in re gravis momenti esse peccatum mortale. Promissum enim violari non potest, quin lædatur justitia, ut constat ex modò dictis: atqui justitiam in re gravi offendere peccatum est mortale, ergo, &c.

Exstimant quidam Theologi promissionem ex justitia, sub peccatoque mortali non obligare, nisi promittenti fuerit animus ex justitia sese ad aliquid obstringere. Sed rejici debet hæc opinio: promissionis enim obligatio non repetenda est ex intentione promittentis, sed ex ipsamet promissionis natura, quæ sibi adjunctam habet vim obligandi ex justitia sub peccatoque mortali: verum est enim pactum *duorum in idem consensus*: atqui pactum per se obligat ex justitia. Præterea fatentur adversarii promissioni illigatam esse obligationem strictam ex justitia, si fiat scripto coram Notario ac testibus; & reipsa hujusmodi promissio dat actionem in foro exteriori: atqui externa illa formulæ novam promissioni obligationem non addunt, nec aliquam mutationem in ipsius naturam invehunt; ergo promissio per se obligat ex justitia, & proinde sub peccato mortali. Fieri tamen potest ut *per accidens*, id est, ob levitatem materiæ venaliter tantum peccet qui promissioni non satisfacit.

Quæres 3^o. quandonam desinat promissionis obligatio.

Resp. eam desinere, 1^o. ex mutuo contrahentium consensu: obligatio enim per easdem causas dissolvi potest, quibus inducta fuerat; 2^o. super

veniente aliqua mutatione quæ ejusmodi sit, ut prudenter judicetur promissor hunc eventum nonuisse in sua promissione includere; exempli grat. si res facta sit inutilis, illicita, vel promittenti plurimum damnosa: sic qui promissit se tibi pecuniam mutuaturum, non tenetur stare promisso si pecuniâ suâ indigeat ob gravem & improvisam necessitatem; 3^o. desinat promissionis vinculum, cessante causâ propter quam facta est; ut si quid alteri promiseris ob ejus pauperatatem, quæ deinde sublata est: fidem enim tuam obstringere tibi non fuit animus, nisi eâ causâ permanente.

CAPUT XII.

De Donatione.

DONATIO est rei alicujus gratuita concessio, quæ ex sola liberalitate fiat. Dividitur in *donationem inter vivos*, quâ sic donat aliquis alteri, ut in eum velit, se vivente, rei datæ dominium transferre; & *in donationem mortis causâ*, si nempe donans velit rem suam, nonnisi post suum obitum, esse donatarii.

Quæres 1^o. quænam requirantur conditionis ut valeat donatio inter vivos.

Resp. Tres requiruntur: prima est, ut qui donat ad illud jure sit habilis. Cujus conditionis defectu jure communi non validæ sunt donationes gratuitæ conjugum inter se; (*Loix Civiles par Domat, tom. 1. pag. 101. col. 2. edit. an. 1713.*) à Jure ita constitutum fuit, ne conjuges mutuo amore ducti suis sese bonis spoliarent, vel ne inter eos nascerentur dissidia, si uxor & maritus sibi invicem dare recusarent. Propter ejusdem con-

ditionis defectum, validè dare nequeunt qui à naturâ muti simul & furdi sunt, ita ut neque scripto, neque voce voluntatem suam certò ex primere possint; item nec furiosi, nec prodigi quibus bonorum administratio à Judice interdicta est; nec filii familias sine consensu patris, nisi tamen habeant *bona castrensia*, vel *quasi castrensia*; nec Religiosi professi ob paupertatis votum.

Secunda conditio est, ut ii quibus donatur ex jure idonei sint ad recipiendum: hujus conditionis defectu non valeat donationes iis factæ, qui in dantem plurimum habent autoritatis. Hinc nullæ sunt donationes 1^o. pupillorum aut minorum erga tutores, curatores eorumque uxores, nisi jam rationes suas reddiderint; 2^o. Novitiorum in gratiam sive domus in qua commorantur, sive aliarum ejusdem Ordinis in quo Religionem sunt professuri. Ratio est, quòd hujusmodi donationes non judicentur cum integra libertate fieri, sed minis, metu, astutiâ, dolo extorqueri. In nonnullis tamen circumstantiis, donationes illæ à supremis Curis proauntiata sunt validæ: sed modicæ erant, nec justam grati animi significationem excedebant: lex autem homines ingratos facere non intendit, sed iis integram libertatem suis in donationibus asserere.

Propter eandem nimii in *donatoris* animum imperii suspicionem, à jure cautum est ne Confessariis, Medicis, Chirurgis, Advocatis, donationes ab iis fierent quorum negotia gerunt, nisi tamen iis quidpiam datum fuerit propter vel accepti beneficii memoriam, vel consanguinitatem, vel antiquam necessitudinem.

Tertia conditio est, ut donatio nonnullis vestitur formulis; tres verò jure gallico requiruntur, scilicet 1^o. *Acceptatio* quia, ut habet regula juris 69, *invito beneficium non datur.* (*Loix civiles par Domat, tom. 1. pag. 102. edit. an. 1713.*) Minores sine curatorum consensu validè non accep-

tant, sicut nec uxores absque mariti autoritate.

2^o. *Traditio* quæ duplex est; *realis*, cum donator rei dominium directum & utile in alium absolute transfert; *facta* verò, ubi donator ita rei suæ proprietatem in alium transmittit, ut ejus usufructum sibi retineat. *Traditio facta* multis in locis sufficit; nonnullæ tamen consuetudines expresse requirunt, ut donator re suâ sese penitus exuat & alium quasi induat.

3^o. *Necessaria est insinuatio* quæ nempe donationes in acta publica referuntur, quia eas ignotas & occultas non esse omnium interest, præsertim creditorum quibus damnum posset ex illis donationibus contingere; summæ tamen pecuniariæ donatio de manu ad manum facta, valet absque *insinuatione*, modo persona sit ad recipiendum habilis.

Quæres 2^o. an donatio *inter vivos* acceptata revocari possit.

Resp. eam revocari non posse nisi tres ob causas. 1^o. Ob ingratum *donatarii* animum; si, v. g. *donatori* injurias atroces; si grave damnum illius bonis aut personæ intulerit; si conditionem appositam non impleverit; si necessitate pressum non aluerit. (*Ibid. pag. 104. col. 2.*) Si *donator*, antequam actionem intenderit *donatario*, moriatur, eadem actio non potest ab ejus hæredibus intendi: Leges enim actionem non concedunt, nisi *donatoris* personæ annexam.

2^o. Ob prolem postea susceptam. Ex legum enim mente donatio non censetur facta, nisi sub tacita hac conditione, si proles non nascatur. (*Ibid.*) Ex parentum quippe in liberos suos caritate meritò conjicitur, hominem bona sua non donare, nisi sub præfata conditione. Mortuâ autem prole, non reviviscit donatio. Qui filios minime quidem legitimos, verùm ex adulterio non procreatos, habet, & ipsorum matrem in uxorem accipit, per hanc spuriorum liberorum in ingenuos adoptionem,

gallicè *legitimation*, ei assimilatur cui proles supervenit: idcirco factam alicui donationem revocare potest.

3^o. Rescindi potest donatio, si contra officium caritatis liberis debitæ facta fuerit, ut quando per eam suâ portione legitimâ fraudatur, id est, hæreditatis parte quæ juxta Leges iis obtingere debet. (*Ibid. pag. 448. col. 1.*)

CAPUT XIII.

De ultimis voluntatibus.

ULTIMÆ voluntatis nomine intelligitur actus quo legitimè statuit aliquis, quid de rebus suis post mortem suam fieri velit; multiplex distinguitur, nempe *testamentum*, *codicillus*, *legatum* & *fideicommissum*.

Quæres 1^o. quid & quotuplex sit testamentum.

Resp. Testamentum est ultimæ voluntatis declaratio solemniter facta, id est, formulis jure præscriptis vestita, cum institutione hæredis quæ ad eam necessaria est locis ubi viger Jus Romanum, ut sine ea stare non possint testamenta.

Testamentum dividitur 1^o. in *solemne*, ubi nimirum servantur omnes conditiones à legibus præscriptæ; & in *privilegiatum* quod valet, licet defuerint quædam ex illis formulis, quale est testamentum militis.

2^o. In *clausum* & *nuncupativum* sive apertum. Clausum illud est in quo testator de suis bonis ita scripto statuit, ut coram testibus declaret, in eo scripto quod non aperit contineri suam ultimam voluntatem, curetque ut Notarius & testes numero septem involucrum ipsius singuli suâ subscriptione

confirmet: septem verbò illi testes debent esse masculi, puberes, liberi, non infames. Testamentum *nuncupativum* est illud quod vivâ voce, & sine scripto fit coram septem testibus. Hujusmodi testamentum regiâ constitutione an. 1735, etiam cum agitur de modicâ summâ, in toto Regno est abolitum.

3^o. Dividitur testamentum in *olographum* & *non olographum*. *Olographum* dicitur illud quod propriâ testatoris manu scribitur. In usu est in Provinciis quæ consuetudine reguntur. Tria tantum requirit hoc testamenti genus; 1^o. ut integrum à testatore scriptum sit, nec in eo sint additiones, aut verba versibus interjecta manu alienâ, gallicè *interlignes*; 2^o. ut fuerit à testatore subscriptum; 3^o. ut in eo exprimantur locus, tempus, nempe annus, mensis, dies; alioquin esset invalidum: subscriptio à testatore appositâ testamento quod alienâ manu exaratum esset, non sufficeret.

Testamentum *non olographum* illud est quod à testatore dicitur, & scribitur coram testibus à persona publica juxta præscriptas formulas. Cum autem variæ sint pro variis consuetudinibus, eas quæ suis locis propriæ sunt percillere debent Parochi, vel Presbyteri eorum loco deservientes. Cum enim ultimas infirmorum voluntates ex proprio officio exscribere soleant, si formulas jure præscriptas ignorarent, inde grave damnum contingeret. Formam testamenti in ritualibus describi jubet articulus V constitutionis regiæ an. 1735. Nec Vicarii, nec alii quicumque Presbyteri, præter Parochum aut deservientem, testamenta possunt scribere, excepto peccatis tempore.

Quæres 2^o. an testamentum sine debita juris formula conditum obliget, saltem in conscientia.

Resp. hujusmodi testamentum nullo modo obligare, quia irritum est, etiam in foro conscientiæ. Contractus enim quibus defiant formulæ à Legibus

omnino requisitæ, invalidos esse in foro tñm externo, tñm interno probavimus. Idem de testamento sentiendum, quia eadem est utriusque ratio. Cur enim lex contractus conditionibus jure præscriptis desitutos declarat irritos? Nonne ut occurratur fraudibus, utque Reipublicæ paci & tranquillitati consulatur? atqui easdem ob causas à legibus nulla & invalida pronuntiantur testamenta, quæ formulis à jure prorsus requisitis carent; ergo non magis in foro conscientia obligant, quàm contractus in quibus servatæ non fuerunt conditiones quæ à jure exiguntur tanquàm necessarie.

Excipiendum esse testamentum ad causam piam factum docent quidam Theologi, illudque valere in foro conscientia, ita ut hæredes si cognitam habuerint testatoris voluntatem, teneantur hujusmodi testamentum exequi; sed opinio hæc stare non potest cum articulo 78. Constitutionis regie an. 1735, cujus hæc sunt verba: *Toutes les dispositions de la présente Ordonnance, soit sur la forme, soit sur le fond des testaments, codicilles & autres actes de dernière volonté, seront exécutées, encore que lesdites dispositions de quelque espece qu'elles soient, eussent la cause pie pour objet.*

Quæres 3^o. quid sit codicillus, quid legatum, quid fideicommissum.

Resp. *Codicillus*, seu parvus codex est, ultimæ voluntatis testificatio minus solemnis, quæ testamentum ex aliqua parte explicat aut immutat, quidpiam addendo vel demendo. Dicitur *minus solemnis*, quia ad codicillum pauciora requiruntur quàm ad testamentum: sufficiunt enim jure communi quinque testes.

Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, quæ testator speciale donum ab hæreditate selectum, alicui relinquit. Aliquando accipitur pro ipsa re quæ dono relinquitur. Legatum verè non debetur, nisi deducto ære alieno. Quamobrem si bona hære-

ditatis solvendis tantum debitis sufficiant, nihil consequetur *legatarius*.

Fideicommissum est ultimæ voluntatis dispositio quæ testator hæredis fidei committit aliquid alteri tradendum. Quando testator summam pecuniariam, vel rem aliam amico relinquit, cum pacto tacito eam deferendi personæ cui dare non permittunt leges, id vocatur *fideicommissum tacitum*, quod iustis de causis prorsus vetitum est; hujusmodi ergo fideicommissa fieri non possunt, vel accipi sine peccato; accepta verò legitimis hæredibus sunt restituenda.



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
BIBLIOTECA GENERAL DE BIBLIOTECAS



TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS.

DISSEREMUS 1^o. de Virtute generatim, & præcipua illius divisione; 2^o. de moralibus; 3^o. de theologicis virtutibus.

DISSERTATIO I.

De Virtute generatim.

QUERES 1^o. quomodo definiatur virtus.

Respondeo eam variè à variis definiri. Ipsam describit Augustinus amoris ordinem, sive ordinatam dilectionem. *Mihi videtur, inquit, quòd definitio brevis & vera virtutis, ordo est amoris.* (Lib. 15. de civit. Dei, cap. 22. tom. 7. pag. 406.) Id est virtus in eo consistit, ut singula in suo diligantur ordine, nempè Deus super omnia & in omnibus, cetera verò propter ipsum. Eandem notionem aliis verbis sic exhibet: *Ut breviter generaliterque complectar quam de virtute habeam notionem,*

virtus est caritas quæ id quod diligendum est diligitur. (Epist. 167. cap. 4. n. 15. tom. 2. pag. 600.) *Virtus, inquit idem Doctor, in hac vita non est nisi diligere quod diligendum est: quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quod nihil melius invenimus? Hoc est Deus, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus.* (Epist. 155. ad Macedonium, n. 13. tom. 2. pag. 540.)

Eandem virtutis definitionem, tanquam à sapientibus viris traditam, admittit Cardinalis Bona: *Virtutem, inquit, nihil aliud esse quàm ordinem amoris, peccatum verò inordinationem amoris viri sapientes definiunt: non est enim virtus in hac vita, nisi ordinatè diligere quod diligendum est.* (Lib. de principiis vitæ christiana, part. 2. n. 38. pag. 96. edit. in-4o. Antwerp. an. 1677.)

A Theologis cum S. Thomas vulgò definitur virtus: *Bona qualitas mentis quæ rectè vivitur, quæ nemo malè utitur.* (1. 2. q. 55. art. 4.)

Quæres 2^o. quotuplici sensu accipi queat virtutis nomen.

Resp. duplici modo, nimirum vel pro virtutis actu, vel pro illius habitu: *Quandoque virtus, ait S. Thomas, dicitur actus ejus, quandoque autem ipse habitus.* (1. 2. quest. 55. art. 1.) *Virtutis nomen sub priori respectu spectatum, intelligi potest vel de actu qui ex habitu procedit, ut sapè fit apud S. Thomas; vel de actibus qui habitum præcedunt, ad eumque comparant; quo posteriori sensu non semel ab Augustino usurpatur. In sequenti propositione virtutis vocabulum latiori sensu accipimus, tum scilicet pro illius habitu, tum pro actibus qui ad eum præparant, tum pro iis qui ex habitu proficiuntur.*

PROPOSITIO.

Nulla est vera virtus, quæ ex dilectione Dei saltem incohata non prodeat.

Nota. Veras virtutes eas dicimus, quæ non ex officio tantum & sine proximo, sed præsertim ex sine ultimo commendantur. Hanc regulam statuit Augustinus Julianum sic alloquens: *Noveris itaque, non officiis, sed finibus, à vicis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est; finis verò propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti.* (Lib. 4. contra Julianum, cap. 3. n. 21.)

His præmissis, nostra propositio multiplici argumentorum genere munienda est.

ARG. I. Ex Apostolo.

Si habuero omnem fidem, inquit Apostolus, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum; & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam caritatem, autem non habuero, nihil mihi prodest: (1. Cor. 13. v. 2. & 3.) Poterit nulla est vera virtus quæ æquatenus non profit: atqui, teste Apostolo, quidquid operamur sine caritate, sive dilectione Dei, nihil prodest; ergo sine aliqua caritate nulla est vera virtus. Illud argumentum sic adhibet S. Thomas: *Ex Apostolo nulla virtus sine caritate prodest, sed vera virtus multum prodest secundum illud Sapientiæ: (cap. 8.) Sobrietatem & iustitiam & prudentiam & virtutem docet, quibus utilius nihil est in vita hominibus; ergo sine caritate vera virtus esse non potest.* (2. 2. quasi. 23. art. 7. in sed. contrâ.)

ARG. II.

ARG. II. Ex Patribus & antiquis Theologis.

S. Chrysostomus: *Virtutis principium ac finis est caritas; hanc habent radicem.* (hom. 23. in Epist. ad Rom. cap. 13. n. 3. tom. 9. pag. 690.)

S. Augustinus jam laudatus, *Virtus, inquit, est caritas quæ id quod diligendum est diligimus.* Eam verò definitionem virtutibus cardinalibus accommodans, ipsas nonnisi varias amoris Dei formas esse pronuntiat: *Quare, inquit, definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem; fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem; iustitiam, amorem Deo tantum servantem & ob hoc bene imperantem ceteris quæ homini subiecta sunt; prudentiam, amorem bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impedi potest.* (Lib. de moribus Eccles. cap. 15. n. 25. tom. 1. pag. 697.)

S. Prosper: *Multa laudabilia atque laudanda possunt in homine reperiri, quæ sine caritatis medullis habent quidem pietatis similitudinem; sed non habent veritatem.* (Epist. ad Rufinum, cap. 8.)

Leo Magnus caritatem appellat matrem omnium virtutum: (Serm. 8. in Epiphân.) *Nudæ sunt, inquit, sine caritate virtutes; nec potest dici in quantalibet morum excellentia virtuosum, quod non dilectionis partus ediderit.* (Serm. 10. in Quadrag. c. 3.)

S. Cæsarius Arelateasis: *Quomodo caro sine anima vivere non potest, sic reliquæ virtutes sine caritate ... veritatem habere non possunt.* (hom. 36. tom. 8. Biblioth. Patrurum, pag. 855. col. 2.)

S. Gregorius Magnus: *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis.* (hom. 27. in Eyang. tom. 1. pag. 1560. n. 1.)

S. Joannes Damascenus ait *Matrem bonorum,*
Tom. VI.

magistramque omnis virtutis effatricem esse caritatem. (Tom. 2. pag. 50.)

S. Eligius Episcopus Noviodunensis: Caritas est mater, fons, origo omnium virtutum. (hom. 11. tom. 12. Biblioth. Patrum, pag. 313.)

S. Laurentius Justinianus: Sine caritate ceteræ virtutes non reputantur esse virtutes, (in ligno vitæ de carit. cap. 3. pag. 25. edit. Lugd. an. 1628.)

Hildeberrus Cenomaniensis Episcopus, quem S. Bernardus vocat columnam fidei: Si aliqua virtus est quæ non sit sub caritate, desinit esse virtus. (Serm. 7. in cæn. Domin. pag. 432. edit. an. 1708.) Caritas est radix omnium virtutum; pereunte itaque radice, pereunt & rami. (Serm. 2. in fest. S. Stephani; ibid. pag. 630.)

Petrus Blesensis: Illud admiratione dignum est, quod sine caritate nihil est virtus, & ipsa unicuique virtuti exhibet ut virtus sit. (Lib. de carit. cap. 11. cujus titulus est, quod omnes virtutes ex caritate sunt, pag. 519. edit. an. 1672.)

Ricardus Victorinus: Caritas non tam virtus potens, quam virtutum potentia dicenda est, eo quod ab illa omnes accipiant, ut verè virtutes sint. (Lib. de gradibus caritatis, cap. 1. pag. 350.)

S. Bernardus: Quid absque illa (caritate) bonum suscipitur? fides? sed nec si montes transferat. Scientia? sed nec illa quæ linguis hominum loquitur & Angelorum. Martyrium? sed nec si tradidero, inquit, corpus meum, ita ut ardeam; nec absque illo quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quodlibet exiguum respuitur. (Tract. de moribus & officio Episcoporum, cap. 3. n. 9.)

S. Thomas: Patet quod vera virtus simpliciter est illa quæ ordinat ad principale bonum hominis (nempe Deum), ... & sic nulla vera virtus esse potest sine caritate. (2. 2. quæst. 23. art. 7.) (Caritas comparatur fundamento & radici, in quantum ex ea sustentantur & nutriuntur omnes aliæ virtutes. (Ibid. art. 8. ad 2.)

Docent itaque SS. Patres & veteres Theologi 1^o. Caritatem esse omnium virtutum principium, matrem, fontem, originem, radicem; 2^o. sine caritate reliquas virtutes veritatem habere non posse; 3^o. sine caritate nihil posse dici virtuosum, nec quodlibet bonum suscipi; ergo, juxta ipsorum mentem, sine caritate, sive dilectione Dei saltem inchoatâ, nulla esse potest vera virtus.

ARG. III. Ex Censuris Apologæ Casuistarum.

In eo quidem infelici opere multa sunt reprehensione digna; sed nihil bonorum omnium indignationem magis commovit, quam ista propositio: Nous n'approuvons pas les erreurs de ceux qui tiennent pour maximes, que les Chrétiens doivent en toutes leurs actions aimer Dieu, & qu'il n'y a point d'action vertueuse, si elle n'est commandée par la charité. (Apolog. Casuist. pag. 165.)

Doctrinam hanc damnarunt clarissimi Gallie nostræ Præsules: Cette doctrine, inquit Vicarii generales Cardinalis de Retz, Episcopi Parisiensis, en tant qu'elle condamne d'erreur l'opinion qui soutient que les Chrétiens doivent en toutes leurs actions aimer Dieu, & qu'il n'y a point d'action vertueuse, si elle n'est commandée par la charité, est téméraire & injurieuse à plusieurs Peres de l'Eglise. (Cens. Apolog. Casuist. an. 1658. die 3. Oâob.)

S. Paul, inquit D. de Levi de Ventadour, Archiepiscopus Bituricensis, écrit que tout soit fait dans la charité, parce que sans la charité on ne peut plaire à Dieu, & que c'est cette divine vertu qui, comme la forme de toute vertu, rend les hommes vertueux. (Cens. Apolog. Casuist. an. 1659. die 6. Febr.)

N'est-ce pas corrompre les eaux de cette divine source, (la loi de Dieu) ait D. de Janson, Diniensis primum, & deindè Bellocensis Episcopus & Cardinalis, & éteindre les plus beaux rayons

de cette lampe immortelle, que de soutenir, comme fait cet Auteur (le Pere Piron), que c'est une erreur de dire, qu'il n'y a point d'action vertueuse, si elle n'est commandée par la charité? (Cens. Apolog. Casuist. an. 1659. die 6. Maii.)

Præfati itaque Ecclesiæ Gallicanæ Præsules Casuistarum defensionem, tanquam Patribus injuriosam & à lege divina alienam, in eo maxime reprehendunt, quòd erroris insinularet eorum sententiam, qui nullum virtutis actum admittunt, nisi à caritate prodierit; iisdem ergo Pastoribus persuasum erat, & Patribus & legi divinæ consentaneam esse doctrinam quæ sine amore Dei, nullum esse virtutis actum, ac proinde nullam virtutem veram affirmat.

ARG. IV. Ex Rationibus Theologicis.

1^a. Vera virtus dici non potest quæ debito sine ultimo caret: atqui hoc viro laborat quidquid divinâ dilectione omnino destitutum est; siquidem ordinatio debita ad finem, inquit S. Thomas, est per caritatem. (2. 2. quæst. 23. arti. 7. ad 2.) Sola caritas est, ait Cardinalis Bellarminus, quæ finem ultimum summumque bonum, tanquam objectum proprium respicit, atque ad illud movet & ordinat actus virtutum omnium reliquarum. (Lib. 5. de justif. cap. 15.)

2^o. Cum illud definitionibus proprium sit, ut rerum naturam declarent, certum est amorem Dei ad veræ virtutis naturam pertinere, si in ejus definitione includatur: atqui amorem Dei in virtutis definitione contineri patet ex istis Augustini verbis: *Definitio brevis & vera virtutis, ordo est amoris*; (vide supra) ergo, &c.

3^o. Quas admittunt veras sine dilectione Dei virtutes, easdem adversarii contendunt steriles & infructuosas esse apud Deum: atqui veræ cuilibet virtuti suum aliquod competere meritum docent SS. Patres. Quod quidem non intelligendum est,

quasi omnis virtutis actus vitam æternam de condigno mereatur; hoc quippè meritum ad solos pertinet justos; sed quia omnis actio virtutis Deo placet, ad justitiamque consequendam saltem remota preparat: dicebat enim Julianus *virtutes omnes affectus esse per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus*. Vanam autem illam distinctionem sic repellit Augustinus: *Dici non potest quantum te ista fallat opinio, quæ dixisti virtutes omnes affectus esse, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus. Fieri enim non potest ut steriliter boni sumus; sed boni non sumus quidquid steriliter sumus: . . . nullo modo igitur homines sunt steriliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alii magis, alii minus mali.* (Lib. 4. contra Julian. cap. 3. n. 22.) Et iterum Juliano dicenti: *Ego steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam,* respondet S. Doctor: *Quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona & sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio quia non ea facit voluntas bona; voluntas quippè infidelis & impia non est bona. Dicantur secundum te hujusmodi voluntates arbores bonæ; sufficit quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ.* (Ibid. n. 33.)

Docet pariter S. Thomas nullam actionem deliberatam, sine quodam merito vel demerito esse. Ecclesiasticus ultimo dicitur: *Omnia quæ fiunt adducet Dominus in judicium, sive bonum, sive malum: sed judicium importat retributionem, respectu cuius meritum vel demeritum dicitur; ergo omnis actus bonus vel malus habet rationem meriti vel demeriti apud Deum.* (1. 2. quæst. 21. arti. 4. in argumento.) Hujus autem assertionis fundamentum sic assignat: *Totum quod homo est, & potest, & habet, ordinandum est ad Deum; & ideo omnis actus hominis bonus vel malus, habet rationem meriti vel demeriti apud Deum.* (Ibid. in respons. ad 3.)

COROLLARIUM.

Ex eo quòd SS. Doctores pro veris virtutibus eas tantum habeant, quæ ex amore Dei, tanquam ex principio, nascuntur, sic concludit D. de Montazeri, in egregio Pastoralis documento an. 1772. *Dès que les SS. Docteurs ne reconnoissent point de vraies vertus à tous égards, que celles qui ont l'amour de Dieu pour principe, & sa gloire pour fin, à combien plus forte raison doit-on le penser des vertus considérées sous le caractère propre des vertus véritablement chrétiennes?* (pag. 39. édit. in-4o.) Cujus veritatis luculentam hanc rationem præmittit ibidem pag. 37: *Des vertus ne peuvent être véritablement chrétiennes, sans être animées de l'esprit de J. C. & l'esprit de J. C. est essentiellement un esprit d'amour, qui nous rend les enfans adoptifs de Dieu, & qui nous le fait appeler notre Père. Toutes les Ecritures, tous les SS. Pères, toute l'analogie du Christianisme déposent en faveur de ce principe.*

Solvantur objecta.

Obj. 10. Si absque caritate nulla sit vera virtus, nullum erit inter virtutes discrimen: atqui tamen à se invicem distinguuntur; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Licet enim omnes virtutes à caritate, tanquam radice, pullulent, eundemque finem ultimum, nempe Deum, habeant, suis tamen objectis, suis officiis, suis actibus & proximis finibus distinguuntur. Aliud & aliud est virtutum objectum, diversa earum officia, actusque diversi; qui scilicet prudentiæ actum exercet, non eo ipso exercet actum justitiæ, fortitudinis & temperantiæ. Quod enim ait Gregorius Magnus de præceptis dominicis, *multa sunt & unum; multa per diversitatem operis; (quod imperatur) unum in radice dilectionis; idem de virtutibus dici potest;*

nam, pergit S. Doctor, sicut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multe virtutes ex una caritate generantur. (Vide Homil. de comm. Apost.) Quemadmodum igitur multi arboris rami, licet ex eadem radice pullulent, nihilominus à se invicem distincti sunt; ita singulæ virtutes, quamvis ex communi amoris Dei quasi radice nascuntur, id non obstat quominus inter eas vera sit distinctio. Quod quidem per se satis apertum est de virtutibus moralibus.

Quod spectat ad virtutes theologicas, ita se habet: fides versatur circa Deum, prout est summa veritas; spes fertur in Deum, quatenus est summum bonum, sed absens & aliquando possidendum: caritas autem quamdam importat cum eo bono conjunctionem. *Dicendum, inquit S. Thomas, quod idem bonum est objectum caritatis & spei; sed caritas importat unionem ad illud bonum, spes autem quamdam distantiam ab eo. (2. 2. q. 23. art. 6. ad 3.)* Id fufius expositum videas in Tractatu de Pœnitentia, ubi agitur de amore ad obtinendam justificationem requisito.

Obj. 20. Habitus moraliter boni ex parte tum objecti, tum finis, sunt veræ virtutes: atqui virtutes, quamvis sine ulla Dei dilectione, sunt habitus moraliter boni, etiam ex parte finis; ergo sine Dei dilectione sunt veræ virtutes.

Resp. Dist. min. Sunt habitus moraliter boni, etiam ex parte finis proximi qui potest esse bonum aliquod particulare, conc. min. ex parte finis ultimi, neg. min.

Finis proximus virtutis illud dicitur ad quod virtus immediatè tendit, v. g. justitia eò proximè spectat, ut reddatur unicuique quod suum est; finis autem ille profecto bonus est. Finis ultimus est bonum propter quod agitur, & in quo sistit ac quiescit operans. Porrò solus Deus, ut potè summum bonum, legitimus est finis ultimus hominis. Ad eum verò non tenditur, nisi per dilec-

tionem. Per caritatem, inquit S. Thomas, ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem, & secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum, & pro tanto dicitur esse forma virtutum. (2.2. quæst. 23, art. 8. in corp.)

Obj. 3^o. Licitum est virtutem sectari propter id quod Deo placet: atqui moralis honestas virtutis Deo placet; ergo licitum est virtutem propter solam ipsius honestatem sectari; ac proinde vera erit virtus, etiam absque ulla Dei dilectione.

Resp. 1^o. Retorqueo argumentum: Licitum est virtutem sectari propter id quod Deo placet: atqui Deo placitum est ut famæ nostræ consulamus, utque vitæ subsidia nobis provideamus; ergo licet virtutem eo tantum consilio colere, ut bonam famam aut vitæ necessaria facilius comparemus. Quis verò sapiens hujusmodi virtutem dixerit esse veram?

Resp. 2^o. Dist. maj. Licitum est virtutem sectari propter id quod Deo placet, si illud eo modo & ordine appetatur qui Deo placeat, conc. secus, neg.

Potro Deo non potest non displicere, ut bona qualibet creata, qualis est humanæ vitæ honestas, propter seipsa & tanquam finis ultimus exquirantur; quia nihil horum est summum hominis bonum. Idcirco S. Augustinus inter vitia recenset non solum illas virtutes quæ propter ipsius vitæ temporalis comoda, sed etiam eas quæ propter seipsas, id est, propter ipsius virtutis pulchritudinem & honestatem appetuntur, neque ad Dei gloriam referuntur. Licet à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc instatæ & superbæ sunt; & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. (Lib. 19. de civit. Dei, c. 25.)

Veritatem hanc sic adstruit Guillelmus Parisiensis Episcopus: Hujusmodi virtus vel bonitas, inquit, via est: via autem non est quærenda prop-

ter se; quare non quærenda est ejusmodi virtus propter se tantum;... esto quod aliquis quærat eam propter se, ut, eâ obiectâ, quiescat in ea; numquid non male faciet, cum sit natus & creatus ad magis bonum? (Tract. de Virtutibus, cap. 2. pag. 110. col. 2.)

Alias quasdam difficultates solvimus in Tractatu de Pœnitentia, ubi agitur de amore spei, & in Tractatu de Actibus humanis, in controversia de actionibus ad Deum, tanquam finem ultimum, ex aliquo Dei amore referendis. Quæstiones enim illæ plurimum habent affinitatis cum ea quam modò explanavimus.

DISSERTATIO II.

De Virtutibus moralibus.

VIRTUTES illæ dicuntur *morales* quæ mores humanos, eorumque rectitudinem primario respiciunt. Quatuor sunt præcipuæ, nimirum prudentia, fortitudo, temperantia & justitia. *Cardinales* nuncupantur, tum quia his, veluti cardinibus, tota vertitur vitæ honeste & laudabiliter instituenda ratio; tum quia ceteræ virtutes ad eas quatuor revocantur, usque subserviunt. Quia de jure & justitia specialem habuimus Tractatum, de tribus tantum aliis virtutibus cardinalibus hic breviter dicturi sumus.

CAPUT PRIMUM.

De Prudentia.

PROUDENTIA est virtus quâ cognoscitur & iudicatur, quid juxta honestatis rationem, divinæque legis præscriptum agendum sit, vel fugiendum. Ad perfectam prudentiam septem sunt necessaria, quæ idcirco dicuntur partes *integrantes* prudentiæ, nempe *memoria, intelligentia, providentia, solertia, docilitas, circumspexio & cautio.*

Memoria est præteritorum eventuum recordatio quâ plurimum nititur prudentia: ex præteritis enim eventibus sæpè colligitur quid in similibus circumstantiis agendum sit. Unde apud Job dicitur: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* (Cap. 12. v. 12.)

Intelligentia est accurata & solers consideratio, quâ intelligitur quid sit in unaquaque actione honestum, Deoque acceptum.

Providentia est consideratio futurorum eventuum qui ex suscepto opere sequi possent, juxta illud Deut. *Gens absque consilio est & sine prudentia; utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent!* (Cap. 32. v. 28.)

Solertia est ea animi sagacitas quâ facillè deprehenditur quibusnam viis ad propositum finem tutius certiusque perveniri possit.

Docilitas est affectus mentis, aliorum consilia vel monita de rebus agendis ultro exquirentis, vel accipientis. Hæc enim una est ex peculiariibus prudentiæ dotibus, alios consulere, & discernere utrum quæ ab aliis suggerantur, proposito fini congruant, eaque, si opus fuerit, suscipere, posthabita propriâ opinione. Hanc cordis docili-

litatem à Deo postulabat sapientissimus Salomon: *Dabis servo tuo cor docile.* (Lib. 3. Reg. 3. 9.)

Circumspexio est matura omnium circumstantiarum consideratio, ut prudenter statui possit quid expediat, habitâ ratione temporis, loci, personarum, &c.

Cautio denique est diligens malorum & impedimentorum discussio, quæ fini assequendo possunt obstat, ut declinentur & removeantur.

Quæres, quanam vitia prudentiæ sint opposita.

Resp. *Prudentiæ* potissimum opponuntur 1^o. *præcipitatio*: quo vitio laborant qui ad suscipiendum & aggrediendum aliquid operis statim ex impetu voluntatis sese ferunt, citra præmissam de honestate operis, de modo & ordine exequendi, de incommodis præcavendis congruam deliberationem; 2^o. *inconsideratio* quæ diligentem refugit eorum discussionem, quæ ad rectè judicandum necessaria sunt; 3^o. *inconstantia* live desultoria consilii citra causam sufficientem mutandi facilitas: præcipit enim prudentia ut, quando propositum maturè & justè susceperis, iudicio tuo firmiter inhæreas, neque ab eo leves ob ratiunculas dimovearis; 4^o. *negligentia*, sive rem maturè diligenterque deliberatam opportuno tempore exequendi incuria; 5^o. *astutia* quâ scilicet aliquis, ut finem sibi propositum assequatur, vias excogitat & adhibet ad alios decipiendos accommodatas: id enim prohibet & detestatur prudentia christiana.

CAPUT II.

De Temperantia.

TEMPERANTIA est virtus quâ in usu rerum quæ sensuum delectationem movent, regitur appetitus voluntatis juxta divinam legem rectamque rationem. *Habet, inquit Augustinus, vir temperans in rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum sat est, usurpat utentis modestiâ, non amantis affectu.* (Lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 21. tom. 1. pag. 702. n. 40.)

Duæ sunt temperantiæ partes præcipuæ, nimirum sobrietas & castitas. Sobrietas est potus cibi que usus intra limites à ratione & lege divina præscriptos coercitus. Cibis autem utendum esse, quasi medicamentis quibus sustentetur corporis animique valetudo, docet lex divina. *Hoc me docuisti, inquit Augustinus Deum alloquens, ut quemadmodum medicamenta sic alimenta sumpturus accedam.* (Lib. 10. Confess. cap. 13.) In alimentorum igitur usu tria sunt præcavenda; primum, ne valetudini noceat; secundum, ne ultra necessitatem ipsis indulgeatur; tertium, ne etiam in necessariis voluptas dominetur; hinc ab Innocentio XI an. 1679, & à Clero Gallicano an. 1700, damnata est ista propositio: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Castitas dividitur 1^o. in conjugalem quæ voluptatem carnalem intra legitimos matrimonii fines continet; 2^o. in vidualem quâ in perpetuum rejici-

tur delectatio quæ ex matrimonii usu percepta fuerat; 3^o. in virginalem quâ sese aliquis ab omni impuræ voluptatis contagio integrum servat.

Quàm autem grave sit peccatum castitati oppositum, satis declarat Apollolus his verbis: *Omni fornicator aut immundus... non habet hereditatem in Regno Christi & Dei.* (Ephes. 5. 5.) Summo perè igitur curandum est, ut integer spiritus, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. (1. Thessal. 5. 23.) Quod ut assequamur, continentia à Deo cypus est donum, assiduis precibus flagitanda est, corpus jejunii domandum, fugienda mulierum colloquia & aspectus, licentiorum hominum consuetudo, obscenæ imagines, ludi scenici, choreæ, saltationes; hæc enim quantum vel ipsos fortes viros emolliant, & impuris ignibus inflamment ad turpia, tristibus compertum est exemplis.

CAPUT III.

De Fortitudine.

FORTITUDO est virtus quæ animum juxta rectæ rationis normam ita moderatur circa ea quæ ardua sunt & terribilia, ut nec timore frangatur, nec temerè quidquam audeat: hæc igitur virtus & timorem coercet, ne mens periculi metu victa aliquid indecori aut minus honesti agat, & audaciam temperat, ne homo plus audeat, quàm suadet recta ratio.

Deo sunt fortitudinis actus, aggressio & permissio. Aliquando enim exigit ratio, ut fortiter impugnentur qui bono contumaciter obfistunt; interdum etiam postulat ut sustineantur gravia incommoda, quibus viri probi ab improbis conside-

tari solent. Perfectionem esse præstantiorem fortitudinis actum quam aggressionem, docet S. Thomas; difficilius est enim in malis jam prementibus immotum stare, quam aggrediendo iis sese exponere. Præsentia quippè sunt, cum tolerantur; futura verò tantum quando ipsorum periculis nos objicimus. Unde concludit S. Doctor eximium fortitudinis actum esse martyrium, quod pro nomine Christi certatim perpeſsi sunt tot Christiani. Hinc eos sic compellat S. Cyprianus: *Quibus vos laudibus prædicem, fortissimi fratres? robur peccatoris vestri, & perseverantiam fidei quo præconio exornem? tolerastis usque ad consummationem gloriæ durissimam questionem, nec cessistis suppliciis, sed potius supplicia cesserunt.* (Epist. 3. pag. 16.)

Duas virtutes sibi conjunctas habet fortitudo, nimirum *patientiam & perseverantiam*. Patientia est virtus quâ mala præsentia invicto animo tolerantur. Eam nobis necessariam esse sic docet Apostolus: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* (Hebr. 10. 36.) Perseverantia est virtus quâ in exequendo bono opere, donec perficiatur, firmiter perstat aliquis, & molestias ac difficultates superat, quæ ex operis diuturnitate nascuntur.

Fortitudini opponitur per *excessum* temeritas, seu præceps audacia quâ contra rectæ rationis consilium adeuntur pericula; per *defectum* verò ignavia sive animi mollities, quâ deterreretur aliquis ne iis periculis sese exponat, quibus pro tempore & loco sese objicere potest & debet.

Quæres 1^o. an seipsum occidere sit actus veræ fortitudinis.

Resp. Qui seipsum interimit, non fortitudinem, sed animi abjectionem probat. Cur enim sibi violentas infert manus? nisi quia vel tedium vitæ, vel infortunia, morbos, egelatam, aut alia hujus vitæ mala patienter tolerare non potest. Qua in

re ignaviam sapiens quisque deprehendet, non fortitudinem quæ in malis & ærumnis strenuè constantèrque perferendis sita est. Hinc de famoso Catoe sic pronuntiat Augustinus: *Non patientiâ, sed potius impatientiâ se peremit; non enim hoc fecisset, nisi victoriam Cesaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? cessit, succubuit.* (Lib. 19. de civit. Dei, cap. 4. n. 4. tom. 7. pag. 547 & 548.) Hinc præclare Martialis:

Rebus in adversis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Præterea actus ille veræ fortitudinis nomine prorsus indignus est, qui prohibetur à Deo, gravemque ipsi infert injuriam: atqui sui ipsius occisio 10. prohibetur à Deo, nempe hoc Decalogi præcepto: *Non occides*; quibus verbis non minus nos ipsos, quam proximum interficere vetitum est, quia non plus juris habet homo in propriam, quam in proximi vitam. *Si non licet privatâ autoritate, inquit Augustinus, hominem occidere vel nocentem, . . . profecto etiam qui seipsum occidit homicida est.* (Lib. 1. de civit. Dei, cap. 17. ibid. pag. 17.) 2^o. Gravem infert Deo injuriam qui seipsum interficit; Deus enim summus est vitæ & necis arbiter: *Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* (Sap. 16. 13.) *Ego occidam, & ego vivere factum.* (Deut. 32. 39.) Divinam igitur auctoritatem sibi arrogat qui seipsum occidit; sceleratè ergo, non fortiter agit.

Mortem sibi quidem consciverunt nonnulli homines in sacris Codicibus, & Historiâ Ecclesiasticâ celebrati. Sic Samson, concussis fortiter templi columnis, ipse cum Philistiis obrutus est; (Lib. Judic. 16. 30.) sic Eleazar sese elephantis supposuit, cujus mole oppressus interiit; (1. Machab. 6. 46.) sic etiam S. Apollonia in flammis quibus consumpta est sese coniecit. Sed mortem sibi

intulerunt, non propria auctoritate, at inspirante Deo qui supremus est vitæ nostræ dominus. Nec Samson aliter excusatur, inquit Augustinus, quod seipsum cum hostibus ruinâ domus oppressit, nisi quod lacenter Spiritus Sanctus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. (Lib. I. de civit. Dei, cap. 21.) Idem sentiendum de his Christi sponsis, quæ in ignem præcipientes sese dederunt, propter grave fidei vel castitatis periculum: Hoc fecerunt, ait Augustinus, non humanitus deceptæ, sed divinitus iussæ, nec errantes, sed obediennes; sicut de Samson non fas est aliud credere; (Ibid. cap. 26.) eum quippè Apostolus Sanctis annumerat. (Hebr. 11.) Eleazarus autem mortem non sibi directè consecravit; sperare enim potuit se prius recessurum, quàm humi procumberet elephantem, vel illud animal in dexteram vel sinistram partem casurum.

Quæres 2º. an duellum sit actus fortitudinis. Resp. singularia hæc certamina propria & privata auctoritate suscepta, non verè fortitudini, sed impotenti furori adscribenda esse. Fiant enim 1º. contra legem divinam quæ homicidium prohibet; 2º. contra auctoritatem Dei ad quem vindicta pertinet, & cuius proinde jura usurpant, qui privato certamine congregantur; 3º. contra Regum nostrorum edicta, præcipue Ludovici Magni qui anno 1643 sancivit, ut qui duello certassent, tanquam lætæ divinæ & humanæ majestatis rei haberentur, & christianâ sepulturâ carerent; 4º. contra plurima Ecclesiæ decreta quæ, gravitatis in transgressores pœnis constitutis, duellum prohibuerunt. Illud Tridentina Synodus vocat detestabilem usum, fabricante diabolo, introductum, in cruenta corporum morte, animalium etiam perniciem aueretur. (Sess. 25. de reform. cap. 19.)

5º. Contra rectam rationem quæ clamat non deferendam esse vitam, nec alteri eripiendam,

ne umbratilis offensa remaneat inulta; 6º. tandem contra patriæ bonum, cui per hujusmodi certamina rapiuntur plurimi nobiles & ingenui viri, quorum operâ in bello & pace uteretur. Siquidem non tantum pretiosi sanguinis, ait clarissimus Rollin, longa bella exhauriunt, quantum, sæviente duellorum licentiâ, cruenta pax absument: neque enim grassatur, ut pluvium, hæc delicata insanæ gloriæ cupiditas per abjecta & vilia capita; sed insidet in optimo quoque & generosissimo, ipsamque florem nobilitatis depopulatur, hoc est præcipuam spem posteritatis, & certissimum Imperii columnen everit. (Opuscul. tom. 2. pag. III.)

Utratque hanc quæstionem fusius expositam, & quæ obijci solent difficultates solutas videre est in parte morali Institutionum Philosophicarum, quæ in usum Diocesis Lugdunensis editæ sunt.

DISSERTATIO III.

De Virtutibus theologicis.

TRES sunt virtutes theologicæ, nempe fides, spes, caritas. Theologicæ ideo dicuntur, quod circa Deum, tanquam objectum sibi proprium, versentur. In hoc consistit ratio virtutis theologicæ, ait S. Thomas, quod Deum habeat pro objecto. (2. 2. q. 17. art. 5. in corp.) De singulis nunc speciatim agendum.

intulerunt, non propria auctoritate, at inspirante Deo qui supremus est vita nostra dominus. *Nec Samson aliter excusatur*, inquit Augustinus, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod lacenter Spiritus Sanctus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. (*Lib. I. de civit. Dei, cap. 21.*) Idem sentiendum de his Christi sponsis, quæ in ignem præcipites sese dederunt, propter grave fidei vel castitatis periculum: *Hoc fecerunt*, ait Augustinus, *non humanitus deceptæ, sed divinitus iussæ, nec errantes, sed obediennes; sicut de Samson non fas est aliud credere;* (*Ibid. cap. 26.*) eum quippe Apostolus Sanctis annumerat. (*Hebr. 11.*) Eleazarus autem mortem non sibi directe consecravit; sperare enim potuit se prius recessurum, quam humi procumberet elephantem, vel illud animal in dexteram vel sinistram partem casurum.

Quæres 2^o. an duellum sit actus fortitudinis. Resp. singularia hæc certamina propria & privata auctoritate suscepta, non veræ fortitudini, sed impotenti furori adscribenda esse. Fiant enim 1^o. contra legem divinam quæ homicidium prohibet; 2^o. contra auctoritatem Dei ad quem vindicta pertinet, & cuius proinde jura usurpant, qui privato certamine congregantur; 3^o. contra Regum nostrorum edicta, præcipue Ludovici Magni qui anno 1643 sancivit, ut qui duello certarent, tanquam lætæ divinæ & humanæ majestatis rei haberentur, & christianâ sepulturâ carerent; 4^o. contra plurima Ecclesiæ decreta quæ, gravitatis in transgressores pœnis constitutis, duellum prohibuerunt. Illud Tridentina Synodus vocat detestabilem usum, fabricante diabolo, introductum, in cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur. (*Sess. 25. de reform. cap. 19.*)

5^o. Contra rectam rationem quæ clamat non deferendam esse vitam, nec alteri eripiendam,

ne umbratilis offensa remaneat inulta; 6^o. tandem contra patriæ bonum, cui per hujusmodi certamina rapiuntur plurimi nobiles & ingenui viri, quorum operâ in bello & pace uteretur. Siquidem non tantum pretiosi sanguinis, ait clarissimus Rollin, longa bella exhauriunt, quantum, sæviente duellorum licentiâ, cruenta pax absument: neque enim grassatur, ut pluvium, hæc delicata insanæ gloriæ cupiditas per abjecta & vilia capita; sed insidet in optimo quoque & generosissimo, ipsumque florem nobilitatis depopulatur, hoc est præcipuam spem posteritatis, & certissimum Imperii columnen everit. (*Opuscul. tom. 2. pag. III.*)

Utratque hanc quæstionem fusius expositam, & quæ obijci solent difficultates solutas videre est in parte morali Institutionum Philosophicarum, quæ in usum Diocesis Lugdunensis editæ sunt.

DISSERTATIO III.

De Virtutibus theologicis.

TRES sunt virtutes theologicæ, nempe fides, spes, caritas. Theologicæ ideo dicuntur, quod circa Deum, tanquam objectum sibi proprium, versentur. *In hoc consistit ratio virtutis theologicæ*, ait S. Thomas, *quod Deum habeat pro objecto.* (2. 2. q. 17. art. 5. in corp.) De singulis nunc speciatim agendum.

CAPUT PRIMUM.

De Fide.

DICTURI sumus 1^o. de natura & divisione fidei; 2^o. quid requiratur ad fidem christianam expendemus; 3^o. quodnam sit fidei subjectum; 4^o. utrum à temporibus Christi & Apostolorum, fidei nova quædam accessio facta fuerit, & quænam sint fidei nostræ symbola; 5^o. de fidei necessitate; 6^o. de vitiis fidei oppositis agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura & divisione Fidei.

Quæres 1^o. quænam sit fidei definitio.

Resp. Fides ab Apostolo describitur *sperandarum substantia rerum, argumentum non apperentium.* (Hebr. 11. 1.)

Dicitur 1^o. *substantia*, græcè *hypostasis*, seu basis ac fundamentum quo nititur spes nostra, & quo sublato, corrueret. 2^o. *Rerum sperandarum*; non quòd ea tantum credantur quæ speramus: plurimis enim assentimus veritatibus quæ spei nostræ objectum esse nequeunt, qualis est pœnarum æternitas; sed quia fides præcipuè veritatur circa Deum, quò nos fructuosos speramus, & ad quem referuntur cetera omnia revelata. 3^o. Dicitur *argumentum*, & juxta vim vocis græcæ, *convictio & demonstratio rerum non apperentium*, quia per fidem mens revelatis non minus firmiter adhæret, quàm si evidenter conspicua essent.

Hic non agitur de fide privata quæ est assensus datus revelationi divinæ, homini cuiusdam specialiter factæ. Eà fide crediderunt paralyticus & mulier peccatrix, Domino ita declarante, sua sibi dimissa esse peccata, sed agitur de fide catholica sive universali quæ definiri potest: *Virtus theologica, divinitus infusa, quæ firmiter assentimus omnibus à Deo revelatis, & per Ecclesiam propositis, propter autoritatem Dei revelantis.*

Dicitur 1^o. *Virtus divinitus infusa*, quia ne levissimum quidem fidei initium solis naturæ viribus obtineri posse, contra Semipelagianos definiit Ecclesia, & sic docet Apostolus: *Vobis donatum est pro Christo, . . . ut in eum credatis.* (Philip. 1. 29.) Hinc Concilium Arausicanum II an. 529, sic pronuntiat: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsamque credulitatis affectum, . . . non per gratiæ donum, . . . sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur.* (Can. 5. tom. 4. Concil. pag. 1667.)

2^o. *Quæ firmiter assentimus*; nullus enim assensus firmior esse potest, quàm qui summam Dei veracitate nititur. *Fides*, inquit S. Bernardus, *si ambiguum habet, fides non est, sed opinio.* (Lib. 7. de consider. tom. 1. cap. 3. pag. 447.) Hinc eximia illa Cassiani verba: *Deus hoc dixit; verbum illius summa ratio est; removeo argumenta; removeo disputationes; sola mihi sufficit ad credulitatem persona dicentis.* (Lib. 4. de Incarnat. cap. 6. pag. 715. edit. Lips. an. 1733.)

3^o. *Omnibus à Deo revelatis*: quibus verbis designatur totum fidei objectum materiale: ita enim versatur circa veritates à Deo revelatas, ut ad alia non pertineat.

4^o. *Et ab Ecclesia propositis*; quia divina revelatio nobis non innotescit, nisi per Ecclesiam: quæcumque enim ab hominibus credenda revelavit Christus, Apostolis tradidit, & Apostoli Ecclesiæ.

Unde optimè Tertullianus: *Non alia, inquit, agnoscenda est traditio Apostolorum, quam quæ hodiè apud ipsorum Ecclesias ediscitur.* (Lib. 1. contra Marcion. cap. 21.)

39. *Propter avaritatem Dei revelantis; fides enim ultimò resolvitur in revelationem divinam, tanquam in causam adensùs, quia Deus revelans summa est veritas quæ nec fallere, nec falli potest.*

Quæres 2^o. quomplex sit fidei divisio.

Resp. Fides dividitur 1^o. in *actualem & habitua-*
lem. Prior est *activa* firma & *actualis* rebus à Deo revelatis; posterior autem est habitus à Deo infusus, quo inclinatur homo ad pronè facillè-
que assentiendum veritatibus revelatis.

2^o. In *explicitam* quæ specialiter alicui articulo, v. g. Incarnationi Verbi, assensum damus; & in *implicitam* quæ generatim omnibus à Deo revelatis, quæcumque sint, firmiter adherescimus.

3^o. In *fidem vivam* quæ comitem habet mandatorum observationem, & dicitur ab Apostolo, *fides quæ per caritatem operatur.* (Galat. 5. 6.) & in *mortuam* quæ scilicet à mandatorum observatione sejuncta est; nam *fides sine operibus mortua est*, inquit S. Jacobus. (Cap. 2. 20.)

4^o. Alia dicitur *formata*, quæ gratiam justificantem in eadem anima sibi conjunctam habet; & alia *informis*, quæ gratiâ justificante destituta est: talis est fides hominis catholici qui in statu peccati mortalis versatur; neque enim qui à gratiâ justificante excidit, necessariò fidem amittit, ut sic definitum est à Concilio Tridentino: *Si quis dixerit, quicquid per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti, ... anathema sit.* (Sess. 6. de justific. can. 28.)

ARTICULUS II.

Quid requiratur ad Fidem Christianam.

Extra controversiam positum est, ad fidem christianam non requiri caritatem justificantem; sed inter Theologos acriter nunc certatur, utrum fides christiana stare possit absque ulla Dei propter se dilectione. Ea de questione sit

PROPOSITIO.

Fides christiana semper adjunctum habet aliquod amoris Dei propter se initium.

ARG. I. Ex Scriptura.

1^o. *Caritas*, inquit Apostolus, *omnia credit, omnia sperat;* (1. Cor. 13. 7.) ergo non sine aliqua caritate est fides.

2^o. *Si habuero omnem fidem*, ait ibid. Paulus, *ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Hinc Augustinus fidissimus Pauli interpretes dicit: *Ipsam fidem non facit utilem nisi caritas.* (Lib. 13. de Trinit. cap. 18. n. 32.) Porro nefas esset dicere fidem christianam nihil prodesse: atqui, teste Apostolo, sine caritate fides nihil prodest; ergo fides christiana semper comitem habet aliquam caritatem. Nec dixeris eò sensu fidem nullius esse utilitatis, quòd ex se hominem non efficiat justum, vitæque æternæ dignum. Peccator enim qui ex fide & caritate adhuc tenui & imperfecta de peccatis dolet, piosque actus operatur, nondum justitiam adeptus est; nemo tamen, nisi graviter errando, putaverit fidem hanc nihil ei prodesse.

3^o. *Tu credis quoniam unus est Deus*, inquit S. Jacobus, *benè facis; & demones credunt &*

contremiscunt. (cap. 2. v. 19.) In dæmonibus profecto nulla est vera virtus: atqui fidem omni dilectione Dei & bonis operibus destitutam, non differre à dæmonum fide S. Jacobus declarat. *Confitebantur & dæmones Christum*, inquit Augustinus; *ergo credendo, sed non diligendo, dicebant: Quid nobis est tibi? Fidem habebant, caritatem non habebant, idè dæmones erant.* (Tract. 6. in Joan. n. 21.)

40. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est*, ait S. Jacobus, *ita & fides sine operibus mortua est*; (cap. 2. v. 26.) Porro fides Christiana non est fides mortua, proindè nec sine operibus: atqui fidem operari per caritatem sic docet S. Paulus: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per caritatem operatur.* (Galat. 5. 6.) *Fides*, ait Augustinus, *benè operari non potest, nisi per dilectionem*; (Serm. 156. cap. 5.) ergo fides christiana cum aliqua Dei propter se dilectione, sive caritate, semper conjuncta est.

ARG. II. Ex Patribus.

S. Augustinus: *Qui non amat, inaniter credit, etiamsi vera sint quæ credit*: (Ench. cap. 117. n. 31.) Atqui fides christiana inanis esse non potest; ergo Dei amorem saltem inchoatum includit. *Pia fides*, ait idem Doctor, *sine caritate esse non potest*: (Epist. ad Consentium, cap. 2. n. 8.) atqui procul dubio fides christiana est pia fides; ergo, &c. alia jam protulimus ejusdem Doctoris testimonia.

S. Leo: *Hæc virtus (caritas) omnes facit utiles esse virtutes, quæ ipsam quoque fidem, ex qua justus vivit, sua admistione vivificat*: (Serm. 9. n. 4.) atqui si caritas fidem vivificat; ergo sine caritate fides mortua est, nec quidquam boni operatur, ac proindè non est verè christiana.

S. Bernardus: *Vita quidem corporis est anima per quam operatur & sentit: vita verò fidei caritas*

est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: *Fides quæ per dilectionem operatur.* (Serm. 5. in temp. pasch. n. 1.)

S. Thomas: *Fides & spes possunt esse sine caritate (habituali), sed sine illa propriè loquendo virtutes non sunt*; id est, ut supra dixit, *perfectæ virtutis rationem non habent, quæ vitam æternam de condigno mereatur.* (1. 2. quæst. 65. art. 4.)

Ibi quidem loquitur S. Doctor de caritate habituali, quæ justorum propria est; sed nihilominus causam nostram juvat: eodem quippè modo, servatâ proportionè, judicandum est de inchoatione virtutis, ut ipse ait, ac de illius perfectione; ergo si fides & spes absque caritate perfecta & habituali non sunt virtutes perfectæ, nec etiam sunt virtutes inchoatæ, sine aliquo caritatis actualis initio.

ARG. III. Ex clarissimo Bossuet.

Illustrissimus hic Præsul in Tractatu de amore Dei, postquam de fide & spe justificationi prævialis multa eruditè disseruit, his verbis concludit: *Hæc igitur omnia caritatem spirant, ut profectò qui nullam piæ dilectionis, idem quoque nullam fidei ac spei rationem habeat: quæ verba sic gallicè redita sunt: Toutes ces choses respirent donc la charité, & la respirent si bien, que celui qui n'a rien de la sainte dilection, celui-là aussi n'a rien de la raison formelle & précise de la foi & de l'espérance.* (Tractat. de amore Dei, n. 58.)

ARG. IV. Ex Rationibus Theologicis.

10. Fides christiana procul dubio est novi Testamenti gratia: atqui gratia novi fœderis Legisque Evangelicæ in pio voluntatis motu & affectu sita est. *Inspiratio dilectionis*, inquit Augustinus, *ut cognita sancto amore faciamus, quæ*

proprie gratia est. (*Contra duas Epist. Pelag. lib. 4. cap. 5. n. 11. tom. 10. pag. 474.*) Ergo, &c.

2º. Fidei christianæ effectibus nostra confirmatur doctrina. Ex fide enim suum initium ducunt cordis emendatio, pietas, & hominis ex malo in bonum conversio, omnis denique iustitia. *Initium corrigendi cor fides est*, ait Augustinus. (*Lib. de perfect. just. cap. 19. n. 41. tom. 10. pag. 187.*) *Fides unde exordium pietatis sumitur.* (*Lib. de prædest. SS. cap. 2. n. 6. tom. 10. pag. 793.*) *Incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari.* (*Contra duas Epist. Pelagii, lib. 2. cap. ult. n. 23. tom. 10. pag. 446.*) A fide omnis iustitia sumit initium. (*Epist. ad Sixtum, n. 9. tom. 2. pag. 718.*) *Prima conversio in Deum*, ait S. Thomas, *fit per fidem.* (*1. 2. quæst. 113. art. 4. in corp.*) *Fides*, inquit Concilium Tridentinum, *est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* (*Sess. 6. cap. 8.*) atqui tantos effectus operari non potest fides ab omni amore Dei sejuncta. Quis enim Catholicus dixerit per solam veri cognitionem voluntatem corrigi, hominem ex malo in bonum commutari, ad pietatem iustitiamque revocari? Cum scilicet cordis humani perversitas in eo posita sit, quod creaturas propter se amet, in iisque finem suum ultimum constituat, ad corrigendam pravitatem hanc, necesse est ut Deum tanquam finem ultimum diligere incipiat; ergo cum emendatio cordis suum à fide christiana ducat exordium, aliquod initium bonæ voluntatis & amoris sibi adjunctum habeat hæc fides oportet.

3º. Ejusdem veritatis rationem hanc affert Havermanus, in opere quod approbavit Innocentius XI: *Pia affectio erga primam veritatem revelantem . . . est actus dilectionis Dei propter se, quia nisi actus fidei imperaretur à caritate, saltem initiali, necessario debet imperari à cupiditate; sicque fides supernaturalis imperaretur à voluntate non bonâ,*

bonâ, quod prorsus alienum est à vera Theologia. (*Tyrocin. Theolog. Traç. 1. pag. 187. edit. 2.*)

Solvuntur objecta.

Obj. 1º. Quod remanet post amissam caritatem, sine ea esse potest: atqui fides christiana remanet, amissa caritate. Ita enim definit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit, amissæ per peccatum gratiæ, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, anathema sit;* (*Sess. 6. can. 28.*) ergo vera fides sine caritate esse potest.

Resp. Dist. min. Fides remanet post amissam caritatem habitualement & justificantem, conc. min. amissâ penitus omni caritate, neg. min.

Prædicto Canone damnantur Novatores, qui homines solâ fide justificari contendebant, & amitti non posse iustitiam, quin simul pereat fides. Quem errorem sancta Synodus merito percutit anathemate, & definit, amissâ per mortale peccatum gratiâ, seu caritate *habituali & justificante*, fidem non semper amitti, & eam quæ in peccatore remanet, veram esse fidem, licet informem.

Inde verò malè concluderetur fidem illam omnino prorsus caritate *actuali* esse destitutam. Post extinctam quippè caritatem *habitualement*, non ideo nullus in peccatore remanet divinæ dilectionis affectus. Sicut enim in peccatore, priusquam ad Deum planè convertatur, esse potest aliquod caritatis initium, quâ de suis criminibus propter Deum doleat: ita in eo qui per mortalem culpam à iustitia excidit, superesse possunt nonnullæ amoris Dei reliquæ. Hinc enim nascuntur pii motus, ex quibus fit ut peccator recens lapsus, neque in malo induratus, damnet quæ fecit, & secum ipse pugnans vellet non peccasse. Porrò tenuis & imperfecta hæc dilectio, quæ in pec-

catoribus non penitus extinguitur, sufficit ut illorum fides vera dici queat & christiana.

Obj. 2°. Concilium Tridentinum varios enumerans actus, quibus peccatores ad justitiam sese comparant, fidem, timorem & spem ante divinæ dilectionis initium ita recenset: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum . . . & dum peccatores se esse intelligentes, à divinâ justitiâ timore, quo utiliter conueniuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiâ fontem diligere incipiunt.* (Sess. 6. de justis. cap. 6.)

Unde sic disputatur: Quod præcedit ipsum divinæ dilectionis initium, sine ea esse potest: atqui ex Concilio Tridentino fides præcedit ipsum dilectionis divinæ initium; ergo sine ea, etiam inchoatâ, esse potest.

Resp. Dist. min. Fides ex Concilio Tridentino præcedit initium divinæ dilectionis in corde dominantis, conc. min. præcedit quodlibet initium divinæ dilectionis nondum dominantis, neg. min.

Duplex itaque est divini amoris initium, alterum scilicet debile & imperfectum, quo peccator qui à Deo erat averfus, ad eum sese ferre incipit; alterum quo Deum super omnia diligere, rebusque omnibus creatis anteponeere incipit. Porro ad veram penitentiam non sufficit quaecumque amoris divini initium, sed requiritur ille dilectionis gradus, quo Deus præ ceteris omnibus amari incipiat.

Dubitari verò non potest quin Concilium Tridentinum his verbis, *Deum tanquam omnis justitiâ fontem diligere incipiunt*, intelligat aliquod amoris in corde dominantis exordium. Statim enim subiungit, *propterea, id est, illâ dilectione, moventur adversus peccatum per odium aliquod &*

detestationem. Consentiant autem omnes, ad veram conversionem opus esse ut peccati odium & detestatio sint super omnia; fateantur ergo necesse est dilectionem Dei ex qua nascitur illud peccati odium, ejusmodi esse debere, ut in corde dominari incipiat; quem gradum vulgò non assequuntur primi fidei actus qui præcesserunt. Eos tamen non esse sanctâ dilectione penitus vacuos, satis apertè declarant Patres Tridentini, cum dicunt fidem non concipi sine libero voluntatis motu in Deum, quandoquidem voluntas versus objectum aliquod non movetur, nisi amore.

Obj. 3°. Quod impetrat caritatem, ab ea non pendet: atqui, juxta S. Augustinum, fides impetrat caritatem. *Fides ipsa prima datur, inquit, ex qua impetrentur cetera; (Lib. de prædestin. Sanctorum. cap. 7. n. 12.)* ergo, &c.

Resp. Dist. min. fides impetrat caritatem auctiorem, conc. min. primum caritatis afflatum, neg. min.

Fides scilicet caritatem non impetrat, nisi eam desiderando & postulando, quod sine aliquo caritatis initio non fieri docet Augustinus. Cum enim dixisset Dei & proximi dilectionem esse donum Dei, id sibi objicit: *Cur ergo dictum est: diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est.* Deinde hanc rationem addit, *quia illo præcepto admonitum est liberum arbitrium ut quæreret Dei donum. Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleteret;* (Lib. de grat. & lib. arb. cap. 18. n. 37.) ergo, juxta mentem Augustini, fides non primum caritatis initium, sed novam ipsius accessionem impetrat.

ARTICULUS III.

De subjeção fidei, sive de iis in quibus vera sit fides.

Quæstio hæc instituitur de hæreticis, de peccatoribus, de Sanctis, de damnatis & dæmonibus.

Quæres igitur 1^o. utrum in hæreticis quamdam Ecclesia definitionem rejicientibus, vera sit fides quoad articulos quos nobiscum tenent.

Resp. Non est vera fides. Prob. 1^o. ex Apostolo: *Hi nullam habent veram fidem, qui circa fidem naufragasse, ab eaque errasse & excidisse generatim dicuntur: atqui hæc omnia generatim de hæreticis pronuntiat Apostolus: Habens fidem, inquit, .. quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. (1. Tim. 1. 19.) Radix omnium malorum est cupiditas quam quidam appetentes, erraverunt à fide. (Ibid. cap. 6. v. 10.) Scientiam quidam promittentes, circa fidem exciderunt; (ibid. v. 21.) ergo, &c.*

Prob. 2^o. rationibus: 1^a. est quòd, teste Apostolo, *Una sit fides & individua. (Ephes. 4. 5.)* Unde S. Hilarius, *Quis ambigat, inquit, extra fidem esse, quidquid extra fidem unam est? (Lib. 13. de Trinit. n. 2.) Fides integra, ait S. Leo, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quidquam, nec minui potest, quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo: Unus Dominus, una fides. (Serm. de Nativ. Domini cap. 5.)* Quisquis ergo fidem dividit, ut hæretici, nullam habet.

2^a. Ratio est *Quòd ille, inquit S. Thomas, qui inhæret Ecclesia doctrina, tanquam infallibili regula, omnibus assentit quæ Ecclesia docet. Alioquin si de his quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult non tenet, non jam inhæret doc-*

trina Ecclesia sicut infallibili regula, sed propria voluntati; unde manifestum est quòd hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem. (2. 2. quæst. 5. art. 3. in corp.)

Quæres 2^o. an peccatum mortale fidem omnino perimat, sive utrum in peccatoribus esse possit vera fides.

Resp. Peccatoribus inesse potest vera fides, quamvis informis: ita definitum est à Concilio Tridentino: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti, anathema sit. (Sess. 6. de justif. can. 28.)* Ratio est quòd peccatum mortale dominantem quidem Dei super omnia dilecti affectum excludat, non verò quemlibet Dei amorem. Ita enim comparati sumus, ut duo, etiam oppositi, amores in nobis possint consistere, scilicet alter dominans & victor, alter debilis & victus. Quamvis igitur creatura amor habitualis cum amore Dei prævalente stare nequeat, sociari tamen potest cum tenui quâdam & remissâ Dei dilectione, ex qua eliciatur aliquis credendi actus.

Quæres 3^o. utrum in Beatis remaneat fides.

Resp. In Beatis locum non habet fides: *Videmus enim nunc per speculum in ænigmatè, tunc autem (in altera vita) facie ad faciem. (1. Cor. 13. 12.)* Præterea fides ex Apostolo est *substantia rerum sperandarum; nulla autem in cælo spes remanet; spes enim quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? (Rom. 8. 24.)*

Quæres 4^o. an fides in dæmonibus & damnatis admittenda sit.

Resp. Dæmones à S. Jacobo *credere dicuntur & contremiscere: (cap. 2. v. 20.)* sed vera salutarisque non est ista fides, at convictio tantum natu-

ralis, sive assensus quem ab iis extorquet argumentorum evidentia. *Fides daemorum*, inquit S. Thomas, est quodam modo coacta ex signorum evidentia, & idè non pertinet ad laudem voluntatis ipsorum quod credunt. (2. 2. quæst. 5. art. 2. ad 1.)

ARTICULUS IV.

Utrum à Christi & Apostolorum temporibus Fidei nova quædam accessio facta fuerit, & quam sint Fidei nostræ Symbola.

Ea de re sit

PROPOSITIO.

Fides nullam suscepit accretionem quoad substantiam, sive per novas quasdam revelationes, sed tantummodò per ampliorem articulorum iam revelatorum expositionem.

Probatæ prima pars. Apostolis sic promittit Christus: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. (Joan. 14. 26.) Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. (Ibid. cap. 15. v. 15.) Euntes docete omnes gentes, ... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis! (Matth. 28. 19.)* Itaque Christus omnia fidei dogmata suos Apostolos docuit, & ipsi ea nobis transierunt: atqui si à temporibus Christi & Apostolorum, fides quoad substantiam & per novas revelationes aucta esset, vel Christus omnem veritatem Apostolos non docuisset, vel Apostoli veritates quas didicerant nobis transmittere neglexissent; ergo, &c. Idcirco nihil unquam ab universa Ecclesia definitum est aut propositum, tanquam fide divinâ credendum, nisi quod in Scripturis vel Traditione contineretur. Unde natum

est illud effatum: *Ecclesia novos non condit fidei articulos.*

Prob. secunda pars. Illi articuli successu temporis creverunt quoad explicationem, qui uberius & clarius ab Ecclesia explicati sunt, & propositi tanquam de fide credendi: atqui plurimi articuli uberius, &c. occasione scilicet diversarum hæreseon quæ variis temporibus prodierunt. Sic definitum ratum esse Baptismum ab hæreticis collatum quâ de re S. Cyprianus & alii plures ambigebant. Sic variis in Conciliis enucleatius & distinctius Ecclesia veritates exposuit, quæ circa mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis & gratiæ jam revelata fuerant, & idè credendæ. Nunc de fidei nostræ Symbolis breviter dicendum.

Quæres 1^o. quid significet vox *Symbolum*.

Resp. *Symbolum* græca vox est, & dici potest, inquit Rufinus cum Veteribus, *collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt.* (Lib. de exposit. Symboli.) Quo sensu qui partes suas ad convivium conferunt, dicuntur *dare symbola.* (Proverb. 23. 21.) Accipitur etiam nomen illud pro nota & tessera quâ milites ab aliis discernuntur. Apud Scriptores autem Ecclesiasticos utroque illo modo usurpatur vox *Symbolum*; nempe pro summa articulorum fidei, ad quam multi contulerunt, & pro signo quo fideles sese exterius produnt tanquam vere Christi milites, & ab iis qui tales non sunt discriminantur.

Quæres 2^o. quotuplex sit *Symbolum*.

Resp. Quadruplex in Officiis Ecclesiasticis usu receptum est. Primum, scilicet Apostolorum qui brevem capitum fidei summam collegerunt, ab omnibus fidelibus tenendam; in oratione quotidiana recitatur. Secundum est Nicænum quod in Concilio ejusdem nominis editum est anno 325, ad convellendam Arij impietatem, qui negabat

Christum esse Patri *consubstantialem*. Tertium, Constantinopolitanum quod in Concilio generali Constantinopolitano an. 381. concinnatum fuit. Ipsum est Symbolum Nicænum uberius expositum & nonnullis additamentis auctum, quibus novæ configuntur hæreses.

Quartum Symbolum circumfertur sub Athanasii nomine, cujus tamen opus esse negant critici; 1^o. quia inter antiquissimos operum Athanasii codices non extat; 2^o. quia in eo Symbolo expressè confutantur hæreses quæ non nisi post S. Doctoris obitum exorta sunt, Nestoriana scilicet & Euty-chiana; 3^o. quia nullus ante sæculum septimum hujus Symboli meminit: primum laudatur in Canonibus Eduensibus, à Sirmondo editis qui ad annum 670 referuntur: quis autem credat tam insigne opus, refellendis Nestorianorum & Euty-chianorum erroribus maxime accommodatum, à fidei defensoribus prætermisum fuisse, præsertim si esset tanti Doctoris? Quis fuerit illius autor incertum est. Hoc Symbolum nihilominus certissima est fidei regula, cum illud approbaverit universa Ecclesia, suisque Ministris præceperit ut istud in Prima diebus dominicis recitarent. His verbis incipit: *Quicumque vult salvus esse.*

Quæres 30. an Symbolum Apostolorum fuerit ab ipsis conditum.

Resp. Ea de re dubitat Erasmus: *An ab ipsis Apostolis proditum sit, inquit, nescio.* (Paraphr. in Matth.) Id negare Calvinum referunt catholici Doctores non pauci: at Calvinus id prorsus non inficiatur, sed incertum habet: *Apostolicum Symbolum, inquit, nuncupo, de autore interim minime ollicitus: ... neque verò mihi dubium est quin à Prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipsorum Apostolorum sæculo, instar publicæ & omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit: ... de autore vel anxie laborare, vel cum aliquo degladiari nihil*

attinet. (Lib. 2. Instit. cap. 16. sect. 18.) Quæ de re sit

PROPOSITIO.

Symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis conditum rectè creditur.

Probatur ista S. Augustini regulâ: *Quod universæ tenet Ecclesiæ, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissime creditur:* (Lib. 4. de Bapt. cap. 24. tom. 9. pag. 140.) atqui 1^o. Symbolum Apostolicum universa, vel à primis sæculis, tenet Ecclesiæ. Sanctus enim Irenæus Polycarpi discipulus partem hujus Symboli referens ait, *Ecclesiæ per omnem terrarum orbem dispersam, ab Apostolis eorumque Discipulis illud accepisse.* (Lib. 1. adversus hæres. cap. 10. n. 1. pag. 48.) Tertullianus adversus Praxeam de Symbolo scribit hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse. (Cap. 2. pag. 501.)

2^o. Nec ullum profertur Concilium à quo Symbolum illud fuerit institutum, nec ullus Pontifex vel autor à quo prodierit; ergo rectissime creditur ab ipsis Apostolis conditum. Rufinus sæculo IV sic narrat: *Tradunt Majores nostri quòd post ascensionem Domini et adventum Spiritus Sancti, Apostoli discessuri ab invicem, prius normam futuræ prædicationis in commune constituerunt.* (Exposit. Symb. pag. 169. edit. Paris. an. 1580.)

Solvuntur objecta.

Objicies 10. cum Vossio: Si ab ipsis Apostolis concinnatum fuisset Symbolum, id non prætermisisset S. Lucas in Actibus Apostolicis, nec tantæ rei cognitionem Ecclesiæ invidisset; præterea traditum esset omnibus Ecclesiis, cum tamen diversa sint Symbola quæ leguntur apud Irenæum, Lib. 1. cap. 2. Tertullianum, Lib. de velandis virginibus, & alios.

Respondeo Lucam hujus Symboli non meminisse, quia non scripto traditum erat, sed memoriz commendatum pro illorum temporum consuetudine. Ad eò etiam divulgatum & notum erat, ut necesse non fuerit illud litteris consignare. Omnibus quidem Ecclesiis traditum fuit Symbolum; Irrenæus autem & alii non Symboli verba exscribunt, sed quid contineat exponunt. Diversas Ecclesias Symbolo Apostolico quadam addidisse verba, vel explicationis causâ, vel propter exortas hæreses, non diffitemur; sed fidei substantiam non mutant hujusmodi accessiones.

Objic. 2º. In eo Symbolo legitur: *Credo Ecclesiam Catholicam*, id est, ubique diffusam; quod Apostolorum ætate nondum contigerat; ergo Symbolum non fuit Apostolorum opus.

Resp. Neg. consequ. Quamvis enim quo tempore Symbolum condiderunt Apostoli, fides christiana, & proinde Ecclesia, nondum esset per totum orbem diffusa, attamen id proximè futurum erat: rapidam autem illud incrementum certissimè constabat Apostolis tum ex Scripturis ita pronuntiantibus; tum ex mandato quod à Christo acceperant fidem & Evangelium per universum orbem disseminandi: *Euntes docete omnes gentes*: atqui certa hæc cognitio ipsis sufficiebat ut Symbolo istas voces inferrent, *Ecclesiam Catholicam*; non ergo sat gravis est objecta ratio ut Symbolum Apostolis abjudicaretur.

Obj. 3º. cum *du Pin*, à Patribus non dici nos ab ipsis Apostolis formulam sive Symbolum fidei accepisse, sed tantum fidem & doctrinam à Christo, tanquam à fonte, derivatam.

Resp. à Veteribus non de fide tantum mentionem fieri, sed etiam de quadam fidei formula quæ in Ecclesia recepta erat, tanquam ab ipsis Apostolis concinnata. Tertullianus, post memoratum Symbolum, sic pergit: *Supereſt igitur ut demonſtremus an hæc noſtra doctrina, cujus regulam ſuprà edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſea-*

tur. (Lib. de præscript. cap. 31.) S. Hieronymus carnis resurrectionem probat ex Symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum dicit (Epist. ad Pammach.) *Credatur Symbolo Apostolorum*, inquit S. Ambrosius, *quod Ecclesia Romana semper intemeratum custodit & servat.* (Lib. 1. Epist. 7. ad Siricium.) Ita & alii plures. Quæstionem hanc fustis tractatam videas apud Patrem *Alexandrum*, *dissert. 12. in 1. sæculum.*

ARTICULUS V.

De necessitate Fidei.

Nota 1º. Hic non movetur contròversia de habita fidei: tam enim ad salutem necessarius est, quam gratia *sanctificans* cujus est comes indivulsa; tota ergo difficultas est de actu fidei, & quidem respectu adultorum duntaxat: infantes quippe formandis fidei actibus sunt prorsus impares, & cum solo Baptismate salutem consequuntur.

Nota 2º. Actus fidei duplex est, alius nempe *internus* qui est firmus mentis assensus veritatibus à Deo revelatis, ab Ecclesiaque propositis; alius autem *externus* quo fidem apertè profiteamur ore, vel opere, vel quolibet alio signo. Quamam sit utriusque illius actus necessitas, nunc exponendum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De necessitate actus interni Fidei.

Hujus paragraphi duplex erit sectio: in priori expendemus quamnam sit interioris actus fidei necessitas, & utrùm ante Evangelii promulgationem, & quovis tempore necessaria fuerit in Christum mediatorem fides; in posteriori varias proponemus quæstiones ad fidei necessitatem pertinentes.

SECTIO I. *Quænam sit interioris actûs fidei necessitas, & utrum quovis tempore in Christum mediatorem credere oportuerit.*

Sæculo V. docuerunt Pelagiani eos omnes qui ante Christi adventum sanctitate floruerunt, solis naturæ viribus, aut legis doctrinâ iustitiam sibi comparasse.

Zuinglius sæculo XVI. in fidei professione quam morti proximus ad Regem Franciscum I. misit, Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Camillum, Catones, Scipiones in cælesti Regno cum Christo, Patriarchis, Apostolis aliisque Sanctis collocat.

Erasmus quodam in colloquio sub aliena persona dicit sese vix continere posse quin exclamet: *Sancte Socrates, ora pro nobis.*

Ut alios præmittam qui in eundem scopulum impeerunt, Pater le Comte in opere inscripto: *Nouveaux mémoires sur l'état présent de la Chine*, ait Sinenses templum habuisse omnium antiquissimum, Deo creatori sacra fecisse per duo annorum millia & amplius, apud eos morum sanctitatem, purissimam caritatem, ipsamque Dei spiritum viguisse. (Tom. 2. pag. 134. & seq. edit. Paris.) Quam doctrinam Facultas Theologica Parisiensis anno 1700. damnavit tanquam *falsam, temerariam, scandalosam, impiam*, &c.

His omnibus longè audacior Pater Berruyer Harduinum sodalem suum & Magistrum secutus docet, 1^o. præter Religionem Christianam, quâ Deum per Christum mediatorem colimus, alteram esse, & quidem *veram*, omnibus temporibus & populis communem, quâ gignuntur Deo filii, veraque confertur iustitia; 2^o. Religionem hanc *fram* esse in fide naturali Dei unius, veri, iusti,

remuneratoris & vindicis; 3^o. Religionem illam naturalem in orbe universo solam viguisse à mundi origine ad mortem usque Christi; per eam, minime verò per fidem in Christum, ipsiusque gratam; filios Dei evasisse quotquot à mundi incunabulis iusti extiterunt; 4^o. denique addit antiquam illam Religionem etiamnum permanere in eorum gratiam, qui de Christo & Evangelio nihil audierunt.

Hos aliosque errores apertissime expositos, & validissime obrutos, videas in documentis pastoralibus, tum illustrissimi Ducis de Fitz-James Episcopi Suesionensis, tum D. de Montaget Archiepiscopi Lugdunensis, nec non in gravissimâ Facultatis Theologiæ Parisiensis censurâ. His prænotatis, sit

PROPOSITIO I.

Interior fidei actus ad salutem necessarius est omnibus adultis necessitate tum mediæ, tum præcepti.

Probatur prima pars. Illud necessarium est ad salutem necessitate mediæ, sine quo nullus placet Deo; sine quo nulla est justificatio, sed certa damnatio: atqui 1^o. sine aliquo fidei actu interno nullus placet Deo, ut sic testatur Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo.* (Hebr. II. 6.) Quæ verba de fide *actuali* intelligenda esse, ex iis compertum est quæ statim subjungit Apostolus: *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, (id est, qui actu tendit ad Deum) *quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* 2^o. Sine fide *actuali* nulla esse potest adultis justificatio, siquidem à Concilio Tridentino fides appellatur *humanae salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis.* (Sess. 6. de justif. cap. 8.) 3^o. Sine actu fidei certa est adultorum damnatio, ut sic pronuntiat Christus: *Qui non crediderit, condemnabitur.* (Marc. 16. 16.) Ergo, &c.

Prob. secunda pars. Illud necessarium est necessitate præcepti, quod passim in Scripturis imperatum est: atqui interior fidei actus, &c. Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus. (1. Joan. 3. 23.) Creditis in Deum, & in me credite. (Joan. 14. 1.) Ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Post Adami lapsum nemo prorsus justitiam & salutem consequi unquam potuit, nec potest nisi per fidem in Christum mediatorem, ipsiusque gratiam.

ARG. I. Ex Scripturis.

1º. Sicut per unius delictum in omnes homines (judicium fuit) in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines (donum vel gratia fuit) in justificationem; (Rom. 5. 18.) ergo Christus omnibus, quocumque tempore extiterit, iustis unica est justitiæ causa, sicut Adamus omnibus qui ab ipso ducunt originem, causa est peccati & mortis. Omnes qui renascuntur in justificationem, inquit S. Augustinus, non nisi per Christum renascuntur: simul omnes qui nascuntur in condemnationem, non nisi per Adamum nascuntur. (Epist. 157. aliàs 89. ad Hilarium, cap. 3. n. 13.)

2º. Sicut in Adam omnes vivificabuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. (1. Cor. 15. 22.) Non quia nemo damnatur, ait S. Augustinus; sed quia nemo aliter (nisi in Christo) liberabitur; quia sicut nulli, nisi per Adam, filii hominis; ita nulli, nisi per Christum, filii Dei. (Epist. 179. aliàs 25. ad Joan. Jerosol. n. 6.)

3º. Ego sum, ait Christus, via, veritas & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me: (Joan. 14. 6.) atqui extra viam quid est nisi aberratio? extra veritatem quid nisi mendacium? extra vitam quid nisi mors?

4º. Præter Christum non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: (Act. 4. 12.) atqui his verbis S. Petrus non aliam, præter Christum, justitiæ & salutis causam agnoscit.

ARG. II. Ex Patribus.

1º. S. Cyprianus his Christi verbis; Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, probat perveniri non posse ad Deum Patrem, nisi per Filium ejus Jesum Christum. (Lib. 2. Testimoniorum ad Quirinum. n. 27.)

2º. S. Gregorius Nyssenus: Opus habebat medico natura nostra, quæ morbo laborabat; opus habebat eo qui ipsum erigeret, homo qui ceciderat; opus habebat eo qui vivificaret, qui à vita exciderat; opus habebat lucis præsentia, qui erat inclusus in tenebris: ... quis verò alius hæc omnia nobis præstat, quàm Christus Jesus? (Orat. Catechistica, cap. 15. tom. 3. pag. 69.) Nemo igitur potuit ad justitiam salutemque pervenire sine gratia Christi, qui solus naturam nostram sanat, qui solus hominem lapsum erigit, qui solus vitam quam amiserat ei restituit, qui solus eum è tenebris ad lucem traducit.

3º. S. Hieronymus asserit Sanctos qui antiquitus fuerint, ex fide Christi justificados esse; siquidem Abraham vidit diem Christi, & latatus est; & Moses majores divitias aestimavit thesauro Ægyptiorum improprium Christi. (Lib. 4. in Ezech. cap. 13.)

4º. S. Augustinus hanc veritatem ad confutandos Pelagianos copiosius exponit. Sine fide, inquit, unius mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Jesu, ... nec antiquos justos, ut justii essent, à peccatis potuisse mandari, & Dei gratiâ justificari veritas christiana non dubitat. (Lib. de peccato originali, cap. 24. n. 28.) Ipsum (Christum) antiqui Sancti venturum in revelatione spiritus cognoverunt.

& sic salvi facti sunt credendo quia veniet, sicut nos salvi efficiamur credendo quia venit. (Lib. de catechizandis rudibus, cap. 17. n. 2.) Quid autem his verbis apertius desiderari potest?

5°. S. Prosper: Nec aliâ gratiâ, & aliâ fide quemquam hominum, sive ante legem, sive legis tempore, justificatum esse credendum est, quàm hâc eâdem per quam Dominus noster Jesus Christus venit quærere & salvare quod perierat. (Respons. ad Capitula Gallorum, obj. 8.)

6°. S. Leo: Una fides justificavit universorum temporum Sanctos; & ad eandem spem & fidem pertinet quicquid per mediatorem Dei & hominum, Jesum Christum, vel nos confitemur factum, vel patres nostri adoravere faciendum; nec inter Judæos & Gentiles ulla est distinctio. (Serm. 63. cap. 2. tom. 1. pag. 282. edit. in-40. an. 1675.)

Porro ex iis innumerisque aliis Patrum testimoniis constat neminem, quovis tempore & loco justitiam & salutem consequi potuisse, aut posse nisi per fidem in Christum Redemptorem.

ARG. III. Ex damnatione Pelagianorum.

Contendebant illi hæretici homines ante legem mosaicam, per solas naturæ vires, deinde per legis & doctrinæ subsidium, nunc verò per Evangelium, ad justitiam pervenire. Quem errorem hæresim appellare non dubitat Augustinus: cum enim Julianus diceret Incarnationem Christi justitiæ formam fuisse non primam, sed maximam; quia & antequam Verbum caro fieret, ex ea fide quæ in Deum erat, & in Prophetis, & in multis aliis Sanctis fuisse virtutes; quid responderet Augustinus? Agnoscimus hæresim vestram. Definivit enim Pelagius quod non ex fide Incarnationis Christi antiqui vixerint justii, quia videlicet nondum in carne venerat Christus, cum profectò id futurum non præventiassent, nisi priores utique credidissent: sed in

hanc absurditatem cecidistis, dum defendistis esse potuisse per naturam legemque justitiam: utrumlibet autem si verum est, ergo Christus gratis mortuus est. (Lib. 2. operis imperf. cap. 188.) Quis non videat quorundam recentiorum causam à Pelagiana nihil distare.

ARG. IV. Ex Concilio Tridentino.

Sess. 6. de Justificatione, cap. 1. declarat sancta Synodus post Adami peccatum quod in omnes ejus posteros manavit, Omnes homines usque adeò servos fuisse peccati, & sub potestate diaboli & mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari aut surgere possent. Docet cap. 7. Baptismum esse Sacramentum fidei (in Christum), sine quo nulli unquam contigit justificatio. His Concilii verbis ineluctabiliter demonstrari nostram propositionem, nemo est qui statim non intelligat.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Ita docet S. Justinus, Martyr: Christum ... esse rationem illam, cujus omne hominum genus particeps est; suprâ demonstravimus; & qui cum ratione vixerunt, christiani sunt, etiam si athei existimati sint; quales apud Græcos fuere Socrates, Heraclitus. (Ap. leg. 1. pag. 65.)

Porro si Gentilium nonnulli dici possunt Christiani, cur à justitia & salute excluderentur?

Respondeo nomen Christiani, non proprio sed latiori sensu ibi à S. Justino fuisse acceptum; Pagani scilicet Christianis objiciebant novam esse ipsorum doctrinam, siquidem recens in mundum venerat Christus. Responderet autem S. Justinus Christum, præter naturam humanam quam in tempore assumpserat, aliam habere æternam in qua suprema est ratio quæ omnes illuminat, qui rationis sunt

participes. Quidquid enim veri circa morum disciplinam deprehenderunt Philosophi gentiles, id, Christo seu Verbo eos illustrantē, cognoverunt: quo sensu illos vocat Christianos S. Iustinus. Sic etiam Tertullianus repentinos motus quibus ipsimet infideles in casibus inopinatis exclamant: *Deus meus*, appellat testimonium animæ naturaliter Christianæ: porro Christiani propriè non dicuntur, nisi ii qui in Christum, id est in Verbum Dei incarnatum, Deum & hominem credunt, totamque doctrinam ab eo traditam profitentur: quo sensu S. Iustinus Philosophos gentiles nunquam vocat Christianos.

Obj. 20. S. Clemens Alexandrinus ait *Per se quoque aliquando Græcos justificasse Philosophiam*; (Lib. 1. Stromatum, pag. 319.) ad justitiam ergo non requiritur fides in Christum mediatorem.

Resp. Dist. ant. Id est contulisse externam & civilem quamdam probitatem, conc. ant. veram internamque justitiam, neg. ant.

Porro prædicta S. Clementis verba intelligenda sunt de externa & civili probitate, non autem de propriè dicta & interiori justitiâ, à qua remotissimi erant Philosophi gentiles, quamvis nonnulla morum præcepta cognoverint, exteriusque servaverint. Ita censuisse S. Doctorem inde patet, quòd philosophicam illam justitiam ipsis quoque idolorum cultoribus attribuat. *Iis*, inquit, *qui iusti erant ex Philosophia, non solum opus erat fide in Dominum; sed etiam ut discederent à cultu simulacrorum.* (Lib. 6. Stromatum.) Quis autem putet S. Doctorem veram internamque justitiam agnovisse in impiis & idololatris, sic reclamante Apostolo: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ conventio Christi ad Baltha? ... qui autem consensus templo Dei cum idolis?* (2. Cor. 6. v. 14. & seq.)

Præterea si veram justitiam in Philosophis admisisset S. Clemens, Abrahamæ exemplo non de-

monstraret præclara Philosophorum opera sine fide in Christum ipsis nihil profuisse: atqui tamen Abraham, inquit, *non ex operibus justificatus est, sed ex fide; nihil ergo eis (Philosophis) post vitam finem proderit etiamsi nunc rectè operentur, nisi fidem habeant.* (Lib. 1. Stromatum.)

Obj. 30. Origenes exponens hæc Apostoli verba: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco*, asserit bona infidelium opera præmio non carere apud Deum. *Sicut credenti*, inquit, *si ... aliquid peccati commiserit, ... iudicium manet; ita & non credenti, si quid boni operis gesserit, ... remuneratio non peribit;* (in cap. 2. Epist. ad Rom.) ergo infideles, si rectè se gesserint, vitæ æternæ non fraudabuntur.

Resp. Neg. conseq. Remuneratio quippè de qua loquitur Origenes, non est vitæ æternæ, sed vel minor in altero sæculo pœna. *Minus punietur, quàm Caecilia Fabricius*, ut ait Augustinus; vel aliquod in præsentī vitæ commodum temporale. Sic, juxta eandem Augustinum, Romanis propter præclara quædam virtutum officia, Deus florentissimum concessit Imperium. De vitæ æternæ ibi sermonem non esse constat ex istis verbis præcedentibus: *Iste (gentilis), inquit Origenes, licet alienus à vitæ videatur æternæ, quia non credit Christo, nec intrare possit in regnum caelorum, ... videtur quòd per hæc quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam, & honorem, & pacem perdere penitus non possit; persuasum igitur habuit Origenes infideles eo ipso quòd in Christum non credant, à vitæ æternæ excludi.*

Obj. 40. S. Chryostomus notat Christum ad inferos descendentem, nullum damnatorum inde eduxisse. Deindè hæc subiungit: *Quid ergo, injustè agitur cum iis qui ante adventum ejus vixerant? nequaquam: poterant enim nec Christum confesse; salutem consequi. Nam enim hoc ab illis exigebatur, sed nec idola colerent, & ut Deum verum*

nouissent: ... tunc enim ad salutem sufficiebat Deum tantum cognoscere; nunc verò id satis non est, sed Christum nosse oportet. (Hom. 36. aliàs 37. in Matthæum, n. 3.) Ergo juxta S. Doctorem ante Christi adventum fides in ipsum necessaria non erat ad salutem consequendam, at sufficiebat unius Dei veri cultus.

Resp. Dist. consequ. Fides in Christum ante Evangelii promulgationem necessaria non erat necessitate præcepti, conc. necessitate mediæ, neg.

Eo in loco id consilii habet S. Chryostomus, ut ostendat eos qui ante Evangelii prædicationem sine fide in Christum mortui erant, non injustè damnari; quod manifestè supponit eos qui fide in Christum caruerunt, damnatos esse ac proinde sine hæc fide ad salutem perveniri non posse. Ait verò S. Doctor cum iis non actum esse injustè, quia non ideo damnati sunt, quòd fidem in Christum non habuerint; sed quòd verum Deum non coluerint. A gentibus enim non exigebatur ut in Christum de quo nihil audierant, crederent. Deus quippè impossibilia non jubet. Illè autem fidei defectus in causa non fuit, cur Deum unum & verum non adoraverint, sed prava tantum ipsorum voluntas.

Neminem unquam absque fide in Christum fuisse justum passim declarat S. Chryostomus: *Ex præsentis vitæ n. 1. a, inquit, non alio modo liberamur quàm per fidem (in Christum.) Sic omnes præci illi viri claruere; sic Abraham, sic Isaac, sic Jacob, sic & meretrix (Rahab) salutem consecuta est, & in veteri, & in nova testamento. (Hom. 2. in Epist. ad Rom. n. 6.)*

Obj. 5º. Apostolum exigere duntaxat fidem, quàm credatur Deum existere & inquirentes se remuneraturum esse: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator fit. (Hebr. 11. 6.)*

Resp. ex præfatis Apostoli verbis malè inferri

non aliam exigendam esse fidem, quàm Dei remuneratoris. Qui enim declarat unum esse necessarium, non idcirco negat alterius necessitatem; præsertim verò cum istud alterum tum à Scriptura, tum à Patribus requiritur: atqui Scriptura & Patres passim testantur, ad salutem non satis esse ut credatur Deum existere, qui inquirentes se remunerabit; sed præterea definiunt alia esse credenda, qualia sunt Trinitatis & Incarnationis mysteria.

Obj. 6º. verisimile non esse Deum eos damnaturum, qui legem naturalem servantes, fidei nostræ mysteria de quibus nihil audire potuerunt, penitus ignorant.

Resp. ad salutem non satis esse ut aliquis legem naturalem servet, quamquam & illud absque gratiâ & aliquâ in Christum fide fieri non possit, ut oportet, nec ita ut sufficiat ad justificationem: *Si enim de Lege, inquit Augustinus, quam accepit gens una Judæorum, ait Apostolus; (Galat. 11. 21.) si per Legem justitia; ergo gratis Christus mortuus est; Quantum justius dicitur de lege naturæ quam accepit universum genus humanum? (De nat. & grat. cap. 2. n. 2. tom. 10. p. 129.) Per hoc Christus gratis, mortuus est, si homines sine fide Christi ad virtutem veram, ad justitiam veram... quæcumque ratione perveniunt; ... per quod enim est vera justitia, per hoc etiam Regnum Dei. Deus namque ipse (quod absit) erit injustus, si ad ejus Regnum verus non admittitur justus. (Lib. 4. contra Julian. cap. 3. n. 17 tom. 10. pag. 593.)*

Qui tamen invincibili christianæ fidei ignorantia laborant, non propter eam damnabuntur, sed vel reatu originis vel addicamento propriæ voluntatis, ut ait S. Doctor. (Epist. ad Sixtum, cap. 6. n. 27. tom. 2. pag. 723.)

Quæres qualis esse debuërit fides in Christum ante ipsius Incarnationem.

Resp. 10. Fidem illam in revelatione divinâ fundatam, quovis tempore ejusmodi esse debuisse, ut exhiberet mediatorem ac liberatorem à Deo promissum, per quem Deus offensus placaretur, hominesque cum Deo reconciliarentur; alioqui non fuisset vera fides in Christum. Insuper oportuit ut homo in solo mediatore promisso & venturo totam justitiæ salutisque spem collocaret. Denique credere necesse fuit mediatorem illum, fore Deum simul & hominem; Christus enim non homo tantum, sed etiam Deus est: qui ergo mediatorem tanquam hominem duntaxat sibi finisset, ille non in Christum reipsa, sed in quoddam inane mentis læ figmentum credidisset. Id satis compertum est ex Patrum testimoniis supra descriptis.

Resp. 20. Pro temporum & personarum diversitate, fidem in Christum venturum, magis vel minus distinctam & explicitam fuisse. 10. Quidem pro temporum diversitate: cum enim fides solâ revelatione divinâ nitatur, eò distinctior esse debuit, quò manifestior fuit revelatio. Porro revelationis lumen magis ac magis per oracula Prophetarum illuxit usque ad Christi adventum. 20. Pro diversitate personarum: fides enim procul dubio in Patriarchis, in Moyse, in Prophetis, in Doctoribus magis distincta, magis evoluta fuit, quam in aliis; sicuti nunc etiam in Sacerdotibus qui alios edocere tenentur major esse debet Religionis cognitio, quam in Laicis.

SECTIO. II. *Varie proponuntur questiones ad fidei necessitatem pertinentes.*

Quæres 10. quænam mysteria post sufficientem Evangelii promulgationem explicitè credenda sint necessitate mediæ.

Resp. post Evangelium promulgatum, necessa-

riam esse necessitate mediæ fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis.

Probatum prima pars Patrem suam sic alloquitur Christus: *Hæc est vita æterna, id est, via quâ pervenitur ad vitam æternam, ut cognoscant se solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* (Joan. 17. 3.) Ibi fides in Christum eodem modo dicitur necessaria, quo fides in Deum: atqui procul dubio fides Dei explicita ad salutem requiritur necessitate mediæ; ergo & fides Christi, ac proinde Incarnationis: unde eum periturum testatur Christus, qui in eum non crediderit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus & Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* (Joan. 3. 36.) Hinc S. Chrysostomus sic habet: *Tunc (in veteri Lege) sufficiebat Deum explicitè nosse; nunc autem non ita est, sed necessaria est ad salutem Christi cognitio, scilicet explicita, ut satis indicat sensus obivus.* (Homil. 17. in Math.) Eandem doctrinam sic apertè tradit S. Thomas: *Quia post lapsum nature humanæ homo non potest reparari nisi per Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum; ideo ad justificandum impium requiritur fides Jesu Christi, vel explicitè vel implicitè secundum diversa tempora, scilicet novæ vel veteris Legis, quia in veteri sufficiebat fides implicita Christi, nunc non sufficit.* (Edit. Nicolai; tom. 12. quæst. 28. de justific. impii, pag. 930.)

Eadem veritas firmatur Concilio Tridentino, à quo definitur ab obtinendam justificationem, credendum esse imprimis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. (Sess. 6. de justificat. cap. 6.) Itaque, judice Synodo Tridentinâ, ad justificationem imprimis requiritur fides in Christum Redemptorem: atqui, teste S. Thomâ, prima credibilia tenetur homo explicitè credere. (2. 2. quæst. 2. art. 5. in corp.) Ergo, &c.

Prob. secunda pars. Tùm quia Baptismus datur cum expressa & distincta trium Personarum SS. Trinitatis invocatione: *Docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; tùm quia ex dictis, fides Incarnationis explicita in adultis necessitate *medii* requiritur ad salutem: atqui mysterium Incarnationis Christi explicitè dicere non potest sine fid SS. Trinitatis: *In mysterio enim Incarnationis Christi*, ait S. Thomas, *hoc continetur, quòd Filius Dei carnem assumpserit, & quòd de spiritu Sancto conceptus fuerit: & ideo post tempus gratia divulgata, tenentur omnes ad explicitè credendum mysterium Trinitatis. (2. 1. quæst. 2. art. 8. in corp.)*

His omnibus accedit ratio: Homines sub nova Lege ad præstantiorem statum evecti fuerunt, & Incarnationis ac Trinitatis mysteria clarè manifestata; ergo convenientissimum est ut eorundem fides perfectior sit & explicatior, quàm in veteri Testamento, ubi mysteria hæc sub Legis mosaicæ umbris & figuris occultata erant.

Quæres 2^o. quænam scire & credere ex præcepto divino teneantur Fideles.

Resp. Necessitate præcepti divini tenentur fideles scire & credere 10. articulos Symboli quoad substantiam, ita ut de singulis interrogati accuratè respondeant: præcipua enim sunt capita & veluti summa Evangelii, quod Apostolis prædicare & populis audire & credere sub pœna damnationis sic jubet Christus: *Prædicare Evangelium omni creaturæ, qui non crediderit, condemnabitur. (Marc. 16. v. 15 & 16.)* Præterea quid magis congruit, quàm ut christianam fidem professus, præcipuos illius articulos sciat & credat? in Symbolo autem continentur: *Est enim regula fidei nostræ, inquit Augustinus, brevis & grandis: brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum. (Serm. 59. de verb. Evang. n. 1. tom. 5. pag.*

pag. 343.) Quamobrem vel ab ipso Ecclesiæ exordio, Catechumeni ad Baptismum non admittuntur, nisi prius Symbolum recitent & intellexerint.

2^o. Debent Sacramentorum quæ suscepturi sunt, vim, efficaciam, & dotes ad ea utiliter recipienda necessarias cognoscere & credere. Hæc enim cognitione nisi fuerint imbuti, ad Sacramenta dignè accedere nequeunt.

3^o. Orationem Dominicam, quia his verbis & Deo præscripta est: *Sic orabitur: Pater noster, &c.* quibus in verbis vim præcepti agnoscit Ecclesia dicens in Missæ sacrificio: *Præceptis salutaribus moniti, audemus dicere: Pater noster, &c.*

4^o. Præcepta Decalogi noverint fideles necesse est; siquidem iis observandis jure naturali & divino simul obstringuntur: hæc enim præcepta circa ea versantur quæ ad legem naturalem pertinent.

Quamvis ex jure divino sufficiat ut Symbolum, Orationem dominicam & Decalogum quoad substantiam teneant fideles, ex jure tamen ecclesiastico hæc memoriter sunt addiscenda. Idcirco S. Carolus præcipit ut qui modò recantata memoriæ non mandaverit, *non absolvetur, quin primo quoque tempore, iis addiscendis operam daturum se promiserit; si jam monitus eam adhibere diligentiam neglexerit, quæ pro illius ingenti capto ad ea discenda sufficiat, non prius absolvetur quàm huic obligationi, saltem ex parte, fecerit solis. (A. J. Mediolan. part. 4.)*

Quæres 3^o. an omnes fideles eadem & æquali mysteriorum fidei notitiâ instructi esse debeant.

Resp. in Clericis majorum & explicationem notitiam & fidem requisitam esse, quàm in laicis, cum hos illi edocere debeant. *Explicatio fidei, inquit S. Thomas, oportet quòd perveniat ad inferiores homines per majores; & ideo sicut superiores,*

Angeli qui inferiores illuminant, habent pleniorē notitiā de rebus divinis, quā inferiores; ... ita etiam superiores homines ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorē notitiā de credendis, & magis explicitē credere. (2. 2. quæst. 2. art. 6. in corp.) In Clericis etiam non eadem requiritur cognitio, sed in aliis major, & in aliis minor, pro variis quibus funguntur ministeriis. Sic Parochis quibus incumbit animarum cura, & Confessariis opus est ampliori scientiā & fide magis explicitā; siquidem jure tam naturali, tūm divino debent gregem sibi commissum doctrinæ cælestis pabulo nutrire. Episcopo necessaria est uberior rerum fidei cognitio, quā Parochis & Clericis inferioribus, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. (Tit. 1. 9.)

Quæres 4^o. quotiēs teneatur adultus fidei actus elicere.

Resp. generatim fidem esse, quā sapissimè fieri potest, exercendam; 1^o. quia circumeunti diabolo, & novas semper insidias paranti, si soli resistere valent qui sunt fortes in fide, ait S. Petrus: (Ep. 5. 9.) atqui ut fortem & robustam fidem habeamus, eam frequenter exerceri necesse est; 2^o. quia, teste Apostolo, justus ex fide vivit; (Galat. 3. 11.) fides proindè se habet ad animam, ut alimenta ad corpus: atqui ad sustentandam corporis vitam, cibis sæpius uti necesse est; ergo pariter ad servandam animæ vitam frequens esse debet fidei exercitatio; 3^o. quia tenemur Deum, quā sapissimè possumus, colere: atqui ex Augustino, Fide, spe & caritate Deus est colendus. (Ench. cap. 3. tom. 6. pag. 195.) Meritò igitur ab Innocentio XI damnata fuit an. 1679 sequens propositio: Satis est actum fidei semel in vita elicere. Actus fidei tunc maximè repetendi sunt, cum urget tentatio: Accipite armaturam Dei, inquit

Apostolus, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. (Ephes. 6. v. 13. & 16.)

Quæres 5^o. quomodo debeat Confessarius cum iis sese gerere qui fidei mysteria ignorant.

Resp. 1^o. Si pœnitens ea ignoret mysteria, quorum fides requiritur necessitate medi, tunc absolutione careat, cum ne quidem sit capax justificationis: quinimò tenetur præterita confessiones repetere, quia nullæ prorsus fuerunt, cum per eas justificationem consequi non potuerit. Quòd si urgeat mortis periculum, curabit ante omnia Confessarius, ut præcipua fidei mysteria doceat pœnitentem qui de iis actum fidei elicere debet, priusquam absolvatur; eum præterea hortabitur ut verum de præterita negligentia dolorem concipiat.

2^o. Quando pœnitens ea tantum ignorat, quorum cognitio necessitate præcepti duntaxat requiritur, absolvi potest si de præterita negligentia sincerum exhibeat dolorem, promittatque daturum se operam ut ea quæ nescit addiscat. Si tamen ex quadam ejus inertia periculum sit ne, acceptâ absolutione, promissi sui immemor discere negligat, tunc differenda erit, donec pro ingenii sui captu didicerit quæ cognoscere tenetur.

PARAGRAPHUS II.

De externo fidei actu.

Externus fidei actus hic nihil aliud est, quā fidei confessio. De ea duplex est præceptum; aliud quo jubemur fidem aliquando profiteri, & aliud quo prohibemur ne fidem unquam abnegemus verbo, signo, nutu, vel aliquâ simulatione.

PROPOSITIO I.

Tenemur aliquando fidem exterius profiteri.

Probatur. Ad illud tenemur quod necessarium est ad salutem: debet enim unusquisque suæ salutem consulere: atqui exterior fidei confessio interdum ad salutem requiritur, ut patet ex iis Apostoli verbis: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris quod Deus suscitavit illum à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justiciam, ore autem confessio fit ad salutem.* (Rom. 10. v. 9. 10.) Hinc illud S. Augustini: *Quid prodest corde credidisse ad justiciam, si os dubitet proferre quod corde conceptum est?* (Serm. de Apost. Paulo, 279. n. 7. tom. 5. pag. 1132.) Ergo, &c.

Quæres 1^o. quandonam teneamur fidem exterius confiteri.

Resp. cum S. Thomas *Fidei confitenda præceptum urgere, quando per amissionem hujus confessionis subtraheretur honor Deo debitus, & etiam utilitas proximo impendenda.* (2. 2. quæst. 3. art. 2. in corp.) Idcirco fidem & Religionem clarè & ingenuè profiteri debemus, etiam cum vitæ periculo, 1^o. quoties autoritate publicâ sive privatim, sive palam de nostra fide interrogamus, quia id exigat Dei & Religionis honor propria vitæ antefertendus; qui tunc tacet, erubescit Christum sic comminantem: *Qui me erubuerit & meos sermones, hanc ælium hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* (Luc. 9. 26.) Quapropter Innocentius XI hanc damnavit propositionem: *Si à potestate publica aliquis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei gloriosum, consulo; tacere autem, ut peccaminosum non damno.*

2^o. Tenetur quilibet, etiam cum vitæ periculo, fidem aperte profiteri, cum adest periculum ne populus à fide deficiat, aut in ea vacillet; item

quando silentium occasionem suspicandi præberet, nos fidem christianam deserere; quod aliis gravi esset scandalo. Ratio est, quia postulari ordo caritatis ut æternam fratrum nostrorum salutem vitâ nostrâ potiorem ducamus; sic enim jubet Scripturâ: *Debemus pro fratribus animas ponere.* (1. Joan. 3. 16.)

Quæres 2^o. an liceat Tyrannum fugere, ne fidem confiteri cogamur.

Resp. illud aliquando licitum esse, ut colligitur ex iis Christi verbis: *Cum persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam.* (Math. 10. 23.) Christus ipse Judæorum sævitiam non semel fugâ declinavit, ut legitur apud Joannem. (Cap. 10. v. 39. & cap. 11. v. 54.)

Elias ut Isebel furorem effingeret, in speluncam sese condidit; (Lib. 3. Reg. cap. 19.) Tyrannorum crudelitati fugâ sese subdixerunt viri pietate & doctrinâ insignes, Cyprianus, Athanasius, Polycarpus & alii plurimi. Fugere itaque tyrannos in fidem catholicam severtentes, ex se peccatum non est; sed pro circumstantiarum varietate bonum aut malum erit. 1^o. Id iocitum, imò necessarium est iis qui timent ne tormentorum atrocitati succumbant, fidemque abneget: qui eam hujus periculi conscientus, Tyranni sævitiam non declinat, Deum tenet; 2^o. cum aliquis communi bono Rebellicæ necessarius est, aut magno periculis utilis, ut probat Augustinus exemplo S. Pauli qui ob Ecclesiæ utilitatem Præposito Damasci fugâ sese subripuit; (Tract. 46. in Joan.) 3^o. quoties prævidetur aut martyrium nemini futurum, aut Tyrannum magis irritandum, & crudelibus Christianos esse vexatorum. Contra verò nemini fidelliam fugere licet, quoties fidei confessio necessaria est ad Religionem promovendam, connequendosque imbecilles.

Quæres 3^o. an liceat Pastoribus, sæviante per-
secutione, fugere.

Resp. Si in solos Pastores Tyrannus sæviat, isti
licite fugere possunt & quandoquæ debent, si non
desint alii Ministri qui fidelibus salutis subsidia
conferre valeant. Si verò nulli sint Sacerdotes qui
tanto oneri succedere velint aut possint, & popu-
lus in amittendæ fidei periculo versetur, tunc
debent Pastores Tyrannorum crudelitatem susti-
nere, ut suo gregi subveniant: nam *Bonus Pastor
animam suam dat pro ovibus suis.* (Joan. 10. v. 11.)
Ita respondet S. Thomas. (Lect. 3. in cap. 10.
Joan.)

PROPOSITIO II.

*Nunquam licet fidem exterius negare sive ex animo,
sive ex simulatione.*

Probatur prima pars. Illud nunquam licet quod
sub æternæ damnationis pœna nobis prohibetur:
atqui fidem verè ex animoque negare, &c. *Qui
negaverit me*, inquit Christus, *coram hominibus,
negabo & ego eum coram Patre meo.* (Matth. 10.
33.) *Si negaverimus*, ait S. Paulus, *& ille nega-
bit nos.* (2. Tim. 2. 12.)

Prob. secunda pars. Fidem negat ex simulatione
qui eam, dum in corde suo retinet, exterius re-
jicit: atqui id nunquam licitum est, ne quidem
in mortis acerbissima periculo, quia mendacium
est detestabile, Deo maxime injuriosum & per se
malum. Unde Christus sic minatur: *Qui me eru-
berit coram hominibus, hunc Filius hominis eru-
beret*; ergo, &c.

Hinc II & III sæculo Ecclesia gravissimis pœnis
animadvertit in *libellaticos*, eos scilicet Christianos
qui à Magistratibus numeratâ pecuniâ libellos obti-
nerant, quibus significabatur eos nefariis Imperato-
rum de adorandis idolis legibus obtemperasse, quam-
vis reverâ id non præstitissent. Hinc etiam Sedes

Apostolica an. 1643, damnavit nonnullorum apud
Sinas *Missionariorum* consuetudinem, qui Christianis
permittabant externum idolis cultum exhibere,
modò adorantis intentio ad verum Deum dirige-
retur, cujus imago vel sub ipsis vestibus, vel
sub altari propè idolum posito latebat.

Objicies quod de Naaman ad fidem converso
legitur, & cujus ista sunt verba ad Elisæum:
*Hoc solum est de quo depreceris Dominum pro
servo tuo: quando ingrediatur Dominus meus (Rex
Syriæ) templum Remmon ut adoret, & illo inni-
tente super manum meam, si adoravero in templo
Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat
mihi Dominus pro hac re servo tuo.* Respondit au-
tem Elisæus: *Vade in pace*; id est, ea de re
nullum habeas scrupulum. (Lib. 4. Reg. cap. 5.
v. 18 & 19.)

Porro illud est licitum quod permisit Elisæus:
atqui permisit ut Naaman fictè adoraret idolum in
templo Remmon; ergo id licitum est.

Resp. Neg. min. Naaman quippè non postulavit
ab Elisæo, ut sibi permetteretur fictè adorare in
templo Remmon; sed tantùm, ut sibi non ver-
teretur in culpam, quòd civile & politicum ob-
sequium exhiberet, non idolo, sed Principi. Hæc
enim loquendi ratio: *si adoravero, illo innitente
super manum meam*, satis indicat non de cultu
religioso locutum esse Naaman, sed de officio
quo erga Regem tum extra, tum intra tem-
plum fungi consueverat; scilicet cum Princeps
ejus brachio inniteretur, ipso Rege ambulante
ambulabat, stante stabat, procumbente procum-
bebat, surgente surgebat Naaman. Illud insuper
omnem fictæ adorationis suspicionem ab eo remo-
vebat, quòd non clanculum, sed coram toto
comitatu suo promiserat Elisæo, se non *facturum
ultrâ holocaustum aut victimam diis alienis, nisi
Domino.* Quinimò ibidem legitur cum terram de
Israël asportasse, ut supra eam vero Deo sacri-

ficaret. Idcirco ipsi respondit Eliseus: *Vade in pace, commendans hominis fidem qui, nedum simulatè vellet idolum adorare; terram Israëliticam secum advehebat in Syriam, ut vero Domino victimas immolaret.*

In eua Scriptura locum sic notat eruditus Houbgant: *Non ei interdicit Eliseus ne manum Regis sulciat, & cum eo se in templo Remmon inclinet, quia Naaman palam proficitur se Dei Israël fore cultorem, neque dubitabat Syria Regi ingratum non fore, ut eum Deum sequeretur per quem fuerat lepra mundatus. Pontines Religionem cuius essent, victimis & sacrificiis profitebantur. Pollicitus est Naaman se v. d. Deo Israël sacrificaturum. Itaque ex eo quoddam Naaman Regi Syriae, se inclinanti ante Remmon, opem ferebat, colligi jam non poterat deum Remmon ab ipso coli; tum quia isti deo non sacrificabat; tum etiam quia coram eo non se inclinabat proprio Marte ac solus, sed tantum Regi opem ferens, & munus suum administrans.*

At, inquires, si propter causas modò expositas extra culpam fuit adoratio Naaman, potuissent etiam juniores Hebraei coram statua Nabuchodonosor circa peccatum se prosternere, ut honorem merè civilem huic Principi exhiberent.

Resp. inter duo tam dissimilia nullam institui posse comparisonem. Jussit enim Nabuchodonosor suam ipsam coli statuam: non præcipiebat verò Rex Syriae, ut deus Remmon adoraretur; sed tantum ut sibi coram deo sese inclinanti brachium suum commodaret Naaman.

SCHOLIUM.

Not. 1^o. Duobus modis potest fides exterius abnegari, nimirum aut verbis, ut si quis negaverit aliquam fidei veritatem, v. g. Christum esse Deum; aut factis, cum scilicet ea peraguntur quæ vel ex natura sua, vel ex hominum institutione

nonnulli actum Religionis significant, ut si quis coram idolo thus adoleat, genuflectat, pectus tundat, aut cenam calvinisticam cum Hæreticis sumat, aut circumcidatur cum Judæis. Secus autem sentiendum de nonnullis actionibus quæ, licet aliquando ad cultum Religionis referantur, ex sua tamen natura hominumque consuetudine, ad alium etiam finem spectant: hujusmodi enim actiones abnegari fidem minimè probant. Si quis, v. g. Hæreticorum templum ingrediatur, ibique concionem audiat, vel observet quidquid ibi geritur, rem non agit per se fidei oppositam.

Not. 2^o. Fidei coram Tyrannis consistenda, etiam cum vitæ dispendio, mandatum prædicant unanimis Theologi, illudque frequenter in ore habent Christiani. Id mirum esse non debet, cum præceptum illud nihil nunc habeat incommodi, cum jam defecerint Tyranni & Catholica Religio barbari infestatores. Verum quò studiosiores videntur ad commendandam fidei confessionem, eo tegniores sunt in morum doctrina publicè confitenda, ubi sese dat occasio. Certum tamen est fidem exterius profitendi officium, non pertinere tantum ad mysteria quæ *speculativa* dici solent; sed etiam ad præcepta quæ informandis moribus data sunt: integram enim Evangelium verbo & opere confitori tenemur; Evangelium verò tum mysteria, tum morum regulas continet. Multos tamen pudet evangelicam morum doctrinam quæ cupiditates cohibet, palam exhibere. Si prævideant severas Ethicæ Christianæ veritates propriis commodis obfaturas, minusque iis placituras à quibus aliquid timent aut sperant, eas silentio prætermittunt, vel ambiguis vocibus involunt, vel lucis & lenocinii deliniunt & temperant, vel temporum & personarum conditioni accommodant: quali verò satis esset Religionis mysteria publicè ostentare, minimèque necessarium foret moralia ejusdem præcepta, quantumvis austera, palam

confiteri: ad eos omnes spectat hæc Christi comminatio: *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet.*

ARTICULUS VI.

De vitiis Fidei oppositis.

Fidei opponuntur infidelitas, hæresis, morum pravitas.

Quæres 1^o. quid & quoruplex sit infidelitas.

Resp. Quamvis infidelitas commune sit vitium omnibus contra fidem peccantibus, iis tamen solet propriè attribui, qui Deum ex revelatione non cognoscunt. Duplex distinguitur, *positiva* scilicet & *negativa*. Prior eorum est qui fidem sibi annuntiatam rejiciunt. Grave est peccatum quo nempe contemnitur summa Dei revelantis autoritas & veritas. Hinc istæ Christi sententiæ: *Qui non crediderit, condemnabitur. (Marc. 16. 16.) Qui non credit, jam judicatus est. (Joan. 3. 18.)*

Posterior infidelitas, sive *negativa*, eorum est ad quos non pervenit revelatio, qui nimirum de fide nihil audierunt, vel audire potuerunt. Hæc peccatum non est, ut constat ex iis Christi verbis: *Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent, (Joan. 15. 22.)* scilicet *peccatum quo non crediderunt in eum*, ait S. Augustinus. (*Tract. 89. in Joan. tom. 3. part. 2. pag. 718.*) Ratio est, quod nemo peccet in eo quod cavere non potest, nec quisquam teneatur ad impossibile: credere autem sine factâ quâdam revelatione prorsus impossibile est: *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? (Rom. 10. 14.)* Quapropter hujusmodi infideles damnantur propter alia peccata quæ sine fide remitti non possunt, inquit S. Thomas: *non autem*

damnatur propter infidelitatis peccatum, quæ non habet rationem peccati, sed pænæ; quia ex peccato primi parentis consecuta est. (2. 2. quæst. 10. art. 1. in corp.)

Quæres 2^o. quænam sit hæresis definitio & divisio.

Resp. Hæresis græca vox est, ab eligendo dicta, quia Hæreticus non omnibus quæ docet Ecclesia mentem suam subjicit; sed ex iis quædam eligit, & quædam pro suo arbitratu rejicit. Hæresis definitur solet: *Error voluntarius & pertinax contra aliquam veritatem catholicam, in homine qui se Christianum profitetur.* Dicitur 1^o. *error voluntarius*, quia grande est peccatum; ad rationem verò peccati cujuslibet requiritur voluntatis consensus. 2^o. *Pertinax* quia, ut ait Augustinus, *qui sententiam suam, quamvis falsam & perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt, ... corrigi parati cum verum invenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos computandi. (Epist. 43. n. 1. tom. 2. pag. 88.)* Qui autem sciens & volens sententiam tenet doctrinæ catholicæ oppositam, eo ipso pertinax est ac Hæreticus. 3^o. *Contra veritatem catholicam*; ea porro veritas dicitur *catholica* quam Ecclesia disertè proposuit ut à Deo revelatam. Denique dicitur, *in homine qui se Christianum profitetur*: qui enim Christianismum abjicit, non Hæreticus, sed *Apostata* vocatur.

Hæresis dividitur in *formalem* quæ ea ipsa est quam modò definivimus; & *materiam* quæ error est quo aliquid contra fidem creditur, sed quod fidei oppositum esse ignoratur. Hæresis *formalis*, alia est *mentalis* quæ ita in mente latet, ut nullo sese prodar exteriori signo; alia *interna* simul & *externa*, quæ scilicet intra animum non coërcetur, sed exterius sese manifestat.

Quæres 3^o. quo sensu morum pravitas fidei advesetur.

Resp. Morum pravitas vitium est fidei oppositum, non quidem eo sensu quod per se fidem destruant mores perditii; sed 1^o. quia impediunt ne vita cum fidei præceptis consentiat: idcirco plurimi è SS. Patribus eos qui inter fideles corrupti sunt, Christianos esse negant; 2^o. quia ad fidem abjiciendam, ipsiusque jugum, veluti importunum, excutiendum sensum adducunt, ut luctuosè compertum est experientià.

VERITATIS
CAPUT II.

De Spe Theologica.

DISQUISITIONEM hanc quatuor in articulos distribuimus; primus erit de natura, divisione, objecto & subjecto spei; secundus, de certitudine; tertius, de necessitate; quartus, de effectibus spei & de vitiis ipsi oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura, divisione, objecto & subjecto Spei.

Quæres 1^o. quænam sint spei theologicæ definitio & divisio.

Resp. Spes theologica definitur: *Virtus per quam firma cum fiducia beatitudinem æternam auxilio Dei consequendam, expectamus.* Dividitur 1^o. in *habitualem* quæ est permanens divinitusque infusa ad Deum possidendum inclinatio; & *actualem* quæ est actus quo voluntas per gratiam excitata æternam beatitudinem, sive Dei possessionem expectat.

rat. 2^o. Spes dicitur *formata*, cum adjunctam sibi habet caritatem iustificantem; *informis* verò quando eà caritate destituta est.

Quæres 2^o. quid spei objectum constituat.

Resp. Objectum spei primarium est Deus possidendus: *Spes*, inquit S. Thomas, *in quantum est virtus theologica, habet pro objecto ipsum Deum cujus fructificationem homo principiaiter expectat per virtutem spei.* (3. part. quest. 7. art. 4. in corp.) Cum verbò ad Dei possessionem multa nos perducant, gratia præsertim, peccatorum remissio, & perseverantia ad finem usque vita, hæc omnia etiam sunt spei nostræ objectum; sed veluti secundarium, quatenus scilicet viam sternunt ad beatitudinem, sive Dei possessionem in quam primariò fertur spes theologica.

Quæres 3^o. quænam sint circa spei subjectum præsertim observanda.

Resp. Ad ista revocantur; 1^o. Spes à damnatis prorsus exulat, quia certi sunt se perpetuis suppliciiis decreto irrevocabili addictos esse: *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes.* (Proverb. 11. 7.) Idcirco ubique reprobatus fuit error Origenis & similibus, qui docuerunt aliquando destituros esse cruciatibus damnatorum, eosque proinde non omni spe destituros.

2^o. In Beatis locum non habet christiana spes, quia jam summo bono perficiuntur quod præcipuum est spei objectum: *Nam quod videt quis, quid sperat?* (Rom. 8. 24.) Actus voluntatis quibus Beati gloriam proprii corporis expectant, non sunt actus spei theologicæ, ut sic docet S. Thomas: *Cum spes sit virtus theologica habens Deum pro objecto, principale objectum spei est gloria anima quæ in fruitione divina consistit, non autem gloria corporis.* (2. 2. quest. 18. art. 2. ad 4.)

3^o. Spes non excluditur è statu animarum quæ

Resp. Morum pravitas vitium est fidei oppositum, non quidem eo sensu quod per se fidem destruant mores perditii; sed 1^o. quia impediunt ne vita cum fidei præceptis consentiat: idcirco plurimi è SS. Patribus eos qui inter fideles corrupti sunt, Christianos esse negant; 2^o. quia ad fidem abjiciendam, ipsiusque jugum, veluti importunum, excutiendum sensum adducunt, ut luctuosè compertum est experientià.

VERITATIS
CAPUT II.

De Spe Theologica.

DISQUISITIONEM hanc quatuor in articulos distribuimus; primus erit de natura, divisione, objecto & subiecto spei; secundus, de certitudine; tertius, de necessitate; quartus, de effectibus spei & de vitiis ipsi oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura, divisione, objecto & subiecto Spei.

Quæres 1^o. quænam sint spei theologicæ definitio & divisio.

Resp. Spes theologica definitur: *Virtus per quam firma cum fiducia beatitudinem æternam auxilio Dei consequendam, expectamus.* Dividitur 1^o. in *habitualem* quæ est permanens divinitusque infusa ad Deum possidendum inclinatio; & *actualem* quæ est actus quo voluntas per gratiam excitata æternam beatitudinem, sive Dei possessionem expectat.

rat. 2^o. Spes dicitur *formata*, cum adjunctam sibi habet caritatem iustificantem; *informis* verò quando eà caritate destituta est.

Quæres 2^o. quid spei objectum constituat.

Resp. Objectum spei primarium est Deus possidendus: *Spes*, inquit S. Thomas, *in quantum est virtus theologica, habet pro objecto ipsum Deum cujus fructificationem homo principaliter expectat per virtutem spei.* (3. part. quest. 7. art. 4. in corp.) Cum vero ad Dei possessionem multa nos perducant, gratia præsertim, peccatorum remissio, & perseverantia ad finem usque vita, hæc omnia etiam sunt spei nostræ objectum; sed veluti secundarium, quatenus scilicet viam sternunt ad beatitudinem, sive Dei possessionem in quam primariò fertur spes theologica.

Quæres 3^o. quænam sint circa spei subiectum præsertim observanda.

Resp. Ad ista revocantur; 1^o. Spes à damnatis prorsus exulat, quia certi sunt se perpetuis suppliciiis decreto irrevocabili addictos esse: *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes.* (Proverb. 11. 7.) Idcirco ubique reprobatus fuit error Origenis & similibus, qui docuerunt aliquando destituros esse cruciatus damnatorum, eosque proinde non omni spe destituros.

2^o. In Beatis locum non habet christiana spes, quia jam summo bono perficiuntur quod præcipuum est spei objectum: *Nam quod videt quis, quid sperat?* (Rom. 8. 24.) Actus voluntatis quibus Beati gloriam proprii corporis expectant, non sunt actus spei theologicæ, ut sic docet S. Thomas: *Cum spes sit virtus theologica habens Deum pro objecto, principale objectum spei est gloria anima quæ in fruitione divina consistit, non autem gloria corporis.* (2. 2. quest. 18. art. 2. ad 4.)

3^o. Spes non excluditur è statu animarum quæ

purgatoriis ignibus expiantur: obtinendæ enim beatitudinis securitas exercitium spei non impedit, quia hæc felicitas adhuc absens & futura est. Præterea cum nondum facie ad faciem Deum videant, in ipsis remanet fides quæ spei fundamentum est, juxta hæc Apostoli verba: *Fides est sperandarum substantia rerum.*

40. Spes in iis subsistere potest, qui aliquomortali peccato, modo non sit desperationis, inficiuntur, quia in ipsis inesse potest fides quæ, veluti basi, spes nititur: quinimod Concilium Tridentinum inter ea quæ ad obtinendam justificationem in peccatoribus requiruntur, spem annumerat: *Ad considerandum Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi, propter Christum propitium fore.* (Sess. 6. de justif. cap. 6.)

ARTICULUS II.

De certitudine Spei.

Duplex distinguitur certitudo; alia *conditionalis* quæ ab aliqua conditione pendet: hoc modo certum est filium fore patris tui hæredem, nisi fuerit à patre exhæredatus; alia *absoluta* quæ à nulla conditione suspenditur: ita certum est quemlibet hominem esse moriturum, sive juvenis sit, sive senex, sive benè, sive malè vixerit. Docent Pseudo-Reformati spem ita certam esse animi fiduciam, ut omnimodam pariat salutis securitatem, omnemque dubitationem ac timorem expellat. Idcirco juxta eos unicuique firmiter credendum est se ex prædestinatorum numero esse: quem errorem profligavimus, ubi de justificatione disserimus.

Quæres 1^o. quo sensu certa sit nostra futuræ beatitudinis spes.

Respondeo 1^o. nostram futuræ beatitudinis spem non esse absolute certam, sive nos prorsus certos non esse fore ut beatitudinem quam expectamus, consequamur: id enim pendet à conditionibus de quibus implendis certi non sumus; illæ scilicet conditiones sunt, quod mandata Dei servaverimus, quod in justitia ad finem usque vitæ steterimus: de implendis autem hujusmodi conditionibus nemini certò constat; alioqui pro salute nostra nullus esset metuendi locus: atqui id Scripturis adversatur: *Nescit, homo, inquit, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* (Eccle. 9. v. 1 & 2.) *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* (1. Cor. 10. 12.) *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Philip. 2. 12.) Tremor autem ille cum omnimoda securitate & certitudine conciliari non potest.

Resp. 2^o. spem christianam futuræ beatitudinis, positis quibusdam conditionibus, certam esse; quatenus videlicet nobis indubitatè constat nos æternam felicitatem, Deo sic pollicente, consecuturos, si gratiæ Dei non resistamus, si ipsius mandata servemus, si justitiam ad mortem usque retinuerimus. Ratio est, quod sub iis conditionibus vitam æternam Deus in Scripturis non semel promiserit: *Si vis ad vitam ingredi, inquit Christus, serva mandata* (Matth. 19. 17.) *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Ibid. cap. 10. v. 22.) Unde S. Augustinus sic affirmat: *Tam certus esse debes . . . de felicitate, . . . si feceris præcepta Dei, quam certus esse debes de ardore ignis æterni, & de damnatione cum diabolo, si contempseris præcepta ejus.* (In Psal. 99.) Ergo, &c.

Quæres 2^o. quænam spem nostram erigere valeant.

Resp. Tria sunt præsertim quæ excitandæ spei nostræ inserviant.

Primum est, quod passim testentur Scripturæ

Deum his nunquam defuturum, qui in eo spem omnem suam collocaverint: *Qui timeis Dominum, sperate in illum, & in oblationem veniet vobis misericordia.* (Eccli. 2. 9.) *Respiciite, filii, nationes hominum, & sciote quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* (Ibid. v. 11.)

Secundum spei nostræ incitamentum est, quod Deus suam in nos summam caritatem insignibus argumentis demonstraverit; maxime vero cum dilectissimum Filium suum unigenitum nobis immerebantibus, injustis sibi que inimicis dedit, eumque morti tradiderit tanquam piacularem nostram victimam, quæ sanguine suo nos Deo reconciliaret: postquam autem tantum munus, tantumque beneficium in quo cetera omnia continentur, a Deo accepimus, nihil est quod ab eo sperari non debeat: *Qui etiam proprio Filio suo non peperit, inquit Apostolus, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Rom. 8. 32.)

Tertium in eo situm est, quod recogitemus Deum ita nos dilexisse, ut Filii sui merita nobis applicaverit, ad sui nominis cognitionem nos adducendo, sanctitatemque nobis conferendo in Baptismate, quod suam in Ecclesiam nos coopravit, nobisque jus dedit in Sacramenta, in Sanctorum communionem, in hereditatem æternam; post accepta verò tanta beneficia, nonne summiter considerare debemus, nos beatitudinem æternam cujus primitias possidemas, esse tandem consecuturos? Hinc illa Apostoli verba: *Considens hoc ipsam, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* (Philip. 1. 6.)

ARTICULUS III.

De necessitate Spei.

Quæres quibus necessaria sit spes.

Resp. 1^o. actum spei necessarium esse adultis peccatoribus necessitate *medii*, cum sine eo acquiri non possit justificatio. Inter actus enim ad eam impetrandam omnino requisitos, Synodus Tridentina actum spei recenset, quo peccatores *in spem eriguntur, fidentes sibi Deum propter Christum propitium fore.* (Sess. 6. de justis, cap. 6.)

Resp. 2^o. actum spei necessarium esse omnibus adultis necessitate *præcepti*; nihil enim in Scripturis frequentius præcipitur: *Sperate in Domino;* (Psal. 4. 6.) *Spera in Deo tuo semper;* (Ose. 12. 6.) *Sperate in eam quæ offertur vobis gratiam.* (1. Pet. 1. 13.) Hinc docet Augustinus neminem cælestis patriæ bonis esse poterit, nisi ea in hac mortalis vitæ peregrinatione expectet & sitiat: *Sed ut inde satietis, cum perveneris, hoc te oportet esurire & sitire, cum peregrinaris.* (In Psal. 64. n. 8. tom. 4. pag. 635.) Hinc etiam præclara illa S. Doctoris verba: *Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo.* (In Psal. 148. tom. 4. pag. 1675.) Cælestem igitur beatitudinem vehementer appetere, ac proinde sperare necesse est.

Postremis hisce temporibus extitere nonnulli mystici, qui docuerunt fideles ad eum posse & debere perfectionis gradum asurgere, in quo tam parè Deum diligant, ut felicitatis æternæ spem omnem ac desiderium, velut aliquid mercenarii abiciant. Ita sentiebat Michaël Molinos, Hispanus Presbyter cujus multas propositiones damnavit Innocentius XI, & maxime istam numero septimam quæ ipsius systematis veluti summam complectitur:

Non debet anima cogitare, nec de premio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aternitate. Cum spurii illi mystici contenderent hominem ad sublimem hunc perfectionis apicem pervenire, non attendendo ad proprias suas operationes; sed conquiescendo, & ira Deo sese permittendo, ut operetur in nobis sine nobis, ideirco *Quietista* appellati sunt. Horum doctrinam, quatenus spem è perfectorum statu excludit, renovavit vir præclaris ingenii dotibus commendandus, D. de Fenelon Cameracensis Archiepiscopus, in Libro cui titulus: *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure*. Adversus ea puri amoris deliria insurrexerunt nonnulli Præfules Gallicani, & postmodum illustrissimus Bossuet Meldensium Episcopus. Deinadè clarissimi Archiepiscopi de sublimi vitæ interioris perfectione placita, ab Innocentio XI profligata sunt. Sit itaque

P R O P O S I T I O.

Fiditius est status in quo mens tam purè Deum diligit, ut mercedis desiderio non moveatur, & in quo imperfectum sui actus spei elicere.

Probatur 1^o. Hæc Christi verba: *Quærite primum Regnum Dei*; (Matth. 6. 33.) & ista: *Sic orabitur: ... Adveniat Regnum tuum*, ad omnes prostris fideles spectant, non autem ad solos imperfectos: atqui hæc verba spem propriumque hominis commodum involvunt: *Per ea quippè verba*, inquit S. Cyprianus, *desiderium nostrum ad illud Regnum excitamus, ut nobis veniat, atque ut in eo regnare mereamur.* (Lib. de Orat. Domin.)

Prob. 2^o. Deum procul dubio perfectè diligebant, tum Abraham qui, jubente Deo, & patriam & cognationem suam deseruit; tum Moyles magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporaliis

peccati habere jucunditatem; (Hebr. 11. 25.) tum David qui de omni corde suo dilexit Deum; (Eccli. 47. 10.) tum Paulus qui ad tertium cælum raptus est: atqui tamen ii omnes nec felicitatis spem, nec remunerationis desiderium abiecerunt. Abraham enim *expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus*; (Hebr. 11. 10.) Moyles *aspiciebat in remunerationem*; (Ibid. v. 26.) David de se ipso sic testatur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*; (Psal. 118. 112) denique Paulus de se ipso perfectisque Christianis ait: *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes.* (Rom. 8. 23.) *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* (Hebr. 13. 14.)

Prob. 3^o. ex Patribus. *Studia virtutum*, inquit S. Ambrosius, *sine remuneratione tepescunt.* (Lib. 3. in Luc. c. 6. tom. 1. p. 1374. n. 78. Augustinus: *O tu homo, si titubas in re, esto firmus in spe; si autem te opus turbat, erigat ipsa merces.* (Serm. 345. n. 1. tom. 5. pag. 1334.) S. Bernardus: *Hæc sunt toto affectu & omni tempore postulanda, ... ut gloriam Dei videre, & ipso frui in perpetuum merearis.* (Serm. 25. de diversis, n. 5. vol. 1. pag. 1136.) Longè plura omittimus Patrum testimonia quæ proferre supervacaneum est, cùm univèrsa Ecclesia in natali Martyrum eos sic commendet: *Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, ut hæredes fierent in domo Domini.*

Prob. 4^o. ratione theologicâ. Si actus spei à perfectorum statu excludi debeant, ad perfectionem assequendam necesse erit ut circa nostram salutem æternam simus planè indifferentes & otiosi; ita nos comparatos esse oportebit, ut proindè nobis sit, sive salvandi, sive damnandi simus, dummodò impleatur voluntas Dei. Multò etiam magis postulabit perfectio, ut de æterna aliorum salute nihil omnino laboremus. Imperfecti proindè fuerunt viri

Apostolici qui, ut orbem universum ad fidem adducerent, nullos labores, nullaque pericula refugerunt; atqui illud consecrarium prorsus absurdum est ac impium; ex omni ergo parte ruit Quietistarum opinio.

Solvuntur objecta.

Objectiones. Actus spei quo expectatur beatitudo & merces, perfectorum statui opponitur; ab eo igitur excludendus est.

Resp. Neg. ant. Ille enim actus iustorum perfectorum statui non adveniat, quem frequenter exercuerunt viri in utroque Testamento sanctiores: atqui iusti utriusque Testamenti sanctiores in actus spei sæpe erumpebant, quibus æternam beatitudinem expectantes, ad virtutem sese excitabant, ut patet exemplis modo prolatis; ergo, &c.

Præterea Deus ipse non semel in Scripturis proposita mercedis & beatitudinalis spe, homines ad mandatorum suorum observationem excitavit: *Observa, inquit, & audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi.* (Deut. 10. 28.) Abraham sic Deus alloquitur: *Noli timere; ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* (Genes. 15. 1.) Numquid autem mercedis & beatitudinis incitamentum erga homines Deus adhiberet, si utriusque spes ac desiderium à perfectorum statu excluderetur?

Inst. Actus qui puræ caritati opponitur, repugnat iustorum perfectorum statui: atqui actus quo felicitatem in Deo possessio quaeritur, puræ caritati opponitur; ergo & iustorum perfectorum conditioni.

Resp. Neg. min. Actus enim qui eo spectat, ut Deo intimè conjuncti simus, puræ caritati non opponitur, quia *maximè caritas*, inquit S. Bonaventura, *maximè desiderat uniri Deo.* (In 3. dist. 26. art. 1. quæst. 1. ad. 5.) Atqui actus quo summum bonum summamque felicitatem in Dei fruitione

quaerimus, eo spectat ut Deo intimè inhaeramus; siquidem eo perituri non possumus, nisi per intimam conjunctionem: *Frui, inquit Augustinus, est amore inhaerere alicui rei propter seipsam.* (Lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 4. tom. 3. pag. 6.) Ergo, &c.

Inst. Pura caritas proprium non quaerit commodum, juxta illud Apostoli: *Caritas non quaerit quæ sua sunt;* (1. Cor. 13. 5.) ergo actus spei per quem nostram beatitudinem in Deo quaerimus, puræ caritati opponitur.

Resp. Dist. ant. Pura caritas proprium non quaerit commodum, quod ad Deum ultimò non referatur, conc. ant. quod ultimò referatur ad Deum, neg. ant.

Verè postulat ordo caritatis, ut nos & proximum propter Deum diligamus. Ab Augustino enim definitur caritas *motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se & proximo propter Deum.* (Lib. de Doctr. Christian. cap. 10. tom. 3. pag. 5.) Porro iustus Deum ut summum bonum summamque suam beatitudinem expectans & appetens, refert se ad Deum, tanquam ad finem ultimum: per actum enim spei fertur in Deum, ut in bonum, quo consecuto, nihil amplius exoptet; ergo actus ille purissimam caritatem non habet, quamvis adjunctum habeat proprium hominis commodum.

Nec dicas mercenarium esse qui Deum ut summum bonum & summam felicitatem diligit & appetit. Mercenarius quidem esse qui Deum propter aliud ab ipso divitum quaereret, quia tunc Deus non foret nisi *medium*, & illud quod ultra Deum optaretur finis esset ultimus: sic Deo serviebant Judæi propter commoda temporalia. Amor verò quo diligitur & appetitur Deus ut summum bonum, cum aliud ab ipso Deo non quaeratur, minimè est mercenarius, sed castus & gratuitus. *Hoc est enim Deum gratis amare;* inquit Augustinus, *de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari.* (Serm. 334. n. 3.)

Hæc autem Apostoli verba: *Caritas non querit quæ sua sunt*, sicut & ista: *Nemo quod suum est querat, sed quod alterius*; hæc, inquam, verba non prohibent ne quis rebus suis contulatur; sed ne suis commodis propriæque utilitati ira studeat, ut de proximi bono nullo modo sit sollicitus.

ARTICULUS IV.

De effectibus Spei, & vitiis ipsi oppositis.

Quæres 1^o. quinam sint spei theologicæ effectus.
Resp. Tres potissimum sunt: 1^o. A mortali hujus vitæ affectu animum abstrahit: quod enim præsentis vitæ desiderio teneri potest, qui ad cœlestem patriam continuò suspirat, & cujus conversatio in cœlis est? (*Philip. 3. 20.*) Hujusmodi Christianus patienter vivit, inquit Augustinus, & delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viventem, id est, cum patientia tolerare vitam, non amare: dissolvi, inquit, & esse cum Christo, multò magis optimum. (*Tract. 9. in Epist. Joan. n. 2. tom. 3. part. 2. pag. 887.*)

2^o. Spes theologica firmat in adversis, & varias inter hujus vitæ vices animam Deo conjunctam tenet: *Spem*, inquit Apostolus, *sicut anchoram habemus animæ tusam ac firmam.* (*Hebr. 6. 19.*) Similitudinem hanc ducit à nautis qui, ingruente tempestate, ne per abrupta feratur navis, anchoram jaciunt quam ubi in terra defixerint, nequicquam sævit tempestas, navis in tuto est; fluctuat quidem & aquis agitatur; sed non rapitur, non abducitur: pariter Christianus variis hujus vitæ procellis concussus, & tentationum ventis pulsatus, ad spem confugiat eamque in Deo omnipotente defigat, & superatis omnibus periculis, ad tutissimum salutis portum tandem perveniet.

3^o. Ad bonorum operum exercitationem excitat

& impellit spes theologica. Spes enim generatim spectata id habet sibi proprium, ut solertiam & industriam acuat, ut inertiam ignaviamque discutiatur. Id videre est, ut admonet Christus, in hujus sæculi filiis qui divitias labiles & fluxas comparandi spe incitati, improba labori incumbunt, nec maris tempestatibus, nec hiemis frigoribus, nec æstatis caloribus, nec vitæ periculo deterrentur. Quid igitur non præstabit, quid non aggredietur spes viva Christianorum quæ immensam, æternam, immutabilemque felicitatem expectat & appetit?

Quæres 2^o. quoruplici modo contra spem theologicam peccetur.

Resp. Duplici modo, & quidem opposito, nimirum *presumptione* & *desperatione*. *Presumptio* est fiducia temerè concepta beatitudinem aliter obtinendi, quàm statuit Deus; ut quando confidit aliquis gloriam æternam se consecuturum, vel per solas naturæ vires, sicut Pelagiani; vel Sanctorum intercessione, satis esse existimans si quoddam orationis pensum iis quotidie exsolvat, dum suis indulget cupiditatibus; vel cum peccator inani divinæ misericordiæ spe deceptus, pœnitentiam ad finem vitæ remittit securus, nec audit Scripturam sic comminantem: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius.* (*Eccli. 5. 8.*) Unde S. Augustinus, *Promisit tibi*, inquit, *quoniam quo die conversus fueris, obliviscitur mala tua præterita; sed numquid vitam crastini diei promisit tibi? diem mortis incertum salubriter consiliavit Deus.* (*Serm. 39. tom. 5. pag. 199. n.*)

Desperatio est voluntaria animi dejectio, per quam abjicitur spes obtinendæ beatitudinis, *propter assinalam impossibilitatem adipiscendi*, inquit S. Thomas, 1. 2. *quæst. 40. art. 4. ad 3.* ut si quis peccatorum multitudine perterritus, exclamet cum Caino: *Major est iniquitas mea, quàm*

ut veniam merear; (*Genes. 4. 13.*) Item cum aliquis sibi in animum inducit, peccata fugero & mandata Dei exequi, adeo dilicite & arduum esse, ut desperet posse alia declinare, & alia observare. *Præsumptio* & desperatio sunt peccata ex genere suo mortalia: *Ista duo*, inquit Augustinus, *occidunt animas*, desperatio aut perversa spes. (*Serm. 87. de verb. Evang. n. 10. tom. 5. p. 466.*) Opponuntur enim virtuti theologicæ, nimirum spei: atque cum virtutes theologicæ, ait S. Thomas, habeant Deum pro objecto, peccata eis opposita important directe & principaliter aversionem à Deo: in quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali & gravitas est ex hoc quòd averit à Deo. (*2. 2. quest. 20. art. 3. in corp.*)

Sunt tamen homines conscientia timidioris, qui sese aliquando desperationis acutent, licet turbulentis quibus quatuntur motibus, vel nullum, vel non nisi imperfectum consentium præbuerint. Ad veritatem explorandam, inquirat præsertim Confessarius an penitens consueta pietatis officia intermiserit: quæ si more solito impleverit, non censendus est consensisse; quia desperatio à virtutis operibus, ut potè quæ exultimantur inutilia, deterret vitisquæ aditum aperit: *Desperantes*, inquit Apostolus, *semetipsos tradiderunt impudiciæ, in operationem immunditiæ omnis*; (*Ephes. 4. 19.*) & S. Thomas: *Sublatâ spe, irrefrenati homines labuntur in vitia, & à bonis operibus retrahuntur.* (*Ibid.*) Si verd penitens de quo agitur, solita pietatis officia neglexerit, præsertim urgente præcepto, tunc pro negligentia gradu, & omisso præcepti gravitate, pius aut minus desperationis motibus consensisse iudicabitur.

CAPUT III.

De Caritate.

ISTUD maximi momenti argumentum sex in articulos dividimus: primus erit de naturâ & divisione caritatis; secundus, de præcepto caritatis erga Deum; tertius, de præcepto caritatis erga proximum; quartus, de ordine caritatis; quintus, de actibus externis sive officiis caritatis; sextus, de peccatis caritati oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura & divisione Caritatis.

Caritas est virtus theologica infusa quâ Deum diligimus propter se, & cetera propter Deum. Dicitur autem *infusa*, quia talem & tantam virtutem propriis viribus comparare non possumus. *Caritas Dei*, inquit Apostolus, *dissusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* (*Rom. 5. 5.*) 2°. *Quâ diligimus Deum propter seipsum*. Tria sunt enim quæ à nobis diligi debent, scilicet Deus, nos ipsi & proximus; sed cum eo discrimine, quòd nostra erga nos & proximum dilectio, in Deo tanquam in fine ultimo sistere debeat. *Unâ eadem caritate*, inquit Augustinus, *Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* (*Lib. 8. de Trinit. cap. 8. tom. 8. pag. 876.*)

Caritas dividitur in *habitualement* quæ est dilectio per modum habitûs inhærens animæ, & quæ Dei amicos, filios & hæredes nos efficit; & in *actualement* quæ est actus mentis Deum diligentis

ut veniam merear; (*Genes. 4. 13.*) Item cum aliquis sibi in animum inducit, peccata fugero & mandata Dei exequi, adeo dilicite & arduum esse, ut desperet posse alia declinare, & alia observare. *Præsumptio* & desperatio sunt peccata ex genere suo mortalia: *Ista duo*, inquit Augustinus, *occidunt animas*, desperatio aut perversa spes. (*Serm. 87. de verb. Evang. n. 10. tom. 5. p. 466.*) Opponuntur enim virtuti theologicæ, nimirum spei: atque cum virtutes theologicæ, ait S. Thomas, habeant Deum pro objecto, peccata eis opposita important directe & principaliter aversionem à Deo: in quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali & gravitas est ex hoc quòd averit à Deo. (2. 2. quæst. 20. art. 3. in corp.)

Sunt tamen homines conscientia timidioris, qui sese aliquando desperationis acutent, licet turbulentis quibus quatuntur motibus, vel nullum, vel non nisi imperfectum consentium præbuerint. Ad veritatem explorandam, inquirat præsertim Confessarius an penitens consueta pietatis officia intermiserit: quæ si more solito impleverit, non censendus est consensisse; quia desperatio à virtutis operibus, ut potè quæ exultimantur inutilia, deterret vitisquæ aditum aperit: *Desperantes*, inquit Apostolus, *semetipsos tradiderunt impudiciæ, in operationem immunditiæ omnis*; (*Ephes. 4. 19.*) & S. Thomas: *Sublatâ spe, irrefrenati homines labuntur in vitia, & à bonis operibus retrahuntur.* (*Ibid.*) Si verd penitens de quo agitur, solita pietatis officia neglexerit, præsertim urgente præcepto, tunc pro negligentia gradu, & omisso præcepti gravitate, pius aut minus desperationis motibus consensisse iudicabitur.

CAPUT III.

De Caritate.

ISTUD maximi momenti argumentum sex in articulos dividimus: primus erit de naturâ & divisione caritatis; secundus, de præcepto caritatis erga Deum; tertius, de præcepto caritatis erga proximum; quartus, de ordine caritatis; quintus, de actibus externis sive officiis caritatis; sextus, de peccatis caritati oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura & divisione Caritatis.

Caritas est virtus theologica infusa quâ Deum diligimus propter se, & cetera propter Deum. Dicitur autem *infusa*, quia talem & tantam virtutem propriis viribus comparare non possumus. *Caritas Dei*, inquit Apostolus, *dissusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* (*Rom. 5. 5.*) 2°. *Quâ diligimus Deum propter seipsum*. Tria sunt enim quæ à nobis diligi debent, scilicet Deus, nos ipsi & proximus; sed cum eo discrimine, quòd nostra erga nos & proximum dilectio, in Deo tanquam in fine ultimo sistere debeat. *Unâ eadem caritate*, inquit Augustinus, *Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* (*Lib. 8. de Trinit. cap. 8. tom. 8. pag. 876.*)

Caritas dividitur in *habitualement* quæ est dilectio per modum habitûs inhærens animæ, & quæ Dei amicos, filios & hæredes nos efficit; & in *actualement* quæ est actus mentis Deum diligentis

Quadruplex caritatis gradus ab Augustino distinguitur, nempe caritas inchoata, caritas proventus, caritas magna, caritas perfecta. (Lib. de natura & grat. cap. 68.) Caritas inchoata ea est quæ Deum diligere quidem incipimus, sed nondum super omnia. Caritas proventus ea dicitur quæ Deum præ ceteris omnibus diligere incipimus. Caritas magna appellatur ea quæ vehemens est ac fervida. Caritas tandem perfecta ea est quæ ad maximum fervoris gradum pervenit.

ARTICULUS II.

De Præcepto Caritatis erga Deum.

Fò devenerunt recentiores quidam Casuista, ut afferent nullum esse de caritate erga Deum præceptum speciale, & ab aliis distinctum: unde concludunt eum non peccare, qui nullo unquam interiori caritatis actu Deum profectus fuerit; alii decernunt præceptum illud obligare quidem, sed raro, vel etiam semel tantum in vita.

PROPOSITIO I.

Extat Caritatis erga Deum Præceptum speciale, & ab aliis Præceptis distinctum.

Probat. Illud præceptum speciale est, à ceterisque distinctum, quod respectu aliorum est primum ac maximum, & à quo cetera omnia pendent; neque enim potest aliquid respectu sui ipsius esse primum ac maximum, aut à seipso pendere: atqui præceptum caritatis erga Deum 1º. respectu aliorum est primum & maximum, sic testante Christo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo hoc est maximum & primum mandatum; (Matth. 22. v. 37 & 38.) 2º. ab eo alia pendent omnia: sic enim pergit Christus:

In his duobus mandatis (de amore Dei & proximi) universa Lex pendet & Propheta. (Ibid. v. 39.) Hinc eximia illa S. Augustini verba: Non præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpatur nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. (Lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. tom. 3. pag. 49.) Ergo, &c. Merito igitur à Clero Gallicano damnata est an. 1700 ista propositio: Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisficit.

Solvuntur objecta.

Obj. 1º. Sic docet Christus: Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me; (Joan. 14. 21.) ergo præceptum caritatis per aliorum mandatorum observationem impletur.

Resp. Neg. conseq. Neque enim significare voluit Christus, caritatis præcepto per aliorum mandatorum observationem satisfieri; sed docet 1º. nostram in servandis aliis præceptis diligentiam, signum esse nostræ erga Deum dilectionis, quæ in corde non otiosa est, sed efficax, juxta illud S. Gregorii effatum: Probatio dilectionis, exhibitio est operis; 2º. amorem Dei causam esse quæ nos moveat & excitet, ut alia impleamus præcepta; quod colligitur ex iis Christi verbis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit; qui non diligit me, sermones meos non servat; (Joan. 14. v. 23 & 24.) 3º. eum solum præcepta, sicut oportet, implere, qui Deum diligit; Quia plenitudo legis, inquit Apostolus, est dilectio. Hinc ista Augustini sententia: Si foris secus ea quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde (scilicet per amorem) non fiant, nemo est tam insulsus qui præcepta arbitretur impleri. (Q. 44. in Deut.)

Obj. 2º. S. Thomas sic habet: Qui in via hoc (caritatis) præceptum non implet, nihil contra

divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter; (2. 2. q. 44. art. 6. ad 2.) ergo non extat præceptum speciale de diligendo Deo.

Resp. Dist. ant. Qui in via hoc caritatis præceptum non implet perfectè, mortaliter non peccat, conc. qui non implet saltem imperfectè, neg.

Porro S. Doctor eum tantum mortaliter non peccare assentit, qui Deum perfectè non diligit, quia Deus non præcipit ut in morali hac vita dilectionis mandatam perfectè impleatur, quod felicissimum erit patriæ privilegium. *Intendit autem Deus*, inquit, *per hoc præceptum*, ut homo Deo totaliter uniatur, quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus: & idcò plenè & perfectè in patria implebitur hoc præceptum; in via autem impletur, sed imperfectè. (*Ibid in corp.*) Nusquam autem S. Doctor eum peccato mortali eximit, qui Deum saltem imperfectè non amat; nusquam innuit nullum extare de diligendo Deo præceptum speciale: imò contrarium sic affirmat: *Actus caritatis*, inquit, *considerari potest secundum quòd est quidam actus per se*, & hoc modo cadit sub præcepto Legis quod de hoc specialiter datur, scilicet: *Diliges Dominum Deum tuum.* (1. 2. q. 100. art. 10. in corp.)

PROPOSITIO II.

Actus Caritatis necessitate mediè ad salutem requiritur in omnibus ratione utentibus.

Probatur 1^o. quia ratione utentibus salus æterna non datur, nisi per modum mercedis, coronæ, meritù. Passim enim in Scripturis vita æterna sub his nominibus proponitur: atqui in operibus nostris nihil est meritù sine caritate, ut testatur Apostolus: *Si habuero omnem fidem, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (1. Cor. 13,

v. 2. 3.) Hinc illa S. Jacobi verba: *Accipiet coronam vite quam reponisit Deus diligentibus se.* (Cap. 1. v. 12.) Hinc Ecclesia sic orat in Collecta Dominica V. post Pentecosten: *Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti.* 2^o. Quia vita æterna eà tantum conditione promittitur, ut serventur Dei præcepta. *Si vis ad vitam ingredi*, inquit Christus, *serva mandata.* (Matth. 19. 17.) Atqui omnium mandatorum primum & maximum est illud: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo.* 3^o. Quia sine caritate homo manet in morte, & anathemati subjicitur: *Qui non diligit*, inquit S. Joannes, *manet in morte.* (1. Epist. 3. 14.) *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum*, inquit Paulus, *sit anathema.* (1. Cor. 16. 22.) Ergo, &c.

PROPOSITIO III.

Sapè eliciendi sunt Caritatis actus.

Prob. Sic jubet Deus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua; eruntque verba hæc que præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & ligabis ea quasi signum in manu tua, erantque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* (Deut. 6. v. 5. & seq.) Atqui illud de diligendo Deo præceptum frustra juberetur homo crebro meditari; in domo, in itinere secum revolvere; præ oculis & manibus semper habere, nisi frequenter illud implendum esset. *Dicendo quippe, ex toto corde, totà animà*, inquit Augustinus, *nullam vitæ nostræ partem reliquit que vacare debeat, & quasi locum dare, ut alià re quispiam vellet frui.* (Lib. 1. de doctrina Christi. cap. 22. tom. 3. p. 11.) Præterea frequens esse debet illius virtutis exercitium, sine qua Dei præcepta, sicut oportet,

non implentur: atqui sine caritate, &c. ut docet Christus: *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* (Joan 14. v. 24.)

Merito igitur ab Innocentio XI damnatae sunt an. 1679 istae propositiones quas ferre non possunt aures christiana: *Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis. -- An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audent. -- Probabile est, ne singulis quidem rigorese quinquennis, per se obligare præceptum caritatis erga Deum. Longè alii erant sensus Autoris Soliloquiorum, qui Deum sic affatur: Sicut nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quo beneficio tuo non utar; sic nullum debet esse momentum quo te non diligam ex omni fortitudine mea.* (In append. tom. 6. oper. S. Aug. pag. 94.)

Quæres 1º. qualis esse debeat gradus amoris Deo debiti.

Notandum propositæ quæstionis explanationem ab eo principio repetendam esse, scilicet tunc bene ordinatum esse amorem, quando res diligitur pro ratione suæ dignitatis & excellentiæ, pro variisque respectibus quos ad nos habet. His positis,

Resp. 1º. Deus summum est bonum, non in se tantum, sed etiam respectu hominis; siquidem eum condidit ut esset ipsius felicitas & beatitudo; qui igitur titulo super omnia Deus diligendus est, ita ut ipsius amor ceteris omnibus nostris affectibus prævaleat. *Summum bonum, inquit Augustinus, non modò diligendum esse nemo ambigit; sed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus; idque significatur & exprimitur quod dictum est, ex tota anima.* (Lib. 1. de morib. Eccles. cap. 11. tom. 1. pag. 694.) Regulam hanc statuit ipse Christus his verbis: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; & qui amat*

filium aut filiam super me, non est me dignus. (Matth. 10. 37.)

2º. Cum Deus bonum sit infinitum, amor quem ei debemus nullos agnoscit limites. *Causa diligendi Deum, ait S. Bernardus, Deus est; modus, sine modo diligere.* (Lib. de diligendo Deo, cap. 1. vol. 1. pag. 583.) Omnes proinde animæ nostræ facultates Deo consecrari & servire debent, ut aperte colligitur ex primi maxime mandati verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Quæ verba sic interpretatur Augustinus: *Hæc regula dilectionis divinitus constituta est, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam tuam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ipsa quæ confers.* (Lib. 1. de Doctrin. Christi. cap. 22. tom. 3. pag. 11.)

Quæres 2º. utrum in hac mortali vita diligendi Dei præceptum perfecte implere possimus.

Resp. Quandiu in terris peregrinamur, amor noster, quantumcumque sit, non potest esse nisi imperfectus. Cognitionem enim sequitur amor, & bonum quodcumque non diligimus, nisi quantum cognoscitur: atqui in hac mortali vita maxime obtura est, angustissimisque hiantibus circumscripta, quam habemus Dei notio. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, inquit Apostolus.* (1. Cor 13. 12.) *Præterea Spiritus est Deus.* (Joan. 4. 24.) Mens autem nostra, cum à sensibus corporeis plurimum pendeat, qui eam deprimunt & aggravant, non nisi difficile ad Deum sensibus impervium sese elserre potest. *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimic sensum multa cogitantem.* (Sap. 9. 15.) Varia quibus distrahimur objecta impediunt ne animus ad sese revocetur, & in seipsum descendat: quod tamen necesse est ad contemplandam summam Dei majestatem.

Denique dum in terris vivimus, objecta cor-

porea quæ nos circumstant, ad sui amorem nos alliciunt, & dilectionis quæ tota Deo debetur, partem aliquam subtrahunt. Quin etiam eo ipso tempore quo mens ad Deum, tanquam ad summum bonum sese erigit, alia ex transverso sese offerunt objecta quæ eam ludificant & demorantur; ergo in patria tantum perfectus erit amor noster: tunc enim, depulsâ nube quæ Deum nobis velabat, eum *videbimus facie ad faciem*, ut ait Apostolus; tunc nec rerum creatarum illecebris, nec cupiditatis motibus distracti, Deum ex toto voluntatis impetu amabimus.

Quæres 3^o. utrum debeamus pro viribus ad majorem caritatem eniti, efficereque ut in nobis magis ac magis augeatur.

Resp. legem hanc nobis esse impositam. 1^o. Quia maximo Decalogi præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* jubemur, quantum in nobis est, curare ut totam animam occupet amor Dei. 2^o. Quia præcipiunt Scripturæ ut in justitia semper crescamus: *Ne verearis usque ad mortem justificari.* (Eccli. 18. 22.) *Qui justus est, justificetur adhuc.* (Apoc. 22. 11.) Atqui justitia nihil aliud est quam caritas, juxta illud Augustini: *Caritas inchoata, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia est.* (Lib. de natura & grat. cap. 68.) *Profecto, inquit, nunc quantum deest dilectioni, tantum percipiendæ justitiæ deesse credendum est.* (Lib. de spirit. & lit. n. 64. tom. 10. pag. 122. 3^o. Quia pro Justis omnibus caritatis incrementum à Deo postulat Ecclesia: *Da nobis, Domine, fidei, spēs & caritatis augmentum.* 4^o. Quia dñm in terris vivimus, nobis evitandum est ut magis ac magis imminuantur concupiscentiæ vires: quod fieri non potest, nisi in caritate per repetitos & frequentes illius actus proficiamus. *Quanto magis, inquit Augustinus, regnum cupiditatis destruitur, tanto ca-*

ritatis augetur (Lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 10. tom. 3. pag. 50.) E. contrario igitur, quo magis augetur regnum caritatis, eò magis debilitatur cupiditatis imperium.

Non satis est ergo ut in corde nostro dominetur caritas, sed insuper oportet ut novos in ea progressus facere semper studeamus; nec licet intra certum amoris gradum nos continere, ultra quem progredi minimè curemus. Summam quidem caritatis perfectionem, nonnisi in altera vita assequemur; sed ad eam tendere debemus, appetendo saltem & conando eum magis ac magis diligere, quem nunquam satis amabimus. Gratiam hanc constanter postulemus iis Augustini verbis: *O amor, qui semper ardes & nunquam extingueris! Caritas, Deus meus, accende me!* (Lib. 10. conf. cap. 29) *Deus meus, amo te, & si parum est, quam validius.* (Ibid. lib. 13. cap. 8.)

ARTICULUS III.

De Præcepto Caritatis erga proximum.

Proximus noster omnes homines sunt, sive extranei, sive cives; sive amici, sive inimici; sive boni, sive mali. *Proximi nomine, ait S. Leo, non ita tantum intelligendi sunt, qui nobis amicitia aut propinquitate junguntur, sed omnes prorsus homines cum quibus nobis natura communis est.* (Serm. 11. de jejun. 10. mensis, cap. 1.) Et S. Augustinus, *Proximus sanè, inquit, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines.* (Epist. 155. n. 14. tom. 2. pag. 540 & 541.)

Qui primum & maximum mandatum evertere conati sunt Casuistæ, iidem secundum, nempe *diliges proximum tuum sicut teipsum*, nefandis interpretationibus labefactarunt. 1^o. *Non tenemur,*

inquirunt, proximum diligere adu interno & formali. 2º. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos adus externos, externa scilicet ipsi conferendo beneficia, citra ullam interiorem benevolentiam: utramque illam propositionem gravi censurâ confixere Innocentius XI, & postea Clerus Gallicanus in Comitibus an. 1700.

P R O P O S I T I O.

Tenemur proximum interno benevolentia affectu diligere.

Prob. 1º. Sic præcipitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum: (Matth. 22. 39.)* atqui nullus est qui seipsum interiori affectu non diligit. 2º. *Mandatum novum do vobis*, ait Christus, *ut diligatis invicem sicut dilexi vos: (Joan. 13. 34.)* atqui profecto Christus intimâ & tenerimâ benevolentia nos complexus est. 3º. H. Petrus ita jubet: *In fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite. (1. Petr. 1. 22.)* atqui hæc verba mutua & internam dilectionem nobis apertissimè præscribunt.

Neramen putes in mandato quo jubetur quisque proximum sicut seipsum diligere, voce *sicut* omnimodam significari dilectionis æqualitatem: ea quippè vox similitudinem tantum exprimit, ita ut quisque id omne proximo suo cupiat, quod sibimetipsi meritò velit, non pari tamen voluntatis gradu: plus enim de nostra, quàm de proximi salute solliciti esse debemus. Quapropter ne venialiter quidem peccare licet, ut proximum à peccato mortali avocemus.

Quares 1º. quænam requirantur conditiones, ut legitima sit proximi dilectio.

Resp. Tres requirit S. Thomas, nempe ut *sancta, justa & vera sit proximi dilectio: (2. 2. q. 44. art. 7. in corp.)* 1º. autem sancta erit si, quænamodum nos ipsos propter Deum,

ita proximum diligamus. Ille veraciter amat amicum, inquit Augustinus, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. (Serm. 336. tom. 5. pag. 1301.) 2º. Ut amor proximi sit justus, necesse est ut aliquis, ait S. Thomas, non condescendat proximo in aliquo malo; sed solum in bonis. (Ibid.) 3º. Juxta eundem Doctorem, vera erit proximi dilectio, si non diligit aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem; sed eâ ratione quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi. Nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem, vel delectationem, non verè diligit proximum, sed seipsum. (Ibid.)

Quàm paucos autem reperias qui proximum tam sanctè, tam justè, tam verè diligant! In eo perique non amant, nisi vel contanguntiam, vel indolis & morum similitudinem, vel commodum temporale; & tamen ille unus, inquit Augustinus, proximum rectè amat, qui agit, quantum potest, ut salvus corpore, salvus que animo sit; sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. (Lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 28. tom. 1. pag. 706.)

Quares 2º. an diligendi proximi mandatum ad inimicos pertineat.

Resp. Vel ipsos inimicos interiori affectu diligere sic jubet Christus: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persecutibus & calumniantibus vos. (Matth. 5. 44.)* Quibus verbis contineri præceptum unanimes est Patrum doctrina. Sed unum in re tam perspicua appellabimus Augustinum: *Dominus in Evangelio, inquit, ut inimicos diligere debeamus, non dedit conciliam, sed præceptum. (Serm. 68. de tempore.)* Hoc autem mandato jubemur inimicos interno caritatis affectu prosequi. Præcipit enim Christus ut pro inimicis oremus: atqui sine intimo cordis affectu vera esse non potest oratio. Hujus dilectionis

non præceptum duntaxat, sed etiam exemplum nobis dedit Christus. *Qui amator inimicorum suorum, inquit Augustinus, in mundum venit, omnes prorsus inimicos suos invenit pro inimicis sanguinem fudit. (Serm. 317. n. 2. tom. 5. pag. 1269.)* Mandatum illud confirmat Christus Dei ipsius exemplo, cujus benignitas bonis & malis, justis & injustis, id est, tum iis qui eum amant, tum iis qui eum non diligunt, bona impertitur. *Ut fuis filii Patris vestri qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. (Matth. 5. 45.)*

Quæres 3^o. quid à nobis exigat præceptum dilectionis erga inimicos.

Resp. Jubemur 1^o. inimicis offensam ex animo remittere, & omnem odii ac vindictæ affectum deponere: *Si autem non dimiseritis hominibus, inquit Christus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. (Ibid. cap. 6. v. 15.)* Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. (Levit. 19. 18.) Ratio est, quòd odii & vindictæ sensus stare non possit cum interna inimicorum dilectione quæ nobis præcipitur.

2^o. Tenemur inimicis ex intimo caritatis affectu exhibere communia dilectionis signa, quæ erga alios ejusdem conditionis homines adhibere consuevimus. *Si enim illa non exhiberentur inimicis, inquit S. Thomas, hoc pertineret ad livorem vindictæ. (2. 2. q. 25. art. 9.)* Dixi autem communia: specialia quippè benevolentia signa, qualia sunt colloquium familiare, invitatio ad convivium, &c. inimicis exhibere, ut plurimum, non tenemur. In duplici tamen casu peculiariter dilectionis indicia inimico dare jubet caritas; 1^o. scilicet cum inde spes probabilis affulget proximum sibi reconciliandi, alioquin in odio & inimicitia perstiterunt: ex caritate enim debemus maximum proximi damnum, præsertim spirituale, impedire vel tollere,

quando possumus sine gravi detrimento; 2^o. si inimicos ante injuriam acceptam salutare, ad colloquium admittere consueverimus, eadem hæc benevolentia argumenta, post injuriam nobis illatam, adhibenda sunt: alioquin odii, vindictæ & contemptus suspicionem injiceremus, quæ inimicitia fomitem subministraret, & aliis scandalo esset: utrumque autem caritati maxime adversatur.

Quædam tamen esse possunt circumstantiæ quæ aliud postulent: 1^o. si prudenter judicetur inimico non profuturam peculiarem hanc nostram benignitatem, imò potius nocituram; cum scilicet prævidetur eâ abuturum ut pejor fiat.

2^o. Ubi merito confidimus fore ut inimicus ad meliorem revocetur mentem, à novisque injuriis magis deterreatur, si omnia fuerint hæc benevolentia signa: tunc enim ut omittantur suadet caritas.

3^o. Jubemur inimicis in necessitate aliqua constitutis opem ferre, quando id sine nostro gravi damno possumus; sic enim præcipit Christus: *Benefacite his qui oderunt vos. (Matth. 5. 44.)* *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere. (Proverb. 25. 21.)*

Quæres 4^o. quis in reconciliatione ineunda servandus sit ordo.

Resp. 1^o. Qui gravem injuriam proximo intulit, veniam ab eo petere debet, aut saltem, si hæsum dignitate & autoritate longè superet, alias personas interponere, quarum vicariis linguis testetur se illarum injuriarum plurimum poenitere, & satisfactionem congruam offerat. 2^o. Si duo inter se rixam habuerint, qui prior aggressus est, tenetur, ceteris paribus, & prior veniam postulare, vel per se vel per alium, si autoritate longè sit superior: id quippè exigit ratio justitiæ. Dixi autem, *ceteris paribus*; si enim qui in offendendo posterior

fuit, atrociolem injuriam & malum gravius rependerit, tunc in postulanda reconciliatione prior esse debet, quia nocentiolem altero sese præbuit.

ARTICULUS IV.

De ordine Caritatis.

Not. 1^o. Constat apud omnes in caritatis exercitio quemdam servandum esse ordinem. *Ille justè & sènde vivit*, inquit Augustinus, *qui rerum integer estimatore est: ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æquè diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æquè diligendum est.* (Lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 27. tom. 3. p. 13.)

Not. 2^o. In caritatis exercitio duplex distinguitur ordo, alter nimirum dilectionis internæ, alter beneficii externi quod proximo præstari potest. Duplicis illius ordinis exemplum videre est in pastore de quo loquitur Evangelium, qui 99 oves in deserto reliquit, ut centesimam quæ errabat quæriraret. Si enim ordinem dilectionis internæ species, certum est pastorem illum ovi erranti prætulisse alias 99: si vero consideres ordinem beneficii externi, certum est eum ovem deviam alius anteposuisse, cum eas deseruerit ut errabundam quæreret.

Not. 3^o. Ordinem dilectionis interioris desumendum esse ex objectorum dignitate & excellentia; ordinem vero beneficii externi ex personarum quibus subveniendum est indigentia. Nunc exponenda sunt regulæ quæ in caritatis exercitio servari debent.

REG. I. Talis esse debet ordo dilectionis internæ, qualis est ordo rerum quoad meritum & bonitatem: ratio est quod dilectionis ordo repetendus sit à dignitate objecti, ita ut perfectiora

& meliora majorem sibi vindicent dilectionem, quàm minus perfecta & minus bona. Dicitur enim recta ratio eundem objectis deberi in nostra dilectione locum, quem habent in justa nostra estimatione.

Unde colliges 1^o. Deum super omnia diligendum esse, siquidem summum est bonum, quo nihil perfectius, nihil excellentius, nihil melius excogitari potest; 2^o. creaturas quæ ceteris sunt sanctiores, præ ceteris diligendas esse, quia sunt Deo viciniore & in se magis amabiles; creaturis vero æqualiter sanctis parem deberi dilectionis gradum; 3^o. animam magis amandam esse quàm corpus, quia corpore dignior est ac præstantior; 4^o. cum in hac mortali vita nos lateat, qualis sit in justis sanctitatis gradus, *Omnes*, inquit Augustinus, *æquè diligendi sunt.* (Lib. 1. de Doctrin. Christ. cap. 27 & 28.)

REG. II. In ordine beneficii nostram magis quàm proximi animam diligere debemus. Alioquin ad impediendum proximi peccatum nobis licitum esset peccare, illiusque salutem nostræ dispendio turam facere: atqui id omnino vetitum est, quia prohibet Apostolus *ne faciamus mala ut veniant bona.* (Rom. 3. 8.) Hinc illud Petri Blesensis effatum: *In animæ negotio & in acquirenda hæreditate celesti, nemo tibi gerantur sit teipso.* (Tract. de institut. Episc. pag. 448. col. 2. edit. an. 1672.) Hinc etiam axioma illud ad ipsa natura distatum: *Caritas bene ordinata incipit à seipso.* Eadem regula colligitur ex iis Christi verbis: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (Matth. 16. 26.)

REG. III. Tenetur unusquisque, etiam cum vitæ periculo, proximo succurrere cum versatur in extrema necessitate spiritali, ita ut in æternum, nisi adjuvetur, sit periturus. Sic enim jubet Christus: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* (Joan. 15. 12.) Atqui Chris-

tus ita nos dilexit, ut vitam suam pro salute nostra effuderit; ergo & nos debemus, ut ait S. Joannes, pro fratribus animas ponere. (1. Ep. 3. 16.) Hæc autem Christi lex, aut nunquam, aut in extrema proximi necessitate spirituali obligat. Plus debemus, ait S. Thomas, proximum diligere quam corpora nostra: unde vitam corporalem pro salute spirituali proximorum ponere convenit; & hoc cadit sub necessitate præcepti, in necessitatis articulo. (Opuscul. 35. de perfectione vitæ spirit. cap. 14.)

Hinc colliges 1°. Si infans inter homines peste infectus absque Baptismate sit moriturus, nisi cum vitæ periculo eum sacris ablucis undis, teneris cum tanto discrimine ipsius æternæ salutis consulere. 2°. Mulier gravida, ubi de partu naturali desperatur, debet sectionem quæ dicitur *Cæsarea* pati, ut baptifetur infans quem in utero gessat, modo tamen spes probabilis affulgeat, operationem hanc nec matri, nec infanti lethalem fore, quamvis nunquam fieri possit ut periculo careat. Ratio est, quod vita corporalis pro salute proximi sit periculo exponenda. Si verò non sit probabilis spes fore ut vita matri servetur, tunc à sectione abstinendum est, quia vetat Apostolus ne faciamus mala, ut veniant bona. Quibus ex verbis sic concludit S. Thomas: *Idèd non debet homo occidere matrem, ut baptifet puerum.* (3. part. q. 68. art. 11. ad 3.)

3°. Prægnans extra matrimonium non potest, imminente morte, absolvi nisi cum suæ famæ infamiam crimen à se commissum vel ipsa declaret, vel ab alio declarari patiatur, ut infantis salutis consulat.

Quæres an proximo in gravitantum necessitate spirituali constituto, succurrere cum vitæ periculo debeamus. Necessitas autem gravis ea dicitur, in qua proximus potest quidem salvus esse absque alterius ope, sed non nisi difficillimè, ut si homo peste laborans, & inveteratam habens peccandi consuetudinem, Confessario careat. Licet enim per

contritionis perfectæ actum possit veniam peccati obtinere, quia tamen rarus ac difficilis est actus ille, in gravi necessitate spirituali positus judicatur.

Resp. in casu gravitantum necessitatis spiritualis, neminem teneri cum vitæ periculo aliis succurrere, nisi animarum Pastor sit. Gravis enim necessitas hujusmodi est, ut ab ea sese liberare possit homo, si velit: atqui non exigit caritas ut vitæ discrimini nos objiciamus, ad eum liberandum qui sese potest periculo subducere, & cujus specialem curam non suscepimus. Postulat tamen caritas ut proximo in hujusmodi necessitate constituto subveniamus, non solum cum levi, sed etiam cum gravi aliquo damno temporali: exigit enim ordo caritatis ut magis diligamus proximum in spiritualibus, quam nosmetipsos in temporalibus.

Dixi autem, nisi animarum Pastor sit; quia Pastor ad depellendum gregis sibi commissi damnum arctius quam alii obligatur, nempe ex officio: atqui debent omnes cum vitæ suæ periculo subvenire proximo externam necessitatem spiritualem patienti; ergo id præstare debet Pastor, etiam ubi populus in gravi tantum necessitate versatur, juxta hanc Scripturæ sententiam: *Bonus Pastor animam dat pro ovibus suis.* (Joan. 10. 11.) Sacramenta autem quæ cum probabili vitæ dispendio tenetur Pastor administrare, sunt Baptismus & Pœnitentia; factus autem Extrema-UNCTIO & Confirmatio.

REG. IV. Ordo caritatis in præstandis beneficiis exigit, ut vitam nostram temporalem exponamus, si id Reipublicæ interfit: ratio enim postulat ut pars periclitetur pro toto. Sic miles à magno momenti statione sibi commissâ discedere non potest, etiam si prævideat se in ea certo moriturum. Sic debet quisque subditus propriam vitam exponere, ad tuendam Principis vitam, quæ Reipublicæ interest. Sic etiam Medicus, Chirurgus tenentur pro Reipublicæ bono communi,

vitam suam in discrimen adducere, ut peste laborantibus subveniant, quando non alii sunt qui opem suam ferre aut valeant aut velint. Nullus autem ex caritate proximo debita tenetur ad vitam hominis privati cum suæ periculo defendendam, ubi hujus conservatio ad bonam communitatem non pertinet: non postulat enim ordo caritatis, ut proximi vitam impensis quàm nostram diligamus.

REG. V. Ubi omnibus in pari necessitate constitutis non possumus succurrere, extraneis anteferendi sunt qui nobis sanguine, amicitia, vel Religione sunt devoti, juxta illius conjunctionis gradum & rationem. Regulam hanc statuit S. Augustinus: *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est qui constructius tibi junguntur.* (Lib. 1. de Doctr. Christ. c. 28. tom. 3. p. 14.) Ratio est, quia Christus non destruit, sed perficit naturam: atque natura rationalis eo constanter inclinatur, ut magis quàm extraneos, eos diligamus & ope nostrâ juvemus, qui nobis aliquo vel consanguinitatis, vel amicitia, vel Religionis vinculo colligati sunt, & conjunctiores quàm minus conjunctos. Unde Apostolus sic pronuntiat: *Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* (1. Tim. 5. 8.)

Dixi autem, in pari necessitate constitutis, quia extraneus in majori necessitate positus, antefendus est propinquo longè minus indigenti. Cum enim caritatis præceptum non exigit ut aliis opem feramus, nisi aliquâ necessitate urgeantur, colligendum est in ordine beneficiorum eos esse anteposendos, quos premit gravior necessitas: *Nam vera in hoc est caritas, inquit S. Bernardus, ut qui indigent amplius, accipiant prius.* (Serm. 50. in Cantica Cant. n. 6. tom. 1. pag. 1440.)

ARTICULUS V.

De officiis Caritatis.

Præcipua caritatis officia sunt eleemosyna & fraterna correctio, de quibus seorsim dicendum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Eleemosyna.

Eleemosyna est actus quo aliquid ex misericordia datur indigenti ad sublevandam ejus necessitatem: hæc autem triplex esse potest, nempe extrema, gravis & communis. Extrema est ea quam patiuntur ii quibus, nisi adjuventur, imminet mortis periculum. Necessitas gravis ea est quæ inducit periculum damni alicujus, quod morte quidem minus est, sed tamen maximi momenti; hujusmodi sunt captivitas, gravis morbus, amissio status & dignitatis, aliudve grande incommodum. Necessitas communis dicitur ea in qua pauperes victitant quidem, sed non sine difficultate; talis est necessitas egenorum stipem solitam emendicantium.

Bona etiam triplicis sunt generis, nimirum 1^o. bona vitæ necessaria sine quibus non potest aliquis seipsum & suos alere; 2^o. bona statui necessaria sine quibus non possis secundum tuam conditionem decenter vivere, licet ad christianæ modestiæ regulas exactam; 3^o. bona vel vitæ, vel conditioni, vel utrique superflua. His præmissis, statuendæ sunt nonnullæ propositiones ad eleemosynam pertinentes.

PROPOSITIO I.

Datur præceptum Eleemofynæ faciendæ, & quidem sub peccato mortali.

Probatur prima pars ex Scriptura: *Eleemofynam pauperes ne astringas, & oculos tuos ne transverias à pauperibus.* (Ecc. 10. 1.) *Propter mandatum assume pauperem, & propter irrogantiam ejus ne dimittas eum vacuum.* (Ibid. cap. 29. 12.) *Conclude eleemofynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* (Ibid. v. 15.) *Ex substantia tua fac eleemofynam: si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* (Tob. 4. v. 7 & 9.) atqui in iis innumerisque Scripturæ locis disertè præcipitur eleemofyna; ergo, &c.

Prob. secunda pars. Hæc sunt terribilia Christi verba: *Ite, maledicti, in ignem æternum: ... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non operuistis me.* (Matth. 25. v. 41. & seq.) Non minus formidanda est ista B. Jacobi comminatio: *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam:* (Cap. 2. 13.) atqui in his verbis continetur faciendæ eleemofynæ præceptum, & quidem sub peccato mortali: nullus enim damnatur propter omissionem actûs qui graviter præceptus non fuerit.

Præterea qui habuerit substantiam hujus mundi, inquit Apostolus, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & cluserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? (1. Joan. 3. 17.) Porro illud graviter obligat, sine quo non potest servari caritas toties præcepta: atqui ex Apostolo nisi observetur præceptum eleemofynæ fratribus indigentibus faciendæ, retineri non potest caritas; ergo præceptum illud graviter, sive sub peccato mortali obligat.

PROPOSITIO II.

Pauperibus in extrema necessitate positis subveniendum est ex bonis vitæ superfluis, licet ad statum decentiam necessariis.

Probatur. Quis exigit ordo caritatis, ut maximum proximi bonum anteponamus bono nostro longè inferiori: atqui bonum ad statum nostri decentiam necessarium, longè inferius est vitæ proximi in extrema necessitate constituti: ergo postulat caritatis ordo, ut pro servanda proximi vitæ, illi subveniamus ex bonis ad statum decentiam necessariis.

PROPOSITIO III.

Pauperibus gravi necessitate laborantibus opitulandum est, etiam cum aliquo proprii status detrimento.

Prob. Quia tenetur quilibet diligere proximum sicut seipsum, non verbo, neque lingua; sed opere & veritate, (1. Joan. 3. 18.) ac proinde illi facere quod sibi in pari necessitate fieri merito vellet: atqui sapiens quisque merito vellet à gravi malo liberari, cum alterius incommodo longè minori, qualis est aliqua status diminutio; ergo, &c. Tenentur proinde divites, famulorum & equorum numerum minuere, vestium pompam, conviviorum lautitiam, aliosque plures sumptus coercere, quos ad propriæ conditionis ornamentum & splendorem impendere solent, ut pauperibus graviter indigentibus succurrant.

PROPOSITIO IV.

Pauperi communem necessitatem patienti subveniendum est ex iis quæ vitæ & statui superflua sunt.

Prob. Sic jubet Deus: *Præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi;* (Deut. 15. 11.) atqui ibi præcipit Deus ut omni indiscriminatim vero pauperi, ac proinde etiam communem tantum necessitatem patienti, subveniatur. Præterea, *divitibus hujus sæculi præcipe,* inquit Apostolus, ... *facile tribuere, communicare;* (1. Tim. 6. v. 17 & 18.) atqui præceptum illud ad communes & obvias necessitates pertinet: neque enim facile tribuit qui extremam vel gravem necessitatem ad largiendum expectat. Denique Christus hæc sententiâ: *Itē, maledicti, in ignem æternum: ... esurivi enim, &c. flammis perennis eos addicit, qui esurientibus alimenta, sitientibus potum, & nudis vestimentum denegant:* atqui pauperes, etiam in communi necessitate, cibus, potu, vestimentis indigent; ergo iis subveniendum est, si velimus terribilem quam comminatur Christus penam effugere.

Confirmatur eadem veritas hoc mandato: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum:* cuius præcepti violator est quisquis proximo communem necessitatem patienti subsidium negat. In eadem quippe indigentia si versaremur, procul dubio vellemus, & quidem merito, ut proximus datâ eleemosynâ nos sublevaret.

Quod autem tunc proximo teneamur subvenire, ex iis quæ vitæ statui sunt superflua, communis est Theologorum doctrina. Id colligitur ex istis Christi verbis: *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* (Luc. 3. 11.) *Quod superest, date eleemosynam.* (Ibid. cap. 11. v. 41.) Quæ verba ita solent in-

telligi, ut in vulgari fratrum nostrorum necessitate, eos ex superfluis adjuvare jubeamur.

Hinc sequitur graviter peccare Confessarios, si eos absolvant qui superflua pauperibus, etiam communem tantum necessitatem patientibus, non distribuunt; sed ea in vestium pompam, in ædium magnificentiam, nutriendam equorum & canum multitudinem perpetuam effundunt.

Quæres 10. quid statui & conditioni necessaria censeri debeat.

Resp. Inter necessaria recenseri possunt 10. sumptus quos impendere solent ejusdem conditionis homines probi & religiosi; 2^o. quidquid requiritur ne cogaris, ad conditionem sustentandam ea facere quæ ex usu communi & recepto, tuum statum dedecerent; 3^o. ea omnia quæ juxta piorum hominum consuetudinem statum altiore ab eo qui longè inferior est, discriminant; 4^o. pecuniæ summa quæ necessaria est ut nonnullis occurratur casibus qui in hac vel illa conditione contingere solent. *Non tamen oportet,* inquit S. Thomas, *quod homo consideret omnes casus qui possunt contingere in futurum; ... sed debet judicari superfluum & necessarium secundum ea quæ probabiliter, & in pluribus occurrunt.* (2. 2. q. 32. art. 5. ad 3.)

Inter ea verò quæ sunt statui necessaria ne computes sumptus qui conferantur in immoderatam epularum lautitiam, in ædium magnificentiam, in picturarum elegantiam, in pretiosarum vestium pompam, in supellectilem auro argenteoque radiantem, & in alia id genus, quibus cum pauperum dispendio patitur humana superbia & cupiditas. Tantos divitiarum abusus non semel insectantur SS. Patres. *Quoddam est artificium à diabolo excogitatum,* inquit S. Basilus, *ad suggerendas divitibus innumeras sumptuum faciendorum occasiones, aded ut ea quæ superflua sunt, tanquam*

accessaria requirant, quales sunt innumeri currus
aurei vel argentei oblecti, equi permulti, servorum
infinita multitudo, domus omni marmorum genere
coruscantes, pavimentum calculis ornatum variis,
laquearia auro picturæque floribus decorata, &c.
(Homil. contra divites avaro, n. 2. tom. 2. p. 53.)

Quæres 20. quid de iis sentiendum sit, qui nihil
superflui sibi esse contendunt, quia parcimoniam
adhibent ut nova prædia, novas domos, novam-
que honorum accessivem sine modo acquirant.

Resp. inexplibilem hujusmodi hominum cupi-
ditatem sacris Litteris aperte dampnari. *Vix, qui
conjungitis domum ad domum, & agrum agro copu-
latis usque ad terminum loci? numquid habitabitis
vos soli in medio terræ? (Isa. 5. 8.)* Adversus
insatiabilem hanc divitiarum famem frequenter in-
vehuntur SS. Patres, & merito quidem; 1º. quia
pauperes subsidio ipsis debito fraudat; 2º. quia non
eo consilio immensas acquisitiones querunt divites,
ut indigentibus subveniant, sed tantum ut suæ
cupiditati indulgeant. Unde fit ut iis subsidiis care-
ant pauperes, quæ prius à variis possessoribus
accipiebant.

Quæres 30. an homini liceat superfluis parcere,
ut altiore ad statum perveniat.

Resp. non licitum esse superflua retinere &
congerere, ut altiore ad statum conscendat ali-
quis, unde pauperes debito sibi levamine careant.
Si enim liceat superfluis parere, ad fortunam
splendidiorem, vel conditionem sublimiorem obti-
nendam, tunc viris etiam divitissimis, nihil unquam
erit superflui, nec tenebuntur proximo in neces-
sitate communi subvenire. Id verò Christi de fa-
cienda eleemosyna præceptum evertit: *Quod su-
perest, date eleemosynam.* Quapropter à Clero
Gallicano damnata est an. 1700. hæc propositio:
*Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus,
superfluum*

Superfluum statui; & ista: *Vix aliquis tenetur ad
eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo
statui.* Eâ de re audiamus Cardinalem Cajetanum:
*Dives non dispensans superflua, sed cumulans ad
emendum sibi dominium, ex sola ascendendi libi-
dine, non solum illicitè agit propter libidinem do-
minandi, & inordinatum amorem pecuniæ; sed mor-
taliter peccat contra proximorum indigentiam, occu-
pando superflua quæ pauperibus debentur, ex hoc
ipso quòd superflua sunt (Comment. in. 2. 2. S.
Thomæ, q. 118. art. 3.)*

Quamobrem si quis velit ad statum altiore
assurgere, id facere non licet, ea quæ sunt suæ
conditioni superflua retinendo & congerendo,
siquidem ad pauperum sublevamen adhibenda sunt:
sed necessarium imminuendo, sibi nimirum multa
subtrahens, quæ juxta præsentem suam statum
sibi concedere licitè posset: necessarium enim non
suum esse in puncto individuo; sed quamdam habet
latitudinem. *Hujusmodi necessarij terminus, inquit
S. Thomas, non est in indivisibili constitutus, . . .
& multis subtraçtis, adhuc remanet unde possit con-
venienter aliquis vitam transigere secundum pro-
prium statum. (2. 2. q. 32. art. 6. in corp.)*

Quæres 4º. quinam prætextus allegari soleant,
ut faciendæ eleemosynæ præceptum eludatur, &
quid de iis sentiendum.

Resp. quatuor potissimum esse. Primus, dura
sunt tempora, inquit, & vix habeant divites
unde honestè vivant. Sed vanum est illud effugium:
temporum enim asperitas & tempestatum incle-
mentia, nostrorum peccatorum pœna est; Deum
igitur justè iratum placare necesse est: ad exar-
mandam verò Dei justitiam plurimum valet elee-
mosyna. *Peccata tua, inquit Daniel Regi Nabu-
chodonosor, eleemosynis redime. (Cap. 2. 24.)*
Præterea nobis non deerit unde eleemosynam ero-
gemus, si recogitaverimus nobis sustinendam esse

publicarum calamitatum partem, subtrahendaque plurima qua vitam faciunt molliorem, à christianaque serveritate alienam. *Multa superflua habemus*, inquit Augustinus, *si nonnisi necessaria teneamus*: nam si inania quaramus, nihil sufficit: *Frates, quærite quæ sufficiant, & videbitis quàm pauca sint.* (In Psalm. 147. n. 12. tom. 4. pag. 1658.)

Secunda excusatio est metus ne in posterum rebus vitæ necessariis careant. Futura, inquit, prospicienda sunt: at 1º. sæpè vanus, imò ridiculus est ille futurorum eventuum timor. Bona prædia, pingues fundi possidentur, ut quid ergo tantus metus? 2º. Anxiè curas in posterum extendere, de quolibet casu possibili sollicitum habere animum, quid aliud est, quàm ea de crastino die cogitatio quæ à Christo prohibetur: (Matth. 6.) *Non oportet*, ait S. Thomas, *quòd consideret omnes casus qui possunt contingere in futurum*; hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet. (Ubi suprà.) Qui prælatam excusationem adhibent, attendant hæc S. Augustini verba: *Avaritia dixit: Consule in posterum, homini fortassis victuro nec in crastinum.* (Serm. 86. n. 9. cap. 8. de verbis Evang. tom. 5. pag. 459.)

Tertia causa propter quam nonnulli à facienda eleemosyna liberos sese putant, est familia quam, inquit, sustentare non possent, si eleemosynam erogare cogerentur. Reverà quidem parentibus numerosior est proles, non tanta pauperibus distribuere tenentur, quanta qui vel nullos vel pauciores habent filios; sed non idcirco ab eleemosynæ præcepto prorsus solvuntur. Liberos enim numerus iusta non est causa quæ à terando Evangelio fideles eximat, quo iubemur eleemosynam, quantum possumus, largiri. *Dic, quaeso*, ait S. Basilius, *cùm prolem numerosam peteres à Domino; cum rogarès ut fieres liberorum pater, addidistine illud: Da mihi liberos, tua ut violènti præcepta; da mihi sobolem ut non perveniam ad*

Regnum celorum? (Homil. 7. in divites, tom. 2. pag. 59. n. 7.) Eundem pretextum sic profligat S. Augustinus: *Magna excusatio*, inquit, *filiiis meis servo; ... videamus; servat tibi pater tuus, servas tu filiis tuis, filii tui filiis suis; & sic per omnes, & nullus facturus est præcepta Dei. Quare non illi potius impendis omnia, qui te fecit ex nihilo? ... neque enim melius committis filio patrimonium tuum, quàm Creatori tuo.* (Serm. 9. cap. 20. tom. 5. pag. 62.)

Quartus tandem pretextus est fallax quædam voluntas quæ constituunt nonnulli, se multa mortis tempore pauperibus largituros. Sed inanis prorsus est illa excusatio. 1º. *Quis exitus tui tempus nuntiavit*, inquit S. Basilius? *Quis de mortis genere sponsor? quot violentis casibus abrepti sunt, quibus ne vocem quidem edere per morbum licuit? quot mente lapsi sunt per febrem? Quid igitur tempus expectas, in quo plerumque rationis tuæ compos non eris?* (Ubi suprà, n. 8. pag. 60. Eleemosynæ quas nonnisi post mortem factas velis, non sunt factus voluntariæ, sed quasi extortæ. Morti ergo, non tibi sit gratia: si enim immortalis esses, nunquam mandatorum (de faciendâ eleemosynâ) recordatus esses. (Ibid.) 3º. Testamenti curatores, (exécuteurs du testament) & hæredes fortè, ut sæpè contingit, ultima hujus voluntatis executionem neglectari sunt. 4º. Christus eum damnat qui ipsi in persona pauperum esurienti alimenta non præbuit: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Cùm autem Christus in pauperibus subsidio indigeat, non tantum post mortem, sed etiam per vitam divitis, tenetur ille mortis articulum non expectare, ut indigentibus subveniat.

Quæres 5º. quibus ex bonis faciendâ sit eleemosyna.

Resp. eleemosynam fieri non posse ex bonis injustè acquisitis: nempe furto, rapinâ, usurâ, &c.

Hujusmodi enim bona non sunt nostra, sed aliena, ideoque veris dominis restituenda, hinc sic jubet Scriptura: *Honora Dominum de tua substantia.* (Proverb. 3. 9.) *Ex substantia tua fac elemosynam.* (Tob. 4. 7.) *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.* (1. a. 61. 8.) Facienda est igitur elemosyna ex bonis propriis, & alias non debitis. Qui enim obligatur ere alieno, prius sese liberare debet, quam elemosynas dare ex quibus aliquid damni poterentur creditores.

Quæres 6^o. qui possent elemosynam dare.

Resp. id posse eos solos qui liberam honorum suorum administrationem habent; quod enim per elemosynam datur, in pauperum gratiam vere alienatur; illud autem illi soli facere possunt, quibus est libera honorum suorum administratio. Ad quos autem hæc pertineat expotimus in Tractatu de Jure & Justitia.

Quæres 7^o. quibus facienda sit elemosyna.

Resp. 1^o. eam omnibus pauperibus, si validos ignavosque excipias, erogandam esse juxta illud Tobia: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* (Cap. 4. 7.) *Omni potentem te tribue.* (Luc. 6. 30.) *Operemur bonum ad omnes.* (Galat. 6. 10.) Sicut à dilectione nostra, ita neque ab elemosyna excludendi sunt pauperes etiam flagitiosi, *Ut scitis filii Patris vestri qui in caelis est,* inquit Christus, *qui solem suum ortiri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* (Math. 5. 45.)

Dixi autem excipiendos esse eos qui, licet validi, sunt tamen ignavi & otiosi; his enim vel nulla, vel modica tantum largienda est elemosyna. 10. Quia hoc subsidio indignus est, qui laborem refugit quo possit sibi necessaria ministrare. *Cum essemus apud vos,* inquit Apostolus, *hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult*

operari, nec manducet. (2. Thessal. 3. 10.) 2^o. Quia in hujusmodi pauperes veram caritatem exercere, qui elemosynam ipsi subtrahendo, eos cogit labore victum sibi comparare: otium enim & desidia secunda est vitiorum parens.

3^o. His præsertim pauperibus consulendum, quia mendicitate deterreret ingenitus pudor: cum enim præ verecundia petere non audeant, necessitatibus longè gravioribus obnoxii sunt, quàm qui palam mendicare solent. Hinc S. Leo Magnus hæc Psalmi verba, *Beatus qui intelligit super egonam & pauperem,* sic exponit: *Sollicita benignitate vigilandum est, ut quem modesta tegit & verecundia præpedi, invenire possimus.* Sunt enim qui palam ex quibus indigere possere erubescunt, & malunt miseriam tacita egestatis affligi, quàm publicè petitione confundi; intelligendi ergo isti sunt & ab occulta necessitate sublevandi, ut hoc ipso amplius gaudeant & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori. (Serm. 3. tom. I. pag. 117.)

Quæres 8^o. quinam sint fructus elemosynæ.

Resp. Elemosyna quæ ex vera in Deum & proximum caritatis erogatur, 1^o. liberat à peccatis: *Elemosyna ab omni peccato & morte liberat,* & *non patietur animam ire in tenebras.* (Tob. 4. 11.) *Ignem ardentem extinguit aqua,* & *elemosyna resistit peccatis.* (Ecclesi. 3. 33.) 2^o. Vitam æternam præmoretur juxta hanc Christi sententiam: *possitete paratum vobis Regnum: . . . esurivi enim & dedistis mihi manducare.* (Math. 25. v. 34. & 35.) Hinc S. Leo, *Cibus egeni,* inquit, *Regni celestis est prædium,* & *largitor temporalium, hæres efficitur æternorum.* (Serm. 8. de collectis, tom. I. pag. 116.) 3^o. Elemosyna est etiam honorum temporalium sorsena secundissimum, quod in sinu pauperibus, quasi in solum fertile, jactum uberes in hac vita fructus profert. *Beneficium largientis,* inquit S. Ambrosius, *præbenti magis permanet,*

quàm suscipienti... Esurienti dedisti panem: ille quidem postus est, sed ad te redit quod dedisti, cum fructibus & usuris... Considera frumentum quod seminatur in terra, si non ad seminantis, potius quàm ad suscipientis lucra cedit; ita etiam dum cibus tribuitur indigentibus, cum multo scemore divinæ gratiæ restituitur in posterum. (Lib. de Tob. cap. 16.)

Quæres 90. quanam sint conditiones eleemosynæ christianæ.

Resp. Eleemosyna debet esse 1^o. *justa*; scilicet, ut jam diximus, eroganda est ex bonis propriis, non alienis & injustè acquisitis. 2^o. *Prudens*; id est, dari debet veris pauperibus, non autem validis simul & ignavis, ut supra exposuimus: prudentia habet etiam rationem temporum, ut quò difficiliora sunt, eò liberalius pauperum penuriam sublevemus: tunc enim referenda horrea, neque imitandi barbari illi divites, qui statim atque annonam ingravescere audiunt, promptuaria sua obserant, recondunt & frumenta, donec ad summam caritatem pervenerint. 3^o. *Prompta*; beneficium enim sine mora concessum, gemini beneficii locum habet. Hinc illud monitum: *Ne dicas amico tuo: vade & revertere; cras dabo tibi, cum statim possis dare.* (Proverb. 3. 28.) Hinc etiam ista S. Augustini sententia: *Non est perfecta eleemosyna, inquit, quæ extorquetur.* (Homil. 39.)

4^o. *Hilaris*: *In omni dato hilarem fac vultum tuum* (Eccli. 35. 11.) Conditionem hanc commendat Apostolus, dum Corinthios ad largiores eleemosynas hortatur: *Non ex tristitia aut ex necessitate, inquit: hilarem enim datorem diligit Deus.* (2. Cor. 9. 7.) *Si panem, inquit Augustinus, dederis tristi, & panem & meritum perdidisti.* (In Psal. 42. n. 8. tom. 3. p. 370.) 5^o. *Humilis*, ut sic jubet Christus: *Cum facis eleemosynam,*

noli subâ canere ante te sicut hypocritæ faciunt, ... ut honorificentur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. (Matth. 6. 2.) Quamvis autem humilitas eleemosynam comitari debeat, non tamen semper latebras querere debet Christianus, cum exemplum caritatis aliis præbere teneatur; sed Dei laudem & gloriam, non verò suam sedetur. 6^o. *Urbana*, id est, ab omni asperitatis & contemptûs signis aliena: *Qui enim despicit pauperem, exprobrat factori ejus.* (Proverb. 17. 5.) Tandem eleemosynæ admisceantur, quantum licet, quædam pietatis verba & documenta quibus pauperes ad patientiam, spem in Deum, curam animæ, non minùs quàm corporis excitentur: nunquam enim efficaciora sunt pia verba, quàm ubi eleemosynam sibi conjunctam habent.

PARAGRAPHUS II.

De correptione fraterna.

Correctio fraterna externus est caritatis actus, sive monitio salutaris quâ proximum à peccato revocare conatur aliquis. Breviter hic expendendum aa sit imperata, à quibus fieri debeat, & quæ sint illius conditiones sive dotes.

PROPOSITIO I.

De Correptione fraterna extat præceptum.

Probatur 1^o. ex Scripturis: *Corripe amicum, ... ne iterum addat facere; ... corripe proximum, ne forte ... iteret.* (Eccli. 19. v. 13. & 14.) *Si autem peccaverit in te frater tuus, inquit Christus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum* (Matth. 18. 15.) Atqui illæ utriusque Testamenti sententiæ fraternam correptionem disertè præcipiunt. Hinc S. Basilii in regulis brevioribus ad istam interrogationem, *numquid adversus peccantes dif-*

simulatione uti conveniat? sic respondet: Sane quodd hoc fieri non debeat perspicuum est ex præceptis Domini, qui in veteri quidem Testamento dixit: *Correptione corripies proximum tuum; & non accipies peccatum propter ipsum; in Evangelio autem: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* (Tom. 2. p. 430.)

Prob. 2^a. Datur præceptum de proximo diligendo: atqui hoc præceptum fraternæ correctionis officium involvit. Per illud enim tenemur proximo subvenire in necessitatibus, tum animæ, tum corporis: per correptionem autem fraternam proximo succurimus in malis quæ ad animam spectant, sicut per eleemosynam eidem opitulamur in malis quæ ad corpus pertinent; ergo corrigendi proximi legem continet illius diligendi præceptum.

PROPOSITIO II.

Fraternæ correctionis præceptum in omnes, sed maxime in Superiores cadit

Probatur prima pars. Iis impositum est fraternæ correctionis præceptum, quibus mandatum dedit Deus ut æternæ proximi salutem consulant: atqui Deus unumquemque jubet proximi salutem consulere. Mandavit... unicuique Deus de proximo suo. (Eccli. 17. 12.) Ergo faciendæ correctionis præcepto obstringitur, quisquis ad eam præstandam idoneus est. *Correctio quæ est actus caritatis*, inquit S. Thomas, & quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis, per simplicem admonitionem... pertinet ad quemlibet caritatem habentem, sive sit subditus, sive Prælati. (2. 2. q. 33. art. 3. in corp.)

Prob. secunda pars. Illis enim præsertim incumbit corrigendi lex, qui proximi salutem consulere specialibus tenentur: atqui proximi salutem curare peculiare est officium Superiorum, cum illud tum

ex officio, tum ex caritate præstare debeant; ergo ad ipsos peculiariter spectat corrigendi præceptum.

PROPOSITIO III.

Non solum æquales ab æqualibus, etiam Superiores ab inferioribus corrigendi sunt.

Probatur. Præceptum correctionis derivatur, ut jam diximus, à præcepto diligendi proximi. *Correctio fraternæ*, inquit S. Thomas, quæ est actus caritatis, pertinet ad unumquemque, respectu cuius. *liber personæ ad quam caritatem debet habere, si in eo aliquid corrigibile inveniamur.* (2. 2. quæst. 33. art. 4. in corp.) Atqui ab inferioribus diligendi sunt Superiores; ergo & corrigendi. Id autem secretò & magna cum reverentiâ fieri debet, magisque obsecrando quam arguendo, juxta illud Apostoli monitum: *Sentorem ne increpaveris; sed obsecra ut patrem.* (1. Tim. 5. 1.)

Quæres 1^o. quandonam obliget præceptum correctionis fraternæ.

Resp. præceptum illud, juxta communem sententiam, non obligare, nisi potris tribus circumstantiis. Prima, si moraliter certus sis aliquem vel peccasse, & in peccato permanere, vel esse in proximo peccandi periculo; atioquin intempestivè correptus merito conquiescent de temerario corripientis iudicio, & de injuriâ sibi fortè innocenti factâ. Non debet tamen privatus alterius vitam & mores scrutari curiosus: ut verò teneatur Superior inquirere, sufficit cognitio dubia vel suspicio; cum enim ex officio debeat suo gregem invigilare, malis, etiam dubiis, occurrere tenetur.

Secunda, si affligat spes probabilis correctionem delinquenti fore futuram. Eo quippè tantum spectat correctio, ut proximus emendetur. Quam regulam sic tradit S. Thomas: *Ubi probabiliter aestimatur quòd peccator admonitionem non recipiat,*

sed ad peiora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum, quia ea quæ sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis. 2. 2. quæst. 33. art. 6. in corp.)

Si tamen correptio, licet delinquenti non profutura, aliis tamen judicetur utilis, tunc ab ea non abstinendum est: si quis, v. g. in familiari congressu quipiam contra fidem vel bonos mores afferat, unde inficiantur astantes; tunc corripendus erit, quamvis non speretur ejus emendatio, modo possit aliis prodesse hæc reprehensio.

Tertia denique circumstantia est temporis opportunitas. Scilicet differenda est correctio ubi, omnibus perpensis, eam proximo fore utiliore æstimas, si in aliud tempus remittatur: cum enim correctio fraternæ non nisi ad proximi salutem spectet, eo tempore adhibenda est, quod huic fini magis accommodatum prudenter creditur. Contra regulam hanc non raro peccant homines ardentiori zelo inflammati, qui suo fervore abrepti id frustra, vel periculose corrigere nimis properant, quod utiliter post aliquot dies, pacatis jam animis, reprehenderent.

Quæres 2^o. quodnam peccatum sit correctionis fraternæ materia.

Resp. 1^o. peccatum mortale præcipuam esse correctionis fraternæ materiam, quia proximi saluti cui pro viribus consulere debemus, maxime nocet. Non solum autem peccatum mortale jam commissum ad materiam correctionis pertinet, verum etiam illud quod proxime committendum est: qui enim fratrem suum in proximo peccandi mortaliter periculo constitutum non admoneret, cum potest, contra caritatem ipsi debitam graviter peccaret.

Resp. 2^o. peccata venialia in se spectata, necessariam non esse correctionis fraternæ materiam; id est, impostam à Deo nobis non esse legem fratres nostros pro hujusmodi peccatis corripiendi: cum

enim delicta venialia, sive ex infirmitate, sive ex errore & ignorantia sæpissimè committant, vel ipsi homines piissimi, ea reprehendendi nullus esset finis. Præterea qui vel minimas culpas vellicaret, gravem proximo molestiam afferret, pacamque & concordiam turbaret, quæ inter homines religiose servanda est.

Resp. 3^o. peccata venialia ratione malorum quæ ex iis aliquando nascuntur, necessariam esse correctionis fraternæ materiam. 1^o. Itaque urget ea corripiendi præceptum, cum hominem coniciunt in proximam mortaliter peccandi occasionem; quæ sunt quorundam librorum lectio, quædam colloquia, quædam cum mulierculis familiaritas, 2^o. Cum scandalo sunt, ut si Clericus vel Religionem professus sæpè mentiantur, licet in materia levi; si nonnulla proferant verba quæ ipsorum professionem parum deceant: hujusmodi enim peccata in hominibus Deo specialiter consecratis, scandalum populis afferunt, qui inde occasionem arripiunt, vel professionem sanctam contemnendi, vel judicandi in iis rebus nihil esse mali, nec proinde ab illis magno perere cavendum. 3^o. Quando peccata venialia rectum ordinem & disciplinam communitatis ecclesiasticæ labefaciunt: tunc enim ad ea corrigenda tenentur privati ex caritate, præpositi vero ex justitia; nam graviter peccarent Superiores quorum curis & fidei commissa est disciplina ecclesiasticæ & regularis conservatio, si eam suam in reprehendis peccatis venialibus negligentia collabi sinerent.

Quæres 3^o. quis sit adhibenda correctionis fraternæ modus.

Resp. ut rectè fiat, quinque esse observanda. 1^o. Fama proximi, quantum fieri potest, consulendum est. Quapropter secretò, remotisque testibus, monendus erit si occulta monitio sufficiat. *Corripiendus est frater seorsim*, inquit S. Hieronymus, ne sit

semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. (In cap. 18. Math.) Ita jubet Christus: Corripe eum inter te & ipsum solum. Aliquando tamen minimè adhibenda est ea cautio, ubi scilicèt peccatum est publicum: tunc enim cessat servandæ famæ causa. Præterea non tantum, ait S. Thomas, adhibendum est remedium ei qui peccavit, ut melior fiat; sed etiam aliis in quorum notitiam devenit, ut non scandalisentur. (2. 2. quæst. 33. ars. 7. in corp.)

2º. His verbis utendum est quæ in corripiente modestiam exhibeant: Modestiam in increpando, inquit S. Bernardus. (Serm. 1. pro tempore Paschali.)

3º. Præstò esse debent rationes quibus proximum ad emendationem excitemus, ideòque eas meditari & parare opus est, priusquam rem aggrediamur, copiam in exhortando. (Ibid.)

4º. Correctio commoveendis persuadendisque animis idonea sit, efficaciam in persuadendo. (Ibid.)

5º. Eam temperare debet mansuetudo, ut sic jubet Apostolus: Si preoccupatus fueris homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne & tu tenteris. (Galat. 6. 1.)

ARTICULUS VI.

De peccatis Caritati oppositis.

Omnia peccata dici possunt caritati opposita, eo sensu quod vel eam destruant, si mortalia; vel minuant, si venialia sint. Nonnulla tamen sunt quæ caritati Deo vel proximo debitæ specialiter adverfentur, qualia præsertim sunt odium Dei & proximi, schisma & scandalum de quibus pauca dicenda sunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De odio Dei & proximi, ac Schismate.

Quæres 1º. quid sit odium Dei, & quale peccatum.

Resp. Odium generatim est actus mentis rem aliquam averfantis: Deus quidem spectatus, quatenus est bonorum omnium autor & principium, voluntati non opponitur, & sub eo respectu non potest odio haberi; quatenus autem prohibet vitia & pœnas infligit, pravæ voluntati infestus concipitur, quæ Deum sic consideratum averfari potest: Ab aliquibus, inquit S. Thomas, Deus odio haberi potest, in quantum apprehenditur peccatorum prohibitor, & pœnarum infligator. (2. 2. quæst. 34. art. 1. in corp.) Sic Deum oderunt peccatores diurnam peccandi consuetudine implicati, qui vellent, si possent, ipsum tollere Deum ut liberius peccarent: Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. (Psal. 13. 1.) Dixit in corde, quod propria est affectuum & desideriorum sedes; id est, summoperè optavit nullum esse Deum ut, sublato pœnarum metu, suis vitiis indulgeret securis. Omnium peccatorum gravissimum est odium Dei, quia per se ac directè avertit à Deo: Quando aliquis odit Deum, ait S. Thomas, voluntas ejus secundum se ab eo avertitur; sed in aliis peccatis, puta cum aliquis fornicatur, non avertitur à Deo secundum se, sed secundum aliud, in quantum scilicèt appetit inordinatam delectationem quæ habet annexam averfionem à Deo. (Ibid. art. 2. in corp.)

Quæres 2º. quid sit odium proximi, & quale peccatum.

Resp. odium proximi intimam esse voluntatis malevolentiam quæ illi malum optamus. Peccatum est ex genere suo mortale; siquidem omnis qui odit fratrem suum, homicida est. (1. Joan. 3. 15.)

Insuper odium proximi est veluti fons & radix, unde nascuntur pravæ actiones per quas proximo nocemus. Potest tamen esse veniale ob levitatem materiæ, ut si leve quoddam malum alicui optemus, quia nobis paululum displicet. Hic autem duo notanda sunt; 1^o. in confessione declarandam esse personarum quæ odio habentur circumstantiam, ratione cujus longè gravius esse potest peccatum, ut si quis parentes, uxorem, filios, fratres oderit; 2^o. detegendum etiam esse mali genus quod optavimus proximo, vel æternam damnationem, vel mortem temporalem, vel divitiarum jacturam: licet enim hæc omnia ab uno eodemque odio imperentur, suam tamen specialem habent deformitatem.

Quæres 3^o. an aliquando licitum sit alicui malum optare.

Resp. licitum esse temporale aliquod malum peccatoribus optare, ut meliorem ad frugem revocentur, & peccare desinant; postulat enim ordo caritatis, ut spirituale proximi bonum anteponamus temporali: *Potest aliquis, salvâ caritate*, inquit S. Thomas, *optare malum temporale alicui & gaudere si contingat, non in quantum est malum illius, sed secundum quod per malum pena impeditur frequenter malum culpa.* (In 3. dist. 30. art. 1. ad 4.) Summa tamen in iis desideriis adhibenda est vigilantia: livor enim sensim sine sensu serpit, & variis coloribus sese tegit, ita ut sub fallacibus utilitatis proximi votis sæpè lateat privata vindictæ cupiditas.

Quæres 4^o. quid sit schisma.

Resp. schisma esse voluntariam ab unitate Ecclesiæ separationem ita ut rumpatur communionis vinculum, vel cum visibili Ecclesiæ capite, nimirum Romano Pontifice, vel cum membris eidem conjunctis: *Schismatici*, inquit S. Thomas, di-

untur qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant. (2. 2. quæst. 32. art. 1. in corp.) Schismaticus ergo perperam diceretur, qui pacem & concordiam sincerè diligit; qui unitatem constanter & religiosè tener; qui reverentiam adhibet legitimorum Pastorum auctoritati debitam; qui tandem animo ita comparatus est, ut omnia potius mala patiat, quam sese ab Ecclesia segreget. In errore versari poterit, & quidem contumaciter; sed æquaquam erit Schismaticus, quandiu ab Ecclesiæ Communionem non recesserit. Hæresis enim & schisma duo sunt crimina distincta, quorum unum sine altero potest consistere. Vix tamen verum schisma sine hæresi reperitur: *Nullum schisma est*, inquit S. Thomas, *quod non sibi aliquam hæresim confingat, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* (2. 2. quæst. 39. art. 1. ad 3.)

Quæres 5^o. quantum in schismate sit peccatum.

Resp. Gravissimum crimen est schisma; 1^o. quia præstantissimo bono, nempe unitati Ecclesiæ, opponitur; 2^o. quia excluditur à salute æterna quisquis in eo statu moritur: *Salutem*, inquit Augustinus, *non potest habere homo, nisi in Ecclesia Catholica* (Serm. ad Casariensis Ecclesiæ plebem habitu, n. 6. tom. 9. pag. 622.) Firmissimè tene, ait S. Fulgentius, *quemlibet schismaticum, ... si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, etsi pro Christi nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.* (Lib. de fide ad Petrum, cap. 39.) Unde sequitur nihil esse mali quod tolerari non debeat, potius quam sese ab Ecclesia segregare: *Præsciendæ unitatis*: inquit Augustinus, *nulla unquam justa potest esse necessitas.* Idcirco quæcumque sit Pastorum live in moribus, live in doctrina perveritas, ipsorum communioni constanter adhaerendum est, donec vel ipsimet sese ab Ecclesia sejunxerint, vel ab ea fuerint per Superiorum sen-

tentiam segregati. Pariter nunquam licita est à Pastoribus discessio, etiamsi nobiscum injustè & duriter agerent, etiamsi & Sacramentorum usu, & omni subsidio spirituali nos fraudarent.

PARAGRAPHUS II.

De Scandalo.

Quæres 1º. quid scandali nomine intelligatur.

Resp. Scandalum græcè idem est, ac latine *offendiculum* in quod impingens aliquis corrui. Per metaphoram verò usurpatur in moralibus, ad significandum quidquid in hac vita, quæ est tanquam via ad beatitudinem æternam, proximo in peccatum prolubendi occasionem præbet. A S. Thoma definitur *dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.* (2. 2. quæst. 43. art. 1. in corp.) Dicitur, 1º. *dictum vel factum*, quia voluntas sola nisi exterius sese prodar dictis vel factis, non præbet occasionem peccandi. Nominibus autem *dicti vel facti*, intelligitur etiam utriusque omisio externa: qui enim non loquitur vel non agit, cum debet, aliis est scandalum.

Dicitur 2º. *minus rectum*, quia scandalum non oritur tantum ex actione per se mala, sed etiam ex ea quæ mali speciem habet; ut si quis iusta de causa, sed quæ alios lætet, carnes die vetito comedat. Additur 3º. *præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis*, quia ad rationem scandali minimè necesse est, ut sequatur ruina proximi; at satis est ut ipsi detur occasio.

Quæres 2º. quotuplex sit scandalum,

Resp. Scandalum dividitur in *actiuum* sive *datum* quodamodò definitum est; & *passiuum* sive *acceptum*, quod est proximi peccatum ex scandalo activo consecutum. *Actiuum* duplex est, *directum* scilicet

est, ubi aliquis dicto vel facto proximi peccatum intendit; & *indirectum*, cum aliquis proximi lapsum non sibi proponens, quædam dicit vel facit quæ aliis occasio sunt peccandi. Duplex etiam est scandalum *passiuum*: aliud dicitur *pulsilorum*, quod propter ignorantiam vel infirmitatem sumitur ex dicto vel facto alterius, licet recto vel indifferente; aliud appellatur *Pharisaicum*; quod ex sola accipientis malitia contingit, propter dictum vel factum alterius rectum. Sic dicitur à Phariseis qui ob propriam perversitatem, ex innocentissimis Christi dictis vel factis peccandi occasionem sumpserunt.

Quæres 3º. quale peccatum sit scandalum.

Resp. 1º. scandalum *directum* quo lapsum proximi sibi proponit aliquis, peccatum esse mortale aut veniale, pro ratione delicti ad quod impellere vult alterum. Itaque si intendat proximum inducere in peccatum mortale, ait S. Thomas, *mortaliter peccat; si autem intendat inducere ad aliud quod veniale, peccat venialiter, quantum pertinet ad rationem scandali.* (In 4. dist. 38. quæst. 2. art. 2. quæstione. 3.)

Resp. 2º. scandalum *indirectum* esse peccatum ex genere suo mortale, quia præcepto diligendi proximi opponitur. Nam factum vel dictum per quod proximum in peccandi periculo coniciendum esse, aliquis prævidet aut facile prævidere potest, adversatur præcepto dilectionis proximi: atqui scandalum *indirectum* est dictum vel factum, per quod proximum peccandi periculo exponendum esse, aut prævidetur aut facile prævideri potest. Scandalum quippe *indirectum* est dictum vel factum minus rectum, ex quo proinde dari proximo peccandi occasionem facile cognosci potest; ergo, &c.

Præterea *indirectum* erat illud scandalum; quo Christiani fidè robustiores & magis edocli, car-

nem idolis immolatam comedentes, offendebant fratres infirmos qui id licitum non esse falso sibi persuaserant: atqui tamen scandalum illud, ut grave peccatum, reprehendit Apostolus: *Peribit, inquit, infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum, in Christum peccatis.* (1. Cor. 8. v. 11. & 12.)

Quæres 4^o. Quænam opera teneamur facere vel omittere ad vitandum scandalum.


Resp. 1^o. Ad vitandum scandalum *passivum*, nunquam licet facere quidpiam jure naturali veritum, v. g. mentiri; tum quia ex natura sua malum est quidquid jure naturali prohibetur: vetat autem Apostolus *ne faciamus mala, ut veniant bona*; (Rom. 3. 8.) tum quia postulat ordo caritatis, ut quisque suam salutem impensius diligat quam alterius. Propter eandem rationem non licet ea omittere quæ ad salutem necessaria sunt: sic non debet aliquis desinere juxta Evangelii normam vivere, quamvis reperiantur quibus hoc vitæ institutum sit occasio scandali.

Resp. 2^o. nullum bonum spirituale dimittendum esse, ut occurratur scandalo Pharisæico, quia illud contemnendum esse docuit Christus. Cum enim ipsi dixissent Discipuli: *Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalisati sunt*; respondit Christus: *Sinite illos, cæci sunt*; (Matth. 15. v. 12. 13.) id est, ipsorum scandali nullam habeatis rationem, quia ex prava quæ eos obcæcat malitia exortum est.

Resp. 3^o. opera quæ consilii tantum sunt, vel omittenda vel differenda esse, donec scandali infirmorum tollatur occasio. Lex enim caritatis exigit ut proximo in quadam necessitate spirituali posito subveniamus, maxime cum citra ullum detrimentum id possumus: atqui proximus ex infirmitate vel ignorantia lapsurus, quædam necessi-

tate spirituali laborat, illique possumus sine damno nostro subvenire: opera enim quæ consilii tantum sunt, salutem non requiruntur; ea differendo, vel etiam prætermittendo ad impediendum proximo infirmi lapsum, caritatis *adum* exercemus Deo magis acceptum, quam ea ipsa quæ omittuntur opera. Hinc præclara illa Apostoli verba: *Si esca scandalisat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalisem.* (1. Cor. 8. 13.)





TRACTATUS
DE VIRTUTE RELIGIONIS.

RELIGIO, prout est virtus, defini solet *virtus moralis mentem inclinans ad exhibendum cultum Deo debitum, tanquam supremo rerum omnium Domino.* Dicitur autem virtus *moralis*, non verò *theologica*, quia Deum non immediatè spectat, sed cultum, qui Deo exhibendus est: *Bonum*, inquit S. Thomas, *ad quod ordinatur Religio, est exhibere Deo honorem.* (2. 2. quæst. 81. art. 4. in corp.)

Cum autem Deus coli debeat actibus internis & externis, siquidem homo constat mente & corpore, & utriusque principium est Deus, agemus 1^o. de actibus internis Religionis; 2^o. de externis; 3^o. de vitiis Religionis oppositis.

DISSERTATIO I.

De actibus internis Religionis.

INTERNI Religionis actus sunt *devotio & oratio.*

Quæres 1^o. quid *devotionis* nomine intelligendum sit.

Resp. *Devotionis* nomen deducit S. Thomas à verbo *devovery*: *Devoti*, inquit, *dicuntur qui seipsos quodam modo Deo devoverunt, ut ei se totaliter subdant.* (2. 2. quæst. 82. art. 1. in corp.) Ibidem definitur *voluntas promptè se tradendi ad ea quæ pertinent ad Dei servitium.* Ad devotionem ergo pertinet ea voluntatis affectio quæ animum promptum, alacrem, ferventem & expeditum ad ea exequenda faciat, quæ Dei cultum spectant.

Vera quidem devotio plerumque sibi adjunctam habet interiorem quamdam animi lætitiã, suavitatẽ, delectationem: unde Apostolus de seipso ait: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* (2. Cor. 7. 4.) Sed cave ne existimes devotionem sine hujusmodi affectibus stare non posse: aliquando enim pii sanctissimique viri iis destituti sunt, quamvis Deo maximè devoti; ut quamdam animi tristitiã, ariditatẽ & sterilitatẽ patiantur, interdum permittit Deus, ad eos in humilitate retinendos, ipsorum fidem ac pietatẽ firmandam & perficiendam.

Quæres 2^o. quomodò definiatur *oratio.*

Resp. *Oratio* quoddam est mentis cum Deo

colloquium, in quo rei alicujus obtinendæ desiderium Deo exponimus: *Qui precatur, cum Deo colloquitur*, inquit antiquus Autor sermonis secundi de precatione, quæ reperitur inter spuria S. Chrysostomi opera. (Tom. 2. pag. 783. edit. BB.) Ab Augustino definitur *cordis desiderium & gemitus ad Deum directus*; (Enarrat. in Psal. 37. v. 14. tom. 4. pag. 301.) desiderium utique rerum ad salutem æternam conducentium. Oratio verus est Religionis actus, quia per eam homo, inquit S. Thomas, *Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, & proficitur orando se eo indigere, sicut autore suorum bonorum.* (2. 2. quæst. 83. art. 3. in corp.)

Quæres 3^o. quoruplex sit oratio.

Resp. Duplex, alia mentalis quæ fit solâ mente, ad quam pertinet istud Davidis: *Tibi dixit cor meum: Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*; (Psal. 26. 8. & Psal. 18. v. 15.) alia vocalis quæ mente simul & linguæ ministerio peragitur; ad eam sic hortatur Apostolus: *Per ipsum (Christum) offeramus hostiam laudis ... Deo, id est, fructum labiorum consentientium nomini ejus.* (Hebr. 13. 15.) Oratio vocalis à mentali vim suam habet: sola enim mens efficaciter loquitur, nec prodest quidquam oris strepitus, muto corde. Plurimum valet oratio vocalis cum mentali conjuncta, ad excitando fovendoque pios voluntatis affectus, ad sistendamque animi mobilitatem, qui aliter huc & illuc evagaretur.

His præmissis, nunc variis in capitibus exponenda sunt quæ ad orationem pertinent; 1^o. quidam de necessitate orationis; 2^o. de illius conditionibus differemus; 3^o. pro quibus orandum; 4^o. quid orandum sit, inquiremus; 5^o. de oratione dominicâ; 6^o. demum de horis canonicis agendum erit.

CAPUT PRIMUM.

De necessitate Orationis.

CIRCA necessitatem orationis multiplex fuit error. Primus eorum est qui divinæ providentiæ regimini res humanas subtrahebant, & qui aiunt apud Job: *Nubes latibulum ejus (Dei) nec nostra considerat*; (Cap. 22. v. 14.) unde sequitur vanam & inutilem esse orationem. Secundus horum fuit qui omnia ex fato & ineluctabili necessitate contingere opinabantur: quo posito, preces fundere omnino supervacaneum esset. Tertius Pelagianorum qui gratiæ necessitatem sustulerunt, quæ maximè nititur orationis necessitas. Quartus fuit Michaëlis Molinos Presbyteri Hispani, inter cujus propositiones ab Innocentio XI an. 1687 damnatas ista est numero 14: *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut à Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, ... & est velle quoddam divina voluntas nostræ conformetur.* (Recueil de Bulles, in-8^o. Mons, 1699. pag. 381. & 399.)

PROPOSITIO.

Oratio Jure divino necessaria est.

Probat. Oportet, inquit Christus, *semper orare & non deficere.* (Luc. 18. 1.) *Sine intermissione orate*; ait Apostolus. (1. Thessal. 5. 17.) *Volo ergo viros orare in omni loco, ... similiter & mulieres* (1. Tit. 2. v. 8. & 9.) *In omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* (Philip. 4. 6.) Illud profectò necessarium est jure divino, quod frequenter in Scripturis, tum à Christo, tum ab

Apostolis præcipitur: atqui oratio, &c. Nullibi enim in sacris Codicibus præceptum reperias, si mandati rationem non habeant hæc verba: *Oportet orare. Orate. Volo viros & mulieres orare*; ergo jure divino necessaria est oratio.

S C H O L I U M.

Duplex est hujus præcepti ratio, altera ex parte Dei, altera ex parte hominis. 1^o. Quidem ex parte Dei qui scilicet dona sua, si pauca excipias, eâ tantum conditione nobis largiri constituit, ut eadem orando postulemus. *Deus*, inquit S. Augustinus, *dare vult; sed non dat nisi petenti, ne det non cupienti*; (Tom. 4. pag. 1119. in Psal. 102. n. 10.) ita ut de omnibus ferè Dei donis dicere nobis liceat, quod ait S. Jacobus: *Non habetis, propter quod non postulatis*. (Cap. 4. 2.) Diximus autem: *si pauca excipias*: certum est enim fidei & ipsius orationis initium à Deo dari non postulantibus; alioquin abeundum esset in infinitum: *Constat Deum*, inquit Augustinus, *alia non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam*. (Lib. de dono perseverant. cap. 16. n. 39. tom. 10. pag. 842. & 843.)

2^o. Ex parte hominis stat ratio cur tanta sit nobis orandi necessitas. Summa est enim hominis indigentia, ita ut cum Propheta exclamare quisque debeat: *Ego verd egenus & pauper sum: Deus, adjuva me*. (Psal. 69. 6.) Sine ipsius auxilio nihil boni nos posse testatur Christus: *Sine me nihil potestis facere*. (Joan. 15. 5.) Cum igitur honorum omnium egenus sit & inanis homo, ad Christum debet supplex confugere, in quo Deus pro nostra inopia copulentiam offert; in quo coelestes thesauros nobis aperit; in quo omnem suæ largitatis plenitudinem residere voluit, ut inde velut ex uberrimo fonte hauriamus omnes: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. (Joan. 1. 16.)

Præterea

Præterea ista est mortalis hujus vitæ conditio, ut perpetua quædam sit militia in qua semper cum carne, cum mundo, cum diabolo nobis colluctandum est. *Homo infirmus*, inquit, Augustinus, *inter tentationes agitur, inter molestias, inter carnales corruptiones, inter suggestiones, cupiditates, inter versutias & laqueos inimici*. (Enarrat. in Psal. 120. n. 11. tom. 4. pag. 1380.) Tot conjuratis autem suæ salutis hostibus quo pacto resistet humana imbecillitas, nisi assiduus orationibus divinam opem imploret? *Neesse est enim, teste Innocentio I, ut, quo adjuvante vincimus, eo non adjuvante vincamur*. (Epist. 24. ad Conc. Carthagin. tom. 2. Conc. pag. 1286.)

Objicies: Deus quem nihil latet, indigentiam nostram planè compertam habet, & aliunde bona quæ nobis in tempore largitur, ab æterno dare constituit; voluntas autem Dei prorsus immutabilis est, nec fieri potest ut in tempore velit quod ab æterno noluit, aut velle desinat quod voluit; ergo inutilis omninò est oratio, imò etiam Deo injuriosa.

Resp. Neg. conseq. 1^o. enim non eò spectant preces nostræ, ut Deum indigentia nostræ certior faciant. Sine monitore novit, & quæ parte urgeamur, & quid nobis expediat: *Sic Pater vester*, inquit Christus, *quia his omnibus indigetis*. (Matth. 6. 32.) Sed ideo precamur ut precibus nostris testemur nos Deum sicut bonorum omnium autorem & largitorem agnoscere, & in ipsius liberalitate spem omnem nostram & expectationem reponere. Bona quibus indigemus prece sollicitari jubet, ut ipsius quærendi, amandi, colendi desiderio cor nostrum inflammaret, sicque suis donis digniores simus. *Intelligamus*, inquit Augustinus, *quod Dominus & Deus noster non voluntatem sibi velit innotescere, quasi non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quod possimus capere quod properat dare*, Tom. VI.

(Epist. 130. aliàs 121. n. 17. tom. 2. pag. 388.)

2^o. Non eam ob causam oramus, ut aeterna divinae providentiae decreta & consilia immutemus, quod fieri non potest; sed ut immutabilem ipsius voluntatem impleamus, quâ nonnulli petentibus sua dona largiri decrevit: Non enim propter hoc oramus, ait S. Thomas, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum. (2. 2. quæst. 83. arti. 1. in corp.) Quâ de re sic habet Gregorius Magnus: *Obtinere nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerint, sed ea quæ viri sancti orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur.* (Lib. 1. Dialogor. cap. 8. tom. 2. pag. 181. edit. BB.) Hinc Elias, quamvis de consilio Dei certus, postquam Regi Ahab pluviam pollicitus est, eam nihilominus à Deo postulavit. (Lib. 3. Reg. 18.)

CAPUT II.

De Orationis conditionibus.

CONDITIONES ad orationem rectè probèque institutendam requisitas exponere eò magis necesse est, quòd ea quæ à Deo petimus in se non consequamur, quia malè postulamus, *Petit, & non accipitis*, inquit S. Jacobus, *eo quòd malè petatis.* (Cep. 4. 3.)

CONDITIO I. Ex aliquo caritatis, saltem initialis, motu prodeat oratio necesse est. 1^o. Quia caritas ipsa gemit, ipsa orat, inquit Augustinus. (Tract. 6. in 1. Ep. Joan. n. 8. tom. 3. part. 2. pag. 867.) 2^o. Quia Deus nonnulli preces ex caritate suas exaudit: *Contra hanc (caritatem)*, pergit S. Doctor, *aures claudere non novit qui*

dedit illam. 3^o. Quia amore petitur, inquit, amore quaritur, amore pulsatur. (Lib. 1. de moribus Ecclæs. cap. 17. n. 31. tom. 1. pag. 699.) 4^o. Quia ibi vera non est oratio, ubi cor filèt: *Tacebis autem*, inquit Augustinus, *si amare destiteris, ... frigus caritatis, silentium cordis est.* (In Psal. 37. n. 14. tom. 4. pag. 301.) 5^o. Quia oratio ad Dei cultum pertinet: *Non colitur autem Deus nisi amando*, ait S. Doctor.

CONDITIO II. Ad rectè orandum necessaria est supplicantis humilitas, quâ sese coram divinâ maiestatem deprimat, omnemque propriæ dignitatis opinionem exuat, dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* (Genes. 18. 27.) Hæc pertinent innumeræ Scripturarum sententiæ: *Respexit Deus in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.* (Psal. 101. v. 18.) *Oratio humiliantis se niches penetrabit.* (Eccli. 35. v. 21.) *Deus superbis respicit, humilibus autem dat gratiam.* (Jacob. 4. 6.) Hujus submissionis frequentia exempla in Dei servis habemus; quorum ut quisque est sanctissimus, ita cum in domini conspectum prodit, plurimum prosternitur: *Neque enim in justificationibus nostris, aiunt cum Daniele, prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* (Dan. 9. 18.)

CONDITIO III. Cum firma spe seu fiducia orandum est. Ad eam sic hortatur Apostolus: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* (Hebr. 4. 16.) Divinis promissis nititur hæc fiducia: *Omnia quæcumque orantes petitis, ait Christus, credite quia accipietis.* (Marc. 11. 24.) *Ego dico vobis: petit, & dabitur vobis.* (Luc. 11. 9.) Numquid respuer optimus Pater, quos non modò ad se contugere hortatur, sed & quibuscumque modis potest, sollicitat? Numquid omnem diffidentiam sensum non exuet, quisquis recogitaverit Deum ita potentem esse, ut quod

petitur dare valeat; & ita misericordem ut largiri, velit si ad salutem nostram expediat? hinc dubitanter orantes nihil accepturos pronuntiat S. Jacobus: *Qui enim hastias, similis est studiis maris qui à vento movetur & circumfertur; non ergo æstimet homo ille quiddam accipiat aliquid à Domino.* (Cap. I. v. 6. & 7.)

Verum quidem est aliquando non obtineri quod à Deo postulatur: illud autem inde fit 1^o. quod male petamus, ut ait ibidem S. Jacobus. 2^o. Quia non pauca flagitantur, ut cupiditatibus nostris indulgeamus, ut in concupiscentiis vestris insumatis, inquit Apostolus. (Jacob. 4. 3.) 3^o. Quia bona temporalia poscimus, quibus carere nobis magis expedit, ut discamus ea præ omnibus postulanda esse, quæ ad salutem æternam pertinent: *Non exaudies ad temporalia*, inquit Augustinus, *ut intelligam à te desideranda sempiterna.* (In Psal. 43. n. 2. tom. 4. pag. 372.) 4^o. Quia sæpe nobis utilius est iis malis consistere, à quibus ut liberemus oramus, quæ in re Deus erga nos benevoli Medici vices gerit. *Multii clamans in tribulatione, & non exaudiuntur*, ait Augustinus, *... ut intelligat homo Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem.* (Enarrat. in Psal. 21. n. 4. tom. 4. pag. 95.)

CONDITIO IV. Assidua & perseverans esse debet oratio; sæpius enim contingit ut quod non obtinuit prima petitio, tandem extorquet orandi constantia. Hinc illud Christi: *Oportet semper orare & non deficere.* (Luc. 18. 1.) Quantam vim apud Deum habeat oratio perseverans, duplici parabola nobis ostendit Christus; aliâ scilicet viduæ quæ importunitis suis precibus iniqui sui iudicis duritiam fregit; aliâ hominis qui à vicino repulsam passus, tandem per suam in postulando constantiam, ab eo panes impetravit quibus indigebat. Hinc illud Augustini: *Quædam, quamvis in nomine ejus petamus, non tunc quando petimus facit Deus, sed*

tamen facit: differtur enim quod petimus, non negatur; verum tamen orantes, tanquam seminantes, non deficiamus; tempore enim proprio metemus. (Tract. 73. in Joan. n. 4. tom. 3. part. 2. p. 690.)

Inde patet quantum errent qui Deum sic invocant, ut nisi ad primos impetūs adfuerit, ac præsentem opem attulerit, statim iratum sibi que insensum fingant, & omni spe quod petunt obtinendi abjectâ, invocare desinant. Attendant hujusmodi homines Deum precibus nostris non statim annuere, ut dono quod postulamus digniores nos efficiat, utque illud ardentioribus votis desideremus, & majori pretio habeamus. *Cum aliquando tardius dat Deus*, inquit Augustinus, *commendat dona, non negat. Divi desiderata dulcius obtinentur: citò autem data vilescunt. Servat tibi Deus quod non vult citò dare, ut & tu discas magna magnè desiderare.* (Serm. 61. n. 6. tom. 5. pag. 353.)

CONDITIO V. Oratio in nomine Jesu Christi fieri debet. Cum enim post Adami lapsum, nullus hominum dignus sit qui coram Deo sese sitat, ipse cœlestis Pater Filium suum nobis donavit, qui apud ipsum nobis sit Advocatus & mediator, cujus ductu ad ipsum accedamus, & qui solum formidabilis gloriæ in thronum gratiæ commutet. *Unus est*, inquit Apostolus, *Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* (1. Tim. 2. 5.) Hinc Deum in nomine Christi invocare peculiariter jubemus, & promissionem habemus propositam, nos impetraturos quod in ejus nomine petierimus: *Amen, amen dico vobis*, ait Christus, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: usque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis.* (Joan. 16. v. 23. 24.) Inde nata est ea Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ut omnes suas orationes his verbis concludat: *Per Christum Dominum nostrum*. Idcirco dicere non dubitat Augustinus; *orationem quæ non sit per Christum, non solum non posse delere peccatum, sed etiam ipsam*

esse in peccatum. (In Psal. 108. n. 9. tom. 4. pag. 1219.) Quod intelligi debet, vel de precibus quæ per gratiam Christi non fierent; vel de oratione per quam aliquid sine meritis Christi à Deo nos accepturos speraremus; à Christo igitur tota nostra expectatio pendeat; in ipso tota spes nostra hæreat & acquiescat, per quem solum nobis patet accessus ad Deum, apud quem & deprecatoris, & Sacerdotis nostri officii fungitur, *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* (Hebr. 7. v. 25.) Unusquisque cum Augustino dicat: *Domine, meris mihi spes valida in illo (Christo) est, quod sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis: alioquin desperarem.* (Lib. 10. confess. c. 43. n. 69.)

CONDITIO VI. Nemo potest rectè orare, nisi precibus attentionem adhibeat, iisque suos sensus studique applicet. Si enim spontè erraticis cogitationibus distrahimur, quibus huc illuc vaga mens circumferatur, è cæloque detracta in terras deprimatur, jam non mente oramus, in istamque incurrimus Dei reprehensionem: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* (Matth. 15. 8.) Maximè igitur enitendum est ut carnales curas & cogitationes submoveamus, quæ à puro Dei intuitu nos avocent & abducant. Quid enim indignius, ubi nos Deus ad familiare colloquium admittit, quàm tantà ejus humanitate abuti, sacra profanis miscendo? *Quis enim est homo, inquit Augustinus, cum quo si cæperit amicus ejus colloqui, & voluerit ille respondere colloquutioni ejus, & viderit eum averti à se, & aliud loqui ad alium, quis hoc ferat?* (In Psal. 85. n. 7. tom. 4. p. 905.)

Si quis tamen distractiones quasdam invitus experiatur, nec eis ante orationem locum dederit, is non peccat, nec repulsam à Deo feret. De iis nihilominus ingemiscat & veniam postulet, quia motuere debet ne quam illis occasionem præbuerit.

Quæres 1^o. quotuplici modo voluntariæ esse possint animi distractiones.

Resp. duplici modo eas esse posse voluntarias, nempe vel *in se*, vel *in causa*. 1^o. *In se* voluntariæ sunt, cum aliquis sciens & volens mentem extraneis cogitationibus pascit; vel ubi animadvertens aliò rapi animum, hujusmodi evagationes cohibere non curat; vel quando iis in locis recitatur Officium divinum, quæ mentis aberrationes per se quasi provocat, quales sunt viæ publicæ in quibus frequens est concursus, clamor & strepitus.

2^o. Distractiones voluntariæ sunt *in causa*, cum aliquis ea liberè agit quibus ab oratione distrahendum esse animum facilè prævidere potest, hujusmodi est qui, post inania & plerumque periculosa colloquia, post ludum aliaque oblectamenta, ad orandum statim accedit; item si quis animum negotiis secularibus, quæ in aliud tempus deferri poterant, oppletum & defatigatum afferat. Idem de eo sentiendum qui vitam mollem agere, voluptatibus indulgere, suisque sensibus nimiam permittere licentiam consuevit. Distractiones quas inter orandum patiuntur hujusmodi homines voluntariæ sunt in causa, quia causam hanc tollere poterunt & debuerunt; ideoque graviter peccant.

Quæres 2^o. quanam attentio sit orationi afferenda.

Resp. maximè enitendum esse ut per totam orationis cursum nobis adsit intentio *actualis*, sive ut de Deo rebusque divinis cogitemus, in iisque defixum, quantum fieri potest, animum teneamus. *Quando stamus ad orationem*, inquit S. Cyprianus, *vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus: claudatur contra adversarium pedus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire potiat: obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in voce.* (Tract. de orat. Domin. edit. Baluz, pag. 213.)

Quamvis autem summoperè optandum curandumque sit, ut per totam orationem vigeat in nobis *actualis* attentio, hæc tamen non est absolute necessaria; tanta enim est mentis humanæ infirmitas & inconstantia, ut per totum orationis tempus de Deo cogitare vix ac ne vix quidem possit. Idcirco sufficit intentio *virtualis*; id est, sufficit orare ex virtute & impressione intentionis *actualis*, quam ineunte oratione habuimus, & qua in mente nostra *moraliter* subsistit.

Quæres 3^o. quanto tempore subsistere censeatur hæc intentio *virtualis*.

Resp. Tandem subsistere judicatur, quandiu revocata non fuit prima Deum orandi intentio quam habuimus, cum incepta est oratio. Retractari autem censeatur prima hæc intentio, 1^o. cum aliquis sciens & advertens alienis se cogitationibus distrahi, mentem ad se revocare, ad Deumque erigere negigit. 2^o. Quando per spatium temporis satis longum, intentionem hanc renovare minimè curat: quam ut suscitarent veteres Egyptii Monachi, breves identidem preces toto cordis affectu ad Deum fundere, & quasi jaculari consueverant. *Fratres in Egypto*, inquit Augustinus, *crebras quidem habent orationes; sed eas tamen brevissimas, & reptim quodam modo jaculatas, ne illa vigilantiter ereda, qua urant plurimum necessaria est, per prolixiores moras evanescat atque hebetetur intentio.* (Tom. 2. pag. 389. Epist. 130. ad Probam, n. 20.)



CAPUT III.

Pro quibus orandum sit.

PRO omnibus qui in terris degunt, sive sint fideles, sive infideles; sive amici, sive inimici; sive peccatores, sive iusti, orandum esse sic docet Apostolus: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes..... pro omnibus hominibus; hoc enim bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.* (1. Tim. 2. v. 1. & seq.) Pro iis enim preces fundere debemus, quo iubemur sicut nosipsum diligere: atqui ut omnes homines sicut nosmetipsos diligamus sic præcipit Christus: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* (Matth. 22. 39.) Nomine autem *proximi* significari omnes homines communibus ejusdem naturæ vinculis colligatos, apud interpretes certum est.

Qui verò in caritate proximo debita, idem in precibus servandus est ordo; ita ut nostra in oratione peculiarem locum habeant homines consanguinitatis, amicitiae, beneficiorum, ejusdem Religionis vel societatis nexibus nobis conjunctiores; pro iis etiam specialiter orandum est, quibus scandalum vel peccandi occasionem præbuimus, ut quantum ipsis nocuit exemplum nostrum, tantum prosit oratio nostra.

Neque pro sanctis orandum est, quia beatitudine nunquam destituti potuerunt; neque pro damnatis, quia aeternis supplicis immutabiliter addicti sunt; bene verò pro iustis qui in igne purgatorio detinentur, ut ostendimus ubi de Sacrificio Missæ tractatum fuit.

Quæritur utrum peccatores utiliter orare valeant.

Resp. Si peccator in statu peccati mortalis contumaciter hæreat, in pravasque consuetudines obstinatum retineat affectum, nec sese emendare cogitet, tunc ipsius oratio prorsus est Deo ingrata. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* (Proverb. 28. 9.) De hujusmodi peccatore idem sic pronuntiat S. Bernardus: *Oratio peccatoris execrabilis erit.* (Serm. 71. in Cantic. n. 13. tom. 1. pag. 1518.) Si vero peccator voluntatem, licet infirmam, habeat à statu peccati mortalis emergendi, vique illius desiderii Deumoret, ut ab eo vires sibi necessarias obtineat, tunc utiliter precatur: pius enim illud sese emendandi desiderium, quantumvis debile, opus est divinæ gratiæ intus moveatis.

CAPUT IV.

Quid orandum sit.

IN petendis à Deo bonis hic servandus est ordo, ut ea primum postulamus quibus nemo malè uti potest, Dei scilicet qui summum est nostrum bonum, fruitionem, gratiam, virtutes, omniaque dona spiritualia quæ ad salutem & beatitudinem perducunt: hujusmodi bona absolute petere possumus & debemus. Quando enim ea poscimus quæ ad salutem nostram pertinent, voluntatem nostram divinæ voluntati planè accommodatam esse certum est.

In petendis autem bonis temporalibus & externis, duæ potissimum observandæ sunt regulæ. 1^o. Postulari non debent primariò & præcipuè, ut in iis tanquam in fine conquiescamus. *Dicendum, aut*

S. Thomas, quidd hoc licet orare, quod licet desiderare; temporalia autem licet desiderare, non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus; sed sicut quadam adminicula quibus adjuvemur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet nobis deserviant ad actus virtutum. (2. 2. q. 83. art. 6. in corp.) Præ ceteris igitur omnibus orandum est, ut obtineatur Regnum Dei & justitia ejus, ad eamque finem referendum est quicquid boni temporalis poscimus: *Animus verò nullo modo sanus existimandus est, inquit Augustinus, qui non temporalibus æternis præponit; neque in tempore utiliter vivitur, nihil ad comparandum meritum quo in æternitate vivitur; ad illam ergo unam vitam quæ cum Deo & de Deo vivitur, cetera quæ utiliter & decenter optantur, sine dubio referenda sunt.* (Epist. 130. ad Probam, n. 14. tom. 2. pag. 387.) Ed spectare debent omnia veri Christiani vota; cum Psalmista ex animo dicat: *Unam peti à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.* (Psalm. 26. 4.)

2^o. Externa tum fortunæ, tum corporis, tum ingenii bona & ornamenta, non petenda sunt nisi adiuncta hæc conditione, modo ad æternam salutem nostram profutura sint: alioqui periculum esset ne Deus hoc responso nos repellat: *Nescitis quid petatis* (Matth. 20. 22.) Hinc sic hortatur Augustinus: *In his ergo temporalibus, fratres non petatis aliquid quasi fixum, sed quod Deus vobis expedire scit: quod enim vobis expediat omnino nescitis, aliquando quod putatis prodesse, obest; & quod putatis obesse, hoc prodest: acri enim estis, nolite Medico dicere quæ vobis medicamenta velit apponere.* (Enarrat. in Psal. 53. n. 5. tom. 4. pag. 496.)

Pariter nostram à malis temporalibus liberationem, sub ea tantum conditione postulare debemus, ut saluti nostræ expediat. *Quia in his tribulationibus, quæ possunt & prodesse & nocere, inquit Augustinus,*

quid oremus sicut oportet nescimus, si ea non abstulerit Deus, non ideo nos ab eo negligi existimemus; sed potius piâ patientiâ malorum, bonâ speremus ampliora: sic enim virtus in infirmitate perficitur. (Ep. 130. ad Proban, cap. 14. n. 26. tom. 2. pag. 392.)

CAPUT V.

De Oratione Dominica.

ORANDI ratio & forma omnium tutissima & præstantissima, ea procul dubio est quam Christus Dominus nobis tradidit. Quia in re immensam ejus bonitatem agnoscere licet. Non ipsi satis est ut nos moneat & hortetur, ad eum in omni necessitate nostra confugere; sed videns ne id quidem nos satis perspicere, quid postulare debeamus, huic etiam nostrâ ignorantia occurrit, & quod captui nostro deerat, de suo ipse supplevit ac sufficit. Præscripsit enim nobis formulam quâ, velut in tabulâ, proposuit quidquid ab eo petere debeamus. Verba, inquit Augustinus, quæ Dominus noster Jesus Christus in oratione docuit, forma est desideriorum. Non tibi petere licet aliud quàm quod ibi scriptum est (Serm. 56. n. 4. tom. 5. pag. 324.) Nunc brevem illius orationis expositionem aggrediamur.

Pater noster. In ipso limine commonemur ad Deum, tanquam filios ad patrem, confugere summâ cum reverentiâ, caritate & fiducia. Quo nomine, inquit Augustinus, & caritas exortatur: quid enim carius filius debet esse, quàm pater; & quædam impetrandi præsumptio, quæ petituri sumus; cum prius quàm aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, ut finamur dicere, Pater noster, Deo. (Lib. 2. serm. in monte, cap. 4. n. 16. tom. 3. part. 2. pag. 206.)

Deum autem patrem suum appellare proprium est Christianorum. Ad eos enim pertinent hæc Apostoli verba: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei: non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba Pater.* (Rom. 8. v. 14 & 15.) Caveant ergo Christiani ne quid agant quod filios Dei dedecet. Iis ea potissimum cura sit, idque studium, ut patrum omnium optimo placeant. *Meminisse itaque, fratres dilectissimi, & scire debemus, ait S. Cyprianus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placeamus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis.* (Tract. de orat. Domin. edit. Baluz. pag. 207.)

Qui es in caelis. Quibus ex verbis ne concludas Deum cæli spatio, veluti quibusdam cancellis, contineri & circumscribi; siquidem & Salomon testatur cælos caelorum eum capere non posse; (Lib. 3. Reg. 8. v. 27.) & Deus ipse per Prophetam ait, *cælum suam sedem esse, terram autem scabellum pedum suorum.* (Isa 66. 1.) Quibus verbis significat se non certo quodam loco includi, sed ubique præsentem adesse. Verùm quia inenarrabilem ejus gloriam concipere non poterat mentis nostræ imbecillitas, nobis hæc per cælum designata est, quo nihil augustius, nihil majestate plenius sub aspectum nostrum venire potest.

Sanctificetur nomen tuum. Primâ hæc petitione oramus ut Deus, cui sua semper constat sanctitas, apud omnes homines sanctus habeatur; ut ab omnibus & singulis cognoscatur, laudetur, celebretur; ut Deus ad sui nominis reverentiam totum subigat genus humanum. Bonos enim filios decet ut paterni nominis curam gerant. *Primum omnium quæ petuntur, inquit Augustinus, hoc est, sanctificetur nomen tuum: quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei; sed ut sanctum habeatur ab hominibus; id est, ut illis innotescat Deus,*

ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. (*Lib. 2. de serm. Dom. in monte, cap. 5. n. 19. tom. 3. part. 3. pag. 207.*)

Adveniat Regnum tuum. Per Regnum Dei intelligitur gloria & felicitas aeterna, in cujus professionem Deus electos suos mittens, eos sic alloquetur: *Venite, benedicti Patris mei, possedete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* (*Math. 25. 34.*) Postulamus igitur à Deo ut post mortalem hanc vitam, nobis aeternam felicitatem impertiat quæ in perfecta ipsius dilectione & cognitione sita est: per hujusmodi enim amorem & cognitionem Deus in nobis planè regnabit. *In eo quòd dicimus, adveniat Regnum tuum, inquit Augustinus, desiderium nostrum ad illud Regnum excitamus, ut nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur.* (*Epist. 130. n. 21. tom. 2. pag. 390.*) Hanc præ ceteris interpretationem amplectitur S. Thomas: *Prima petito, inquit, ponitur: sanctificetur nomen tuum, per quam petimus gloriam Dei; secunda verò ponitur: adveniat Regnum tuum, per quam petimus ad gloriam Regni ejus pervenire.* (*2. 2. q. 83. art. 9. in corp.*)

Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. Hic jubemur orare ut, quemadmodùm Angeli cœlestesque Spiritus summo studio, summâ caritate & delectatione Deo serviunt, & in exequendis illius iussis prompti sunt & alacres; ita & homines qui in terris degunt, divinis mandatis obtemperare studeant. Tertiam hanc Orationis Dominicæ partem sic exponit S. Hilarius: *Vota sunt ut, sicuti voluntati ejus in caelis ad indefessis & cœlestibus virtutibus pareatur; ita & à nobis in terra pareatur, ne corporalis nos infirmitas ab exequenda ejus voluntate deflectat.* (*In Psal. 134. n. 22. pag. 478. edit. BB.*)

Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè. Panis nomine hic significatur quidquid ad præsentis vitæ sustentationem necessarium est. Quamvis enim la-

bori non parcendum sit, ut temporalis vitæ subsidia nobis comparemus, agnoscendum tamen est quotidianum victum à paternâ Dei benignitate & providentiâ in dies nos recipere. Nec industria, nec labor, nec manus nostræ per se quidquam nobis acquirunt, nisi adit Dei benedictio. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* (*1. Cor. 3. 7.*) Imò ne panis quidem copia nobis tantillum proficeret, nisi divinitus in alimentum verteretur.

Panis nomine intelligunt etiam SS. Patres necessaria vitæ spiritualis subsidia. *Modis duobus, inquit Augustinus, intelligenda est ista petitio de pane quotidiano, sive pro necessitate carnalis victus, sive etiam pro necessitate spiritualis alimonie.* (*Serm. 57. n. 7. de diversis, tom. 5. pag. 333.*)

1º. Quidem sacram Eucharistiam significari docent, in qua Christus nos carne suâ suoque sanguine pascit. Carnem suam non semel Christus panis nomine designavit: *Ego sum panis vivus qui de celo descendit: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea est promundi vita.* (*Joan. 6. v. 51. 52.*)

2º. Panem quem à Deo petimus exponunt SS. Patres de verbo Dei: *Sermo Dei, inquit Augustinus, qui nobis quotidie erogatur, panis noster quotidianus est; inde vivunt, non ventres, sed mentes.* (*Serm. 56. n. 10. de diversis, tom. 5. pag. 326.*) Sicut enim corpus pane temporali fraudatum languet & deficit, sic & vita animæ, nisi verbo Dei tanquam pane spirituali nutriatur.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Debitorum* nomine intelligenda sunt peccata; siquidem eandem hanc petitionem sic exprimit S. Lucas: *Et dimitte nobis peccata nostra.* (*Cap. 11. 4.*) Ideò vocantur debita, quia statim atque peccavit homo, divinæ justitiæ debitor est ac poenæ obnoxius; rogamus igitur Deum ut quæ commissimus delicta nobis condonet,

Unde colligit Augustinus Dominicâ oratione deleri peccata quotidiana & levia, modo, nobis verè displiceant. *Oratione quotidianâ, inquit, quam docuit ipse Dominus, ... delet quidem quotidiana peccata; cum quotidie dicitur: dimitte nobis debita nostra. (Lib. 21. de civit. Dei, cap. 27. n. 4. tom. 7. pag. 651. & 652.)*

Sed eâ lege nobis promittitur peccatorum venia, ut aliis condonemus quidquid injuriæ ab iis acceptum fuit. Conditionem hanc nobis etiam imponit Christus: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis peccata vestra. (Matth. 6. v. 14. & 15.)* Si ergo pertinaces inimicitias exercemus, si vitionem meditamur, & quâ noceamus occasione cogitamus; imò verò nisi cum inimicis redire in gratiam, ipsoque omni officiorum genere demereri & nobis conciliare nitimur, hâc precatione Deum obtestamur ne peccatorum remissionem nobis faciat.

Et ne nos inducas in tentationem. His verbis Deum oramus ut nos tentatione superari non permittat, sed parenti præsidio nos pares faciat ad victoriam. Quam autem assidue divinam opem implorare debeamus, ut adversus tentationes undique ingruentes firmi stare possimus, sentiet quisquis humanam imbecillitatem & fragilitatem compertam habuerit. Si enim Adamus cecidit cum tanta non peccandi facilitate, cum tanta gratiæ & donorum Creatoris ubertate, cum tantis liberi arbitrii prorsus sani & integri viribus; quid nobis metuendum non est, quibus adeò infirmis tot pericula imminet ab hostibus, tum domesticis, carni scilicet concupiscentiæque nostræ; tum extraneis, mundo nempe & diabolo? In ore igitur & animo frequens sit hæc petitio: *Ne nos inducas in tentationem*, ut Deus infirmitatem nostram suo semper præsidio muniat.

Sed libera nos à malo. Mali nomine Patres Græci

intelligunt diabolum qui sine addito dicitur *malus*, tum quia in summo malitiæ gradu immutabiliter constitutus est; tum quia homines ad malum sive peccatum impellere non desinit, omniumque malorum primus autor est; tum quia perpetuum nobis bellum infert, nosque odio capitali infectatur. Hinc illad S. Petri monitum: *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. (1. Petr. 5. 8.)* Orans igitur Deum ut à potestate diaboli nos liberet, tanquam ab ore rabidi alicujus leonis, qui dentibus & unguibus nos statim discerperet, nisi nos Dominus è media morte eriperet.

Mali nomine intelliguntur etiam varix quibus obnoxia est mortalis hæc vita calamitates. Ab iis autem multiplici modo nos liberat Deus; 1^o. cum eas imminentes depellit; 2^o. ubi servos suos in extremum discrimen adductos, servat integros & incolumes, ut tribus pueris in ardentem fornacem coniectis, & Danieli in lacum leonum detruso contigit; 3^o. quando præsentis vitæ incommoda viribus nostris attemperat, ut eas tolerare possimus; 4^o. fideles à malis liberat Deus, multa quibus sublevantur solatia iis interius impertiendo. *Benedictus Deus*, inquit Apokolus, *Pater misericordiarum, Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra..... Quoniam sicut abundant passionis Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. (2. Cor. 1. v. 3. 4. 5.)*

CAPUT VI.

De Horis Canonicis.

HORÆ Canonicae definiuntur: *Preces vocales ab Ecclesia institutæ, ejus nomine recitandæ à personis, quibus id officii specialiter commissum est.* Dicuntur 1^o. *preces vocales*, quia non mente dumtaxat, sed simul & voce peragendæ sunt; 2^o. *ab Ecclesia institutæ*, quo differunt ab iis quas privatus quisque potest eligere; 3^o. *nomine Ecclesiæ recitandæ*, quia sunt preces publicæ, sive in choro à Canonicis, sive extra chorum & privatim à Clericis perfolvantur; 4^o. *à personis quibus id officii specialiter commissum est*; alioquin totius Ecclesiæ nomine fieri non censentur.

Appellantur modo *Horæ Canonicae*, modo *Breviarium*; *horæ* quidem, eo quod certis horis, diurnis & nocturnis, pro locorum consuetudine recitandæ sint; *Canonicae*, quia Canonibus sive Legibus ecclesiasticis præscriptæ sunt; *Breviarium* autem, tum quia sacram Scripturam, & Patrum sententias breviter & summam exhibent; tum maximè quia longiorum precum quæ quondam in usu erant, sunt veluti compendium. Invenit scilicet sæculo XIII, Romæ conscriptus est divini officii liber, iis qui antea in usu erant longè brevior; in gratiam *Missionariorum* primum factus, ab aliis deinceps Clericis usu receptus est. Liber ille dictus est *Breve orarium*, id est, compendiosa præcatio, unde natum est nomen *Breviarii*.

Septem numerantur Horæ Canonicae, nempe *Matinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium*. Si spectentur quoad substantiam, nimirum pro precibus quæ

statis horis quotidie recitari consueverunt, antiquissima sunt. Id colligitur ex Constitutionibus Apostolicis quæ sæculo circiter tertio conditæ sunt. Sic enim habent: *Preces factæ manè, & tertid horæ, ac sextid, & nonid, & vesperè, atque in galli cantu.* (Apud Coteler. tom. 1. pag. 415.)

De Horis Canonicis septem expendenda sunt; primam qui teneantur eas recitare; secundam, quæ causæ ab ea recitatione eximant; tertium, utrum & quid restituere debeant Beneficarii qui Officii divini recitationem, citra justam causam, omiserunt; quartum, quæ formâ; quintum, quo tempore; sextum, quo ordine & quæ devotioe recitandæ sint Horæ Canonicae.

ARTICULUS I.

Quinam teneantur Horas Canonicas recitare.

Ad recitandas Horas Canonicas tenentur 1^o. Clerici qui aliquem ex sacris Ordinibus receperunt. *Dicendum*, inquit S. Thomas, *quod ad has septem horas teneantur Sacerdotes, & alii Clerici constituti in sacris Ordinibus, sive habeant beneficium, sive non.* (Opuscul. 65. cap. 1.)

Concilium Mediolanense I sub S. Carolo, sic pronuntiat: *Qui sacris initiati beneficium ecclesiasticum non habent, si divinum prætermiserint Officium, præter grave peccatum quod committunt, graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur.* (Tom. 15. Conc. pag. 273.)

2^o. Eadem lex iis incumbit qui beneficium ecclesiasticum habent, sive sint Ordinibus sacris initiati, sive non: id constat, tum ex Concilio Basileensi: *Quoscumque Beneficiatos, inquit, cum ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc Synodus ut diurnum nocturnumque Officium reverenter, verbisque distinctis peragent;* (Tom. 12)

Concil. pag. 534.) tūm ex Remensi an. 1583 : *Quisquis beneficium aliquod ecclesiasticum adeptus est, sciat se ad preces quotidianas quæ Breviario continentur, recitandas obligari;* (Tom. 15. Concil. pag. 888.) tūm ex Burdigalensi ejusdem anni: *Omnes, inquit, ipso jure ad officium obligantur, quicumque beneficiis ecclesiasticis potiuntur.* (Ibid. pag. 948.)

Quæres 1^o. utrūm ad recitandas horas teneatur, qui tenue admodū beneficium habet.

Resp. Ea de re non consentiunt Theologi; sed iis adharendū qui sententiam affirmantem propugnant. 1^o. Quia generalia sunt, nullamque exceptionem patiuntur prædicta Conciliorum decreta. 2^o. Quia recitandi Officii manus inducunt, non solum beneficii fructus, sed & ipse beneficii titulus; qui autem eum sponte accepit, onus etiam ipsi annexum suscipit. Unde sic docet S. Antonius: *Tenantur ex præcepto (ad Horas Canonicas) quilibet Clerici Beneficiati, & non existentes in sacris, nec excusare se possunt ratione exiguitatis beneficii, sed imputent sibi ex quo se fecerunt ad illud intulitulari.* (3. part. tit. 13. cap. 4. sect. 1.) 3^o. Quia, si potuit Ecclesia Clericos in sacris Ordinibus constitutos ad Officii recitationem obstringere, etiam si nullos ab ea fructus percipiant, quidni potuit eandem legem Clericis imponere, qui beneficium, quantumvis tenue, possident?

Quæres 2^o. an Breviarium recitare debeant qui ecclesiasticā pensione donati sunt.

Resp. satis esse ut parvum B. Mariæ Virginis Officium recitent. Ita definitum est à Pio V an. 1571: *Quicumque pensionem ecclesiasticam ut Clericus percipit, eum ad dicendum Officium parvum B. M. Virginis decernimus obligatum.* (Magn. Bullar. Rom. edit. Lugdun. an. 1653. tom. 2. pag. 344. col. 2.)

ARTICULUS II.

De causis quæ ab Officii recitandi lege eximunt.

Legitimæ quædam esse possunt causæ quæ ab Officii recitandi munere excusent. Prima est impotentia, vel *physica*, ut si tuo Breviario absque culpa careas, nec aliud in loco ubi versaris invenire possis; vel *moralis*, ut si quis gravi infirmitate laborans, Officium recitare nequeat, quin periculum sit vel ægritudinis exacerbandæ, vel curationis retardandæ. Qua in re Medici aut Superioris arbitrio, vel prudentis piique viri iudicio standum est. *Sed meminerit* (qui Officio adstrictus est) *se feбри, morbove aliquo vel adversâ valetudine leviter aliquandò laborantem, non justam propter excusationem habere, quamobrem illud intermitat, omittatve.* Verba sunt Consilii Mediolanensis IV an. 1576. (Part. 3. cap. 2. tom. 15. Conc. pag. 507.)

Secunda causa est *caritas*, sive honesta quædam occupatio quam sine gravi tuo, aut proximi incommodo differre vel omittere nequeas, ut necessaria infirmorum cura, vel Sacramentorum administratio quæ moram non patiat, nec Officii divini recitationem permittat. Ratio est, quod caritati quæ omnium virtutum præstantissima est, cedere debeant aliæ virtutes. Hæc autem exceptio locum non habet, nisi cum, adhibita omni diligentia, sat temporis non superest ad exercenda caritatis opera, simul & persolvendum Officium divinum.

Not. 10. Qui legitimam ob causam totum nequit Officii divini pensum exolvere, ad eam quam potest partem recitandam tenetur. Ab Innocentio enim XI damnata fuit hæc propositio, an. 1679: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest*

autem reliquas Horas, ad nihil tenetur quia pars major trahit ad se minorem. Illud quidem essatum locum habet in suffragiis quorum major numerus rem definit, lege sic præcipiente; nullius verò momenti est in aliis rebus dividuis & separabilibus, quales sunt Horæ Canonicae: alioquin qui centum quos debet aureos nequit rependere, non teneretur decem solvere, cum potest; pariter qui integram quadragesimam jejunare non valet, non teneretur, etiam si posset, quibusdam hebdomadae diebus jejunare, quæ absurda sunt.

Not. 2^o. Qui prævidet aliquid sibi assuturum esse impedimenti, debet Officium anticipare: qui enim ad munus aliquod obeundum strictè obligatur, eo fungi debet, cum potest: si quis, v. g. prævideat fore ut die festo non possit circa meridiem Missam audire, tenetur illud audiendæ Missæ tempus prævenire.

ARTICULUS III.

Utrum, & quid restituere teneantur Beneficarii qui Officii recitationem, citra causam legitimam, omiserunt

In restitutionis obligationem incurrere Beneficarium, qui suâ culpâ Horas Canonicas omisit, nemo sapiens negaverit: qui enim stipendium eâ lege recipit, ut quodam fungatur munere, illud si neglexerit, ex iustitia tenetur restituere. Quæ de re sic à Pio V constitutum est in Bulla an. 1571, quæ his verbis, *Ex proximo Lateranensi Concilio incipit. Qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii fructus qui illi aut illis diebus responderent, si quotidie dividerentur amittat.* Si, v. g. fructus beneficii valeant 365 aureos, unum aureum amittet qui uno die Horas Canonicas non recitaverit. Si Matutinum

cum Laudibus omisum est, dimidia pars fructuum illius diei; si omnes aliæ horæ neglectæ fuerint, altera dimidia pars; & tandem pro singulis horis prætermisissis, sexta pars restituenda est.

Quæres 1^o. an restituere teneatur Beneficiarius ante Judicis sententiam.

Resp. Tenetur. Nonnullæ quidem sunt pœnæ in quas ante Judicis sententiam non incurrimus. Ex earum autem numero non sunt pœnæ quæ jure naturali infliguntur. Hujusmodi verò est restitutio de qua hic agitur: vetat enim jus naturale ne retineatur stipendium, si omisum fuerit munus cui, tanquam conditioni ex qua pendet, illigatum est. Hinc ab Alexandro VII, & à Clero Gallicano damnata fuit ista propositio: *Restitutio à Pio V imposita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis (Mém. du Clergé, édit. an. 1716. tom. I. p. 735.)*

Quæres 2^o. cui fieri debeat hæc restitutio.

Resp. à Concilio Lateranensi & à Pio V constitutum esse an. 1571, ut quicumque divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro ratâ omissionis Officii & temporis, suos non facit; sed eos tanquam injustè perceptos in fabricam ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si Beneficiarius ipse verè iudigeat, potest juxta communem opinionem ejusmodi fructus sibi, tanquam pauperi, applicare. Quia tamen facilimum est in propria causa sese decipere, & paupertatem fingere ubi non est, utendum existimamus vel Confessarii, vel prudentis viri judicio.

Quæres 3^o. an Beneficiarius qui Officium omisit, sed alia sui beneficii munia implevit, possit eam fructuum partem retinere, quæ suo labori respondeat.

Resp. in solvenda hac quaestione dissidere Theologes. Alii contendunt Beneficiarium de quo agitur teneri, pro rata Officii prætermitti, fructus beneficii restituere, etiamsi alias muneris sui partes expleverit.

Pius V, inquit, in sua Constitutione sic habet: Qui Horas omnes Canonicas, uno vel pluribus diebus intermiserit, amittat omnes beneficii vel beneficiorum fructus qui vel illi, vel illis diebus respondent: atqui si partem fructuum aliis quæ implevit ministeriis parem retineret, jam non restitueret fructus omnes, qui diebus per quos neglectum fuit Officium respondent. Præterea nimium incerta foret lex, si in Beneficiarii cujusque arbitrio esset, fructus sibi retinere qui aliis, præter Officium divinum, functionibus respondent, ceteros vero restituere. In nihilum abiret hæc restitutio; vix enim reperirentur fructus horarum recitationi congruentes. Tandem Ecclesia, ut Beneficiarios ad persolvendum Officium divinum sollicitos redderet, decernere potuit ut qui pensum illud neglexerint, omnes beneficii fructus huic omissioni æquales amitterent. *Quare, omnibus æquæ lance librans, inquit Concina, existimo probabiliorem esse hanc sententiam.*

Contrarium tamen defendunt non pauci Theologi, qui docent Bullam Pii V cum tanta severitate receptam non fuisse, & Beneficiarium posse fructuum partem suis laboribus parem retinere, quia privatione illius partis quæ horarum recitationi omisæ respondet, satis mulctatur. Ita *Habert, & alii.*

ARTICULUS IV.

ARTICULUS IV.

Quæ formâ recitandum sit Officium divinum.

Quæres 1^o. quo Breviario uti debeant Clerici qui divinis Officiis obstringuntur.

Resp. 1^o. Si Clericus cupiam Ecclesiæ vel titulo beneficii, vel aliter sit addictus, tenetur Officium recitare diœcesis in qua vel beneficium habet, vel servitium præstat. *Clericus ex hoc ipso quoddam est Clericus, ait S. Thomas, tenetur dicere Horas Canonicas; sed in quantum est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere Officium secundum modum illius Ecclesiæ. (Quodlib. 6. art. 8.)*

Resp. 2^o. Si Clericus nec certæ Ecclesiæ serviat, nec Ordini religioso sit mancipatus, liberum ipsi est juxta communem sententiam, ubicumque sit, Ecclesiæ Romanæ, ceterarum Principis, Officium sequi. Satius tamen est ut Clericus illius diœcesis Officium recitet, in qua suum habuerit domicilium, juxta istam Augustini regulam: *Faciat quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit. (Epist. ad Januarium, n. 6. tom. 2. p. 126.)*

Quæres 2^o. utrum præcepto satisfaceret, qui sciens & volens, unum Officium pro alio recitaret.

Resp. Præcepto non satisfaceret; siquidem non præcipit Ecclesia ut recitetur Officium in genere, sed hoc vel illud, alicujus, v. g. Sancti, vel feriat.

Præterea si unum Officium alterius loco recitans præceptum impleverit, citra culpam posset vel idem quotidie repetere, vel singulis diebus Officium anni brevissimum in longioris locum

substituit, quod nemo sanus dixerit..... Ea est enim Ecclesie mens, ut suorum Ministrorum preces nonnullis diebus sint prolixiores quam aliis, variisque Festis accommodata.

Quæres 3^o. an Officium denud incipere teneatur, qui per errorem, vel incogitantiam minimè culpabilem, unum pro alio bonâ fide recitasset.

Resp. eum, juxta sententiâ magis communem, non teneri ad repetendum, si errorem suum non animadvertat, nisi peractâ totius Officii recitatione. Bona quippè ipsius fides benignam hanc mentis Ecclesie interpretationem postulare videtur: si verò, post absolutum, v. g. Matutinum, errorem deprehendat, probabilis est eum posse & debere ceteras horas recitare ex Officio quod diei proprium est. Ita sentit autor Ethicæ amoris, (Lib. 10. cap. 21.) & alii.

ARTICULUS V.

Quo tempore privatim recitandum sit Officium.

Officium quod nunc dicimus *Matutinum*, olim vocatum fuit *Nocturnum*, & circa mediam noctem recitari solitum. Quod verò nunc *Laudes* appellamus, ab antiquis nuncupatum fuit *Matutinum*, & manè legendum erat. Horæ autem diurnæ, scilicet *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, iis horis recitabantur, à quibus suum nomen habuerunt. *Prima*, statim ab exorto sole, ut satis indicat hujus Officii hymnus qui sic incipit: *Jam lucis orto sidere*; *Tertia* circa nonam diei horam; *Sexta* circa meridiem; *Nona* versus horam tertiam vespertinam; *Vesperæ* post solis occasum, illudque Officium dictum fuit *Lucernarium*, quia tunc lucernæ utendum erat. Postquam autem *Vesperis* additum fuit *Completorium*, inceptum est anticipari tempus *Vesperarum*,

Dubitari non potest quin longè perfectius & utilius sit, singularum horarum Officia propriis suis temporibus recitare, quam multa simul, nec habitâ horarum vel temporum ratione, conjungere. 1^o. Enim, inquit Bellarminus, sic satisfit Ecclesie institutioni, quæ idèd in certas horas diurnas atque nocturnas Officium distribuit, ut in iisdem horis, atque aded per omnes diei partes Deum laudemus.

2^o. Sic maxima utilitas ex Officii recitatione ad nos accedit, dum tam crebrò ad nos ipsos redimus, & à tumultibus sæculi ad pacem Dei animum revocamus.

3^o. Quia sic labor precum horarum in tot partes divisus ita minuitur, ut levissimus ac penè nullus videatur. (De bonis operib. in particulari, lib. 1.)

Quæres quo pacto sese gerere debeant qui veterem quam exposuimus disciplinam, vel planè sequi non possunt, vel ut eam penitèns observent non satis habent fervoris.

Resp. 1^o. cum S. Antonio: Non videtur de se esse mortale, quandocumque tardi quis dicat Officium, dummodò non transeat dies qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem. (3. part. tit. 13. cap. 4. sect. 4.)

Resp. 2^o. Ut venialiter non peccetur, debent Officia singularum horarum, ait Bellarminus, illis horis celebrari, unde nomina accederunt: esse autem peccatum veniale, à canonico tempore in Officio persolvendo recedere, communis est sententia Theologorum. (Ibid.)

Cum autem in moralibus locum non habeat rigor metaphysicus, monèt idem Cardinalis venialiter in hac parte non peccari, nisi quando longè receditur à tempore canonico, & absque ulla rationabili causa,

ARTICULUS VI.

Quis ordo & quæ devotio in recitandis Horis adhiberi debeant.

Quæres 1^o. quis adhibendus sit ordo.

Resp. In horis recitandis ille generatus servandus est ordo, qui ab Ecclesia fuit institutus. Ab eâ verò sancitum est ut primò recitentur Matutinum & Laudes, deinde Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium. Si quis tamen legitimam ob causam præfatum ordinem interverteret, Tertiam, v. g. ante Primam recitando, non peccaret: ratio est, quod Ecclesia præcepta non obligent, ubi ea non servandi iusta occurrat causa, ut, v. g. cum aliquis, Officio Matutino nondum persoluto, chorum ingreditur, dum canitur Prima: choro enim sese accommodare debet, & idcirco Primam cum aliis cantare, deinde Matutinum privatim recitaturus; pariter ubi aliquis horam recitando, meminit omissam à se fuisse ex mera oblivione horam præcedentem. Graviter autem peccaret qui citra causam legitimam ab ordine præscripto recederet: hæc enim agendi ratio non levem demonstraret Legis Ecclesiasticæ contemptum.

Quæres 2^o. quænam devotio in horis recitandis afferenda sit.

Resp. 1^o. adhibendam esse devotionem externam, quæ sita est in habitu corporis ad decentiam & reverentiam composito. *Cogitemus*, inquit S. Cyprianus, *nos sub Dei conspectu stare; placendum est divinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis.* (Lib. de Orat. Domin. pag. 204.) Si verò quæseris qualis esse debeat corporis situs, respondeo in publica Officii recitatione, teneri

quemque ad eum corporis statum sese componere, qui Rubricis aut locorum consuetudine præscribitur, & in choro servatur: in horis verò privatim recitandis, nulla est lex quæ certum corporis situm præcipiat. *Non est præscriptum*, inquit Augustinus, *quomodo corpus constituatur ad orandum, . . . nam & stantes oramus, sicut scriptum est: Publicanus de longinquo stabat; & flexis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus; & sedentes, sicut David & Elias.* (Lib. ad Simplician. quæst. 4. tom. 6. pag. 117 & 118.)

Ad devotionem externam pertinet etiam, ut Officium distinctâ voce recitetur. *Caveant*, inquit Concilium Trevirense an. 1549, *qui . . . extra chorum horas privatim legunt, ne somnolente, aut truncatis verbis, aut intra fauces compresso spiritu, preces demurmurent; sed articulatè, distinctè, discretè, & cum attentione integrè omnia pronuntiant.* (Tom. 14. Concil. p. 710.)

Resp. 2^o. In Officio recitando necessariam potissimum esse devotionem internam, quæ scilicet animus in Deum erigatur. Præcipuæ enim orationis partes in mente & animo sitæ sunt; vel potius oratio ipsa propriè est interior cordis affectus qui apud Deum, cordium scrutatorem effunditur & exponitur. Ad excitandam verò & nutriendam hanc pietatem requiritur aliqua animi præparatio: *Ante orationem*, inquit Ecclesiasticus, *præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* (Cap. 18. 23.) Per orationes Canonibus præscriptas, Clericus Deum inter & homines, intercessoris & deprecatoris vices agit. Quis verò hujusmodi ministerium habeat ut rem levem ad quam nullâ opus præparatione?

Quæres 3^o. quotuplex sit hæc præparatio.

Resp. Duplex distinguitur, *remota* nimirum & *proxima*. *Remota* sita est in peccatorum fuga, in bonorum operum studio, & vita tum gene-

ralibus Evangelii præceptis, tum specialibus quæ ad clericalem statum pertinent regulis accommodata. Peccata enim intellectum obnubilant, voluntatem inficiunt, concupiscentiam augent, animumque variisurbationibus distrahunt; quæ omnia sunt piæ orationis impedimenta.

Præparatio proxima ea est quæ orationem immediate præcedit. Priusquam enim preces & Officii divini recitationem aggrediamur, mentem, quantum fieri potest, à negotiis temporalibus revocare oportet, ut sese totam ad Deum erigat, & ab eo postulet spiritum gratiæ & precum. (Zachar. 12. 10.)

Quæres 40. quid præter utramque præparationem mox expositam requiratur ad devotionem internam.

Resp. præterea necessariam esse attentionem, de qua supra dictum est: *Loquentes vobismetipsis, inquit Apostolus, in Psalmis & Hymnis, . . . psallentes in cordibus vestris Domino. (Ephes. 5. 7. 19.) Psallam spiritu, psallam & mente. (1. Cor. 14. 15.)* Hinc illud S. Caroli monitum in Concilio Mediolanensi IV: *Admonemus omnes & singulos nostræ diœcesis . . . ecclesiasticos homines, . . . ut animo se colligentes, ac pietatis studio accensi, . . . quod ore psallunt, item spiritu psallant & mente in conspectu Domini (Ad. Mediol. p. 290. edit. Lugd.)*

DISSERTATIO II.

De externis Religionibus actibus.

PRÆCIPUI Religionis actus externi sunt adoratio, sacrificium, juramentum, & votum. De adoratione, in Tractatu de Incarnatione; de sacrificio, in Tractatu de Eucharistia dictum fuit; superest igitur ut de juramento & voto disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De Juramento.

DE juramento quintuplex erit disquisitio: prima, de naturâ, nomine & divisione juramenti; secunda, de licito illius usu; tertia, de conditionibus ad licitè jurandum requisitis; quarta, de obligatione quam inducit juramentum promissorium, & quandonam cessat; quinta, de juramenti petitione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Natura, Nomine & Divisione Juramenti.

Quæres 10. quænam sit juramenti definitio.

Resp. Juramentum à S. Thoma definitur *invo-catio divini Nominis ad fidem faciendam, aut promissionem firmandam. (2. 2. quæst. 89. art. 1.)* Juramenti nomen à jure derivatur, sive quia jure

ralibus Evangelii præceptis, tum specialibus quæ ad clericalem statum pertinent regulis accommodata. Peccata enim intellectum obnubilant, voluntatem inficiunt, concupiscentiam augent, animumque variisurbationibus distrahunt; quæ omnia sunt piæ orationis impedimenta.

Præparatio proxima ea est quæ orationem immediate præcedit. Priusquam enim preces & Officii divini recitationem aggrediamur, mentem, quantum fieri potest, à negotiis temporalibus revocare oportet, ut sese totam ad Deum erigat, & ab eo postulet spiritum gratiæ & precum. (Zachar. 12. 10.)

Quæres 40. quid præter utramque præparationem mox expositam requiratur ad devotionem internam.

Resp. præterea necessariam esse attentionem, de qua supra dictum est: *Loquentes vobismetipsis, inquit Apostolus, in Psalmis & Hymnis, . . . psallentes in cordibus vestris Domino. (Ephes. 5. 7. 19.) Psallam spiritu, psallam & mente. (1. Cor. 14. 15.)* Hinc illud S. Caroli monitum in Concilio Mediolanensi IV: *Admonemus omnes & singulos nostræ diœcesis . . . ecclesiasticos homines, . . . ut animo se colligentes, ac pietatis studio accensi, . . . quod ore psallunt, item spiritu psallant & mente in conspectu Domini (Ad. Mediol. p. 290. edit. Lugd.)*

DISSERTATIO II.

De externis Religionibus actibus.

PRÆCIPUI Religionis actus externi sunt adoratio, sacrificium, juramentum, & votum. De adoratione, in Tractatu de Incarnatione; de sacrificio, in Tractatu de Eucharistia dictum fuit; superest igitur ut de juramento & voto disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De Juramento.

DE juramento quintuplex erit disquisitio: prima, de naturâ, nomine & divisione juramenti; secunda, de licito illius usu; tertia, de conditionibus ad licitè jurandum requisitis; quarta, de obligatione quam inducit juramentum promissorium, & quandonam cessat; quinta, de juramenti petitione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Natura, Nomine & Divisione Juramenti.

Quæres 10. quænam sit juramenti definitio.

Resp. Juramentum à S. Thoma definitur *invo-catio divini Nominis ad fidem faciendam, aut promissionem firmandam. (2. 2. quæst. 89. art. 1.)* Juramenti nomen à jure derivatur, sive quia jure

introducendum est, inquit S. Doctor, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur; (Ibid.) sive quia Juramentum est veluti jus, sive lex quaedam quæ sese obstringit aliquis ad ea faciendâ quæ juravit.

Divinum testimonium duobus modis invocari potest; 1o. *expresse*, cum Deus ipse testis induitur, ut si dixeris: *Juro per Deum; mihi Deus testis est; obtestor Deum*: 2o. *implicite*, cum scilicet juratur per creaturas, per cælum, per terram, per sacra Dei Evangelia, per Sanctorum Reliquias: *Neque enim hæc ipsa*, inquit Concilii Tridentini Catechismus, *per se jurjurando auctoritatem aut robur aliquod afferunt; sed Deus ipse hoc præstat, cujus divinae majestatis splendor illis in rebus elucescit.* (Part. 3. de 2. Decalog. præcepto, n. 13.) Hinc qui jurat per cælum, per terram, per Evangelium, censetur horum auctorem & conditorem in testimonium advocare.

Hæc divini testimonii invocatio fieri potest, tum *verbo*, ut si dixeris: *juro per Deum*; tum *nutu*, ut si interroganti utrum jures per Deum, oculis, capite, vel aliter annuas; tum *facto*, ut si tibi offeratur juramentum cum Evangeliorum Codice, & Librum ipsum tangas, jurare censeris, quamvis nihil verbi proferas; tum *mente*, ut si intra animum tuum juraveris te aliquid facturum, ad illud exequendum virtute Religionis in foro interno obstringeris.

Quæres 2o. quomplex sit juramentum.

Resp. Dividitur 1^o. in *assertorium*, *promissorium*, & *execratorium*. *Assertorium* illud est quo Deus invocatur in confirmationem rei, vel *præteritæ*, ut si dicas: *Juro me illud delictum heri non commisisse*; vel *præsentis*, ut si dixeris: *Juro me prorsus ignorare istud de quo interrogor*. *Promissorium* illud est quo promissa confirmamus, hoc v. g. modo: *Juro me tibi aureos mille daturum*. *Execratorium* est at-

testatio Dei ut vindicis. Triplici modo proferri potest; 1o. malum à Deo infligendum expressè sibi imprecando, v. g. *Deus me puniat, perdat, damnet*. In Jure Canonico usurpatur hæc formula: *Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia*: quæ execratio gravissima est; idem enim est ac si diceretur: *Deus me non adjuvet, si falsum dixerim*. 2o. Quando aliquis jurat cum imprecatione pœnæ cujuscumque sibi per creaturas inferenda, v. g. *fulmea me feriat, diabolus me rapiat, terra me deglutiat*. 3o. Quando juratur per salutem & vitam parentum, filiorum, Principis; perinde est enim ac si diceretur: *Pereat salus, pereant parentes, filii, Princeps, si verum non loquor*. Hujusmodi juramentum sic adhibet Joseph: *Per salutem Pharaonis non egredimini hinc.* (Genes. 42. 15.)

2o. Juramentum aliud est *simplex* quod scilicet à privatis hominibus proferitur. Aliud *solemne* quod peculiari ritu & forma à jure aut consuetudine præscriptis adhibetur; contactu, v. g. Evangeliorum, crucis, altaris, &c.

3o. Juramentum distribuitur in *extrajudiciale* quod extra judicium, & *judiciale* quod proferitur in judicio, sive coràm judice, quale est illud quod exigitur à testibus, quorum testimonium aliqui nullius esset momenti.

Quæres 3o. an istæ loquendi formulæ: *In veritate per fidem meam, per meam conscientiam, & istæ aliæ: Per fidem boni Christiani, per fidem Religiosi, per fidem Sacerdotis*, juramenta sint propriè dicta.

Resp. juxta communem existimationem, præfatas loquendi formulas per se vim juramenti non habere, quia per eas non fides aut veritas divina invocatur, sed humana: hæc enim verba: *In veritate, per fidem meam, per meam conscientiam, id unum significant: Me vera loqui certus sum, &*

intimè confcius; istæ verò locutiones: *Per fidem boni Christiani, per fidem Religiosi, Sacerdotis*, hunc sentum efficiunt: *Eâ veritate & sinceritate loquor*, quâ bonum Christianum, Religiosum, Sacerdotem loqui decet. Aliter tamen sentiunt nonnulli Theologi: *Nec enim mihi ratio suppetit*, inquit Concina, quâ præfatas formulas à vi juramenti liberare valeam. Communiter Theologi affirmant quòd jurare per res sacras, putà, per *Templa, per Altaria, per Reliquias Sanctorum*, sit verum juramentum; quidam ergo juramentum erit dicere: *Per fidem Christiani, Religiosi, Sacerdotis? Nonne sacrum est Sacerdotium, sacer religiosus & christianus status, seu christiana & sacerdotalis professio?* Ex ea verò Theologorum dissensione id saltem colligendum est, à prædictis loquendi formulis cautè abstinendum esse.

Quæres 4^o. utrùm qui deliberatè jurat sine animo jurandi, verum proferat juramentum.

Resp. Docent plerique Theologi in casu proposito verum non adesse juramentum ex defectu intentionis necessariæ. Hanc autem opinionem approbare non possumus: ratio est, quòd ab hominis voluntate non pendeant verborum significatio & effectus; cum igitur quispiam deliberatè & seriò Deum in veritatis confirmationem invocat, jam non potest internâ quâdam animi reluctatione efficere, ut invocatio illa verum non sit juramentum. In hujusmodi homine duæ reperiuntur intentiones contrariæ; alia scilicet quâ jurans reipsâ Deum vocat in testimonium, externumque profert juramentum; alia quâ jurare nolit. Duæ illæ intentiones sese mutuo collidunt; sed prior alteri prævalet effectumque parit, nempe externam jurationem; posterior autem est inefficax, & mera velleitas huic similis quâ mercator, imminente naufragio, merces suas in mare proficere nolle, licet eas verè & efficaci voluntate projiciat. Undè

manifestè sequitur externam illam divini testimonii invocationem, esse veri nominis juramentum, quia à deliberatâ voluntate proficitur.

ARTICULUS II.

An licitus sit Juramenti usus.

Ex se illicitum esse juramenti usum docuerunt nonnulli Hæretici, & inter recentiores Wiclefus; siquidem inter illius propositiones in Concilio Constantiensi damnatas an. 1418, reperiunt ista ordine 43: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia.* (Sess. 8. tom. 12. Concil. pag. 47.) Idem sentiunt exorti sæculo XV Anabaptistæ.

PROPOSITIO.

Licitus est Juramenti usus.

Probat. Id licitum est quod Deus ipse fecit, quod divina Lex approbat, quod usurpant tam veteris, tàm novi Testamenti homines püssimi: atqui 1^o. juramentum adhibuit ipse Deus, ut non semel legere est in Scripturis: *Per memetipsum juravi*, dicit Dominus, *quia fecisti hæc rem, & non peperisti filio tuo unigenito propter me, ... benedicentur in semine tuo omnes gentes.* (Genes. 21. v. 16. & 17.) *Juravit Dominus, ... tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (Psal. 109. 4.) Denique sic habet Apostolus: *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam nomen habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum* (Hebr. 6. 13.) 2^o. Juramentum approbat Lex divina: *Dominaum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* (Deut. 6. 13.) Prophetæ quos genuinos esse Legis divinæ interpretes nemo negaverit, nedùm juramentum repro-

beat, illius faciendi modum præscribunt: *Jurabis*, inquit *Jeremias, in veritate, & in judicio, & in justitia. (Jerem. 4. 2.)* David testatur eum à Deo remunerandum esse, qui fidem juramento datam servaverit: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? ... qui jurat proximo suo, & non decipit. (Psal. 14. 4.)*

30. Juramentum adhibuerunt non solum veteris Testamenti homines pietate insignes, quibus familiaris fuit hæc formula, *vivite Dominus*; sed etiam qui tempore Legis Evangelicæ vixerunt: *Testis mihi est Deus*, ... inquit S. Paulus, quod sine intermissione memoriam vestri facio. (Rom. 1. 9.) *Testem Deum invoco in animam meam. (2. Cor. 1. 23.)* Quæ ad Galatas scribit juramento confirmat: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. (Galat. 1. 20.)* Merito igitur dicit Augustinus: *Invenimus jurasse Sanctos, jurasse principibus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum; ... non ergo est peccatum jurare. (Serm. 180. n. 2. tom. 5. p. 859 & 860.)*

Confirmatur ratione: Illud licitum est cujus laudabilia sunt principium & finis: atqui ex utraque illa parte nihil nisi laudabile in juramento reperitur. Suum enim habet principium ex fide quæ credunt homines Deum esse primam & summam veritatem, quæ nec falli unquam, nec fallere potest, cujus oculis omnia nuda sunt & aperta, vel intimi etiam cordis humani recessus: finis autem juramenti eo spectat, ut probetur hominis justitia & innocentia, ut dirimantur lites & controversiæ, juxta illud Apostoli: *Omnis controversia eorum (hominum) finis ... est juramentum. (Hebr. 6. 16.)*

Dices: Sic docet Christus: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum, ... neque per terram; (Matth. 5. 34.)* ergo juramentum quodcumque prohibet Christus.

Resp. distinguendo & explicando textum. Non urare omnino, quando nulla compellit necessitas, conc. ubi compellit necessitas, neg.

Ut veram illius loci interpretationem assequamur, ad scopum Christi animum advertamus. Ipsi mens erat Legem divinam à falsis Scribarum & Phariseorum commentis vindicare. Scilicet in animum sibi induxerant, nihil in juramento cavendum esse præter mendacium; quasi verb non perjuriam tantum, sed & inania & supervacanea juramenta lex non interdiceret. Judæi isto Phariseorum errore decepti, propter causas leves jurabant sæpissimè. Pravam hanc consuetudinem redarguit Christus, docerque à juramenti omnino esse abstinendum, nisi gravis jurandi necessitas urgeat. Objectum locum ita interpretatur Augustinus: *Intelligendum est illud quod dictum est, omnino, ad hoc positum ut, quantum in te est, non assedes, non ames, non ... appetas jusjurandum. (Lib. de mendacio, cap. 15. n. 8. tom. 6. p. 437.)*

Inst. Christus sic præcipit: *Sic autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius est, à malo est; (Ibid. v. 37.)* ergo malum est juramentum, idèque nunquam licitum.

Resp. Neg. consq. Non ait Christus juramentum esse malum, sed à malo; quia scilicet aliquid vitii arguit nempe illius cujus gratià juratur diffidentiam & contumaciam, qui ut credat aliter adduci non potest: *Si jurare cogaris*, inquit Augustinus, *scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades, quæ utique infirmitas malum est: ... itaque non dixit (Christus) quod amplius est, malum est; tu enim malum non facis, qui bene veris juratione quæ necessaria est ut alteri persuadeas quod utiliter suades; sed à malo est illius cujus infirmitate jurare cogaris. (Lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 17. n. 51. tom. 3. part. 2. p. 188.)* A malo eam est juramentum, quia non exigitur, nisi propter hominis ad mendacium proclivitatem quæ protectio mala est.

ARTICULUS III.

De conditionibus ad licitè jurandum requisitis.

Ut licitè adhibeatur juramentum, tres conditiones requirit Jeremias. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio & in justitia.* (Cap. 4. 2.) Quæ tria in juramento ita simul conjuncta esse debent, ut si vel unum defuerit, in perjurium vertatur: *Animadvertendum est, inquit S. Hieronymus, quòd jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium, atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.* (Comment. in cap. 4. Jerem. tom. 3. pag. 346.) Singulas illas tanti momenti conditiones totidem in paragraphis seorsim expendere operæ præteritum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Veritate in Juramento requisita.

Primum, inquit Catechismus Concilii Tridentini, in jurejurando locum veritas habet, nimirum ut quod asseritur, & ipsum verum sit, & qui jurat, id ita esse arbitretur; non quidem temerè, aut levi conjecturâ adductus; sed certissimis argumentis. (Part. 3. de 2. præcept. Decalog. n. 17.) Idem sic docet Cardinalis Bellarminus: *Ad testificandum nomine Dei aliquid, requiritur verissima certitudo, nec sufficit probabilis opinio: . . . non enim licet juramento, id est, Dei testimonia uti in re quam opinemur veram; sed solum in re quam certissimè sumus esse veram.* (Lib. 1. de Sacram. in genere, cap. 16.) Ex quibus colligitur ad licitè verèque jurandum, requisitam esse certitudinem moralem quæ omnem excludat prudentem dubitationem. Hanc autem certitudinem non pariunt rationes

probabiles tantum & verisimiles; siquidem non omnem auferunt dubitandi locum; necessaria igitur sunt gravissima argumenta, quæ nos certos efficiant de re quam juraturi sumus: alioqui periculum esset ne Deum in falsi testimonium invocarem; quod sine gravi peccato fieri non potest.

Quæres 10. utrùm qui non satis diligentiae adhibuit in inquirenda rei quam jurat veritate, peccet graviter, etiam si contingat rem esse veram.

Resp. eam mortaliter peccare, qui in re tanti momenti necessariam omittit diligentiam: periculo enim sese exponit Deum falsitatis testem invocandi. Ideo regulam hanc statuit S. Thomas, nempe in juramento religiosius cavendum esse, quam in aliis actibus humanis, ne à veritate & judicio recedatur: *In juramento periculum est magnum, tum propter Dei magnitudinem, cujus testimonium invocatur; tum etiam propter labilitatem linguæ cujus verba juramento confirmantur, & ideo veritas & judicium magis requiruntur ad juramentum, quam ad alios actus humanos.* (2. 2. quæst. 89. art. 3. ad 3.)

Quæres 20. an aliquando perjurium committat, qui id jurat quod verum esse putat, licet tamen falsum sit.

Resp. cum Catechismo Concilii Tridentini, eam peccare qui id jurat quod verum existimat, & tamen reverè falsum est, nisi, quantum potuit, curam & diligentiam adhibuerit, ut totam rem competentem atque exploratam haberet. (Ubi suprâ, n. 28.) Qui tamen rem jurat quam falsam esse credit, longè gravius peccat quam qui falsum jurat quod verum esse temerè opinatur. Ita S. Thomas. (2. 2. quæst. 98. art. 1. ad 3.)

Quæres 30. an mortaliter peccet qui in re levissima falsum jurat,

Resp. Negant recentiores quidam Casuista, inter quos Bauni qui sic docet: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem.* (Summ. pag. 65.) Quæ propositio ab Innocentio XI damnata est, & merito quidem: perjuri enim malitia suam gravitatem non ducit ex mendacio, sive gravi sive levi, verum ex injuria quæ supremo Numini irrogatur: atqui atrocissima Deo inferitur injuria, cum in falsitatis testimonium invocatur, sive gravis sive levis sit materia juramenti. Qui enim ita agit tacite testatur Deum fallere aut falli posse, eumque falsi frustratorem & approbatorem, quantum in se est, constituit: nec per eum stat quominus mendacium sanctissimo ejus Nomini quodam modo inuratur. Idcirco qui in nomine Dei pejerat, illud polluere dicitur: *Non perjurabis in Nomine meo, nec pollues Nomen Dei tui.* (Levit. 19. 12.)

Quinimò S. Thomas statuit perjurium in re levi, quâdam ex parte gravius esse peccatum, quàm in materia gravi; quatenus scilicet absque ulla causa Nomen Dei profanat: *Ille qui jocosè perjurat, non evitat divinam irreverentiam; sed quantum ad aliquid magis auget, & idèò non excusatur à peccato mortali.* (2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2.)

Quæres 40. an perjurium committat, qui restrictionem mentalem aut voces ambiguas, quæ duplicem sensum involvunt, jurando adhibet. Restrictio mentalis in eo sita est, ut aliud in verbis, & aliud in mente habeatur; ut si mutuùm petenti respondeas: *Non habeo pecuniam, subintelligendo interius, quam tibi dare velim.*

Resp. Recentiores quidam eum à perjuri crimine liberant, qui in juramento voces æquivocas, vel restrictionem mentalem adhibeas, alium cui jurat decipit. Sic, v. g. habet Sanctius: *Si quis... juret se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel*

aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis additum verum, reverà non mentitur, nec est pejerans. Propositionem hanc damnavit Innocentius XI anno 1679, & Clerus Gallicanus in generalibus Comitibus an. 1700 (Mém. du Clergé, tom. 1. p. 728. édit. an. 1716.)

Illud artificiose fraude plenum generatim sic prohibet Scriptura: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* (Eccli. 37. 23.) Juramenta verbis fallacibus & æquivocis prolata, veluti totidem perjuria exhibent SS. Patres: *Perjuri sunt,* inquit Augustinus, *qui servatis verbis, expectationem eorum quibus jurandum est deceperint.* (Epist. 125. n. 4. tom. 2. p. 366.) *Expectationem eorum quibus juratur, ait idem Doctor, quisquis deceperit, non potest non esse perjurus:* (Epist. 126. n. 13. tom. 2. pag. 372.) atqui expectationem hanc decipiunt, qui ita æquivocè jurant, ut aliud animo tegant, & aliud verbis significant.

Quæres 50. an perjurium & peccatum mortale committat, qui rem juramento promissam in materia levi non præstat.

Resp. Si nonnullis fides adhibeatur, nec perjuri, nec peccati mortalis reus erit qui rem juramento promissam, in materia levi non exequitur: sed rejicienda est hæc opinio. Ex Augustino enim supra laudato, *expectationem eorum quibus juratur quisquis deceperit, non potest non esse perjurus:* atqui expectationem hanc decipit, quisquis rem juramento promissam, quantumvis exigua sit, non præstat. S. Raymondus agens de homine qui aliquid tempore definito se perfoluturum juravit, *Si, inquit, elapso termino, possit & non perfolveret, esset perjurus:* (Lib. 1. Summ. tit. de juram. sect. 11.) *Quis negat,* ait Gersonius, *omne perjurium esse mortiferum?* (Lib. de vita spirit. animæ, lect. 6. tom. 3. part. 1. pag. 65. nov. edit.) Denique Catechismus Concilii Tridentini idem sic docet;

Ejusdem peccati (perjurii) reus censendus est, qui se aliquid jurejurando facturum promittit, cum tamen... quod promittit seipsa non præstat. (Part. 3. de 2. Decalog. præcept. n. 28.) Porro in iis omnibus testimoniis generatim, & sine ullo discrimine materiæ gravis aut levis, pronuntiatur eum perjuri, ac proinde peccati mortalis, reum esse qui rem juramento promissam non exequitur.

Ratio est, quod pejeret & mortaliter peccet contra reverentiam Deo debitam, quisquis eum inducit falsi testem, sive materia sit gravis, sive levis: sed qui rem licitam, interposito juramento promissam, quantumcumque sit, non præstat, is Deum falsi testem inducit; ergo, &c.

PARAGRAPHUS II.

De Judicio ad Juramentum requisito.

Judicium hæc sumitur, inquit S. Thomas, pro judicio discretionis. (2. 2. quæst. 89. art. 3.) Neque enim juramentum temerè & inconsideratè adhiberi debet.

1^o. Quidem juraturus consideret, ait Catechismus Concilii Tridentini, utrum necessitate cogatur, necne, remque totam accuratè expendat, an ejusmodi sit ut jurejurando indigere videatur. (Ibid. n. 19.) Exigit enim divini Nominis reverentia, ut non sine quâdam necessitate in testimonium advocetur; Jurationi non assuescat os tuum; nulli enim casus in illa; nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo: ... vir multum jurans, implebitur iniquitate. (Eccli. 23. v. 9 & seq.) Hinc illud Augustini: Quantum ad vie pertinet, juro; sed quantum mihi videtur, magnâ necessitate compulsus; cum videro non mihi credi, nisi faciam, & ei qui mihi non credit non expedire quod non credit. (Serm. 180. n. 10. tom. 5. pag. 864.) Unde colligitur tunc tantum licitè jurari, cum verbis nostris fidem adhibere negant alii, & aliunde iis quibus verba

facimus maximè utile est quæ asserimus credere. Modestè fatetur S. Doctor, sibi quondam inolevisse levibus de causis jurandi pravam consuetudinem, eamque se exuisse, cum cepit Deo sese consecrare: Juravimus & nos, passim habuimus teterrimam istam consuetudinem & mortiferam; ... ex quo autem Deo servire cepimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, veterosissimam consuetudinem timore frænauimus. (Ib.)

Quàm igitur deploranda est eorum hominum cæcitas, à quibus Nomen Dei tam parvipenditur ut juramenta pro rebus nihili passim usurpent! Præ oculis habeant hujusmodi homines præclaram hæc Augustini sententiam: Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secunda est. (Ibid. n. 4. p. 861.) Qui in ea versantur consuetudine temerè & sine necessitate jurandi, non sunt prius absolvendi, quàm pravum hunc habitum emendaverint.

2^o. Judicium quod requiritur ad licitè jurandum, postulat ut diligenter expendamus, an rem juramento promittendam tempore definito exequendi nobis assutura sit facultas: alioquin periculum erit ne ad ea facienda nos obstringamus, quæ præstare non valeamus. Quid autem id aliud est, quàm in discrimen sese conjicere promissa violandi, perjuriumque committendi?

3^o. Cum res sanctissima & actus Religionis sit juramentum, exigit prudentia ut non nisi cum summo fidei, pietatis & reverentiæ sensu fiat: Devotio & fides, ait S. Thomas, & omnia hujusmodi quæ exiguntur ad debitum modum jurandi, intelliguntur in judicio. (2. 2. quæst. 89. art. 3. ad 2.)

PARAGRAPHUS III.

De Justitia ad reâ licitèque jurandum requisita.

In justitia jurare dicitur qui rem justam, honestam licitamque jurat. Hinc contra justitiam in juramento requisitam peccat, 1^o. qui juramento quidpiam confirmat, quod caritati sit oppositum; v. g. verum, sed occultum tui proximi crimen manifestas, quo graviter lœditur ejus fama; deinde ut detractionem hanc persuadeas, ipsam juramento confirmas: tunc duplex peccatum committis mortale; alterum nempe contra justitiam proximo debitam, qui retinenda suæ famæ jus habet, quandiu occultum est ipsius crimen; alterum contra Religionem & reverentiam Deo debitam, quem tuæ iniquitatis testem inducis; 2^o. qui rem veritam facturum se interposito juramento promittit.

Quæres an mortaliter peccet, qui rem venialiter malam facturum se jurat.

Resp. Juxta quosdam Theologos, jurans de quo agitur venialiter tantum peccat, quia non gravem, injuriunt, infert Deo injuriam, qui ipsius auctoritatem adhibet ad confirmandum venialis duntaxat culpæ committendæ propositum. Hanc autem opinionem improbat Concina, & merito quidem. Enimvero, inquit, qui peccatum veniale committurum se jurat, Deum ad confirmandum roborandumque suum propositum invocat; siquidem divini testimonii auctoritatem interponit, ut malam hanc voluntatem firmiorem reddat. Quid verò injuriosius Deo esse potest, quàm ipsius auctoritatem in prædium iniquitatis detorquere? Præterea qui Deum committendi peccati venialis testem adhibet, eum tanquam illius culpæ suffragatorem & approbatorem constituit; quod detestabile est, à summaque Dei sanctitate prorsus alienum.

Denique saltem venialiter eum peccare, qui contra ullam necessitatem jurat se aliquid facturum licitum & honestum, confitentur adversarii: cum verò jurabit se rem illicitam facturum, venialiter tantum peccabit? At, inquires, jurans sub veniali duntaxat culpâ teneretur peccatum veniale vitare: id equidem non diffiteor; at sub mortali cavere debet ne sanctissimum Dei Nomen in confirmationem iniquitatis, vel minimæ, adhibeat.

ARTICULUS IV.

De obligatione quam inducit Juramentum promissorium, & de causis propter quas ea cessat.

Quæres 1^o. utrum qui promissum rem licitam faciendi juramento firmavit, illud exequi teneatur.

Resp. gravissimam esse quod juramento promissoris exequendi obligationem. Hanc enim legem tibi imponit 1^o. virtus Religionis quæ vetat ne violetur promissum interposita Dei testimonio firmatum; 2^o. virtus justitiæ quæ promissis stare jubet. Hinc Christus (Matth. 5. 33.) hoc veteris Testamenti mandatum approbat: *Reddes Domino juramenta tua.* Sic etiam præcipit Deus: *Si quis... se constrinxerit juramento, non faciet irricum verbum suum, sed omne quod promissit implebit.* (Num. 30. 3.)

Quæres 2^o. an nonnulli sint casus in quibus non obliget juramentum promissorium.

Resp. multiplicem esse hujusmodi casum. 1^o. Cum juramentum est de re illicita. Nam juxta regulam juris, non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. (In Sexto, p. 837.) Juramentum non est vinculum iniquitatis. (Ibid. p. 356.) Denique absurdum est alicui incumbere peccandi obligationem.

2^o. Quando juramentum est de re impossibili, quia ex regulâ juris, *impossibilium nulla est obligatio*. Ab ea tamen non eximeret sola rem promissam exequendi difficultas. Si quis, v. g. jurasset se alicui quamdam pecunia summam persolviturum, eam solvere teneretur, etiam si inde plurimum incommodi pateretur.

3^o. Ubi res promissa est prorsus indifferens, sive cum ratione tum sui, tum finis, tum circumstantiarum, ad Dei gloriam & hominis utilitatem nihil confert: Deus enim ad otiosos & inutiles actus non obligat.

4^o. Si materia circa quam versatur juramentum, notabilem subierit mutationem, ut si quis juraverit se puellam ducturum, quæ deinceps stuprum passa est, non tenetur eam ducere: *Quia in illo (juramento) talis debet conditio sibi intelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.* (Lib. 2. Decretal. tit. 24. cap. 25. pag. 818.)

5^o. Cum juramentum factum est ex errore & dolo, qui in rei promissæ substantiam incidant, quia tunc verus deest consensus; quod fultius expositum est, ubi de contractibus.

Quæres 3^o. quænam causæ efficiant ut juramentum obligare desinat.

Resp. quatuor recenseri: Prima est, remissio sive condonatio, cum scilicet ille in cujus gratiam juratum est, jure suo volens cedit; ut si Paulus cui centum aureos juramento promissisti, ab eos persolvendi obligatione liberum te faciat. Hæc autem remissio locum non habet, si quod juratum fuit eadat in utilitatem tertii. Si, v. g. duo mercatores sibi mutuò juraverint, quoddam se lucrum pauperibus erogaturos, non possunt promissionem hanc sibi mutuò remittere.

Secunda causa est irritatio ab eo facta qui jus habet in alterum. Juramentum scilicet irritum quoad ea fieri potest; in quibus jurans sui Super-

rioris auctoritati subicitur, & sine cujus consensu validè jurare non potest. Unde colligendum est 1^o. à Superiore Regulari rescindi posse juramentum quodlibet *promissorium* à Religioso factum; siquidem à Superiore in omnibus pender, nihilque habet in sua potestate: 2^o. posse maritum uxoris juramenta in iis omnibus rescindere, in quibus ab eo pender; ut si quamdam pecuniæ summam jurando promiserit, distinctam à bonis quæ *paraphernalia* dicuntur; quæ diu viro subjacet mulier, nisi bona *paraphernalia* habeat, de nulla restatuere potest citra mariti consensum: 3^o. posse tutores pupillorum impuberum de bonis alienandis juramenta facere irrita; quæ si facta fuerint à pupillis post ætatem pubertatis, ea dirimere non valent tutores.

Tertia causa est commutatio, quæ scilicet tollitur materia circa quam versatur juramentum, eidemque substituitur altera. Id jure ordinario possunt, tum Episcopi in sua diocesi, exceptis tamen juramentis Papæ reservatis; tum Summus Pontifex in tota Ecclesia, modò legitima sit hujus commutationis causa. Si juramentum in alterius gratiam factum fuerit, sine ipsius consensu commutari non potest, quia neminem licet jure suo invisum spoliare, nisi præcesserit aliquod delictum propter quod puniendus; ut latro, v. g. cui viator metu mortis juravit se quamdam pecuniæ summam traditurum.

Quarta denique causa est dispensatio; quàm impertiri posse Ecclesiam constat, tum ex ipsius usu, tum ex iis Christi verbis: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in celo.* (Math. 18. 18.) Quæ sententiâ generali potestatem Ecclesiæ concessit, non à peccatorum duntaxat & censurarum, sed etiam à juramenti vinculo fideles solvendi, cum justa subest causa. Ne tamen existimes Ecclesiam, dum eâ facultate utitur, efficere ut possit aliquis contra suum juramentum agere.

Cum enim jure divino nitatur implendi juramenti obligatio, ab ea quemquam eximendi jus non habet Ecclesia; sed dispensando juridicè tantum declarat, id quod juramenti materia erat, jam non esse propter speciales quasdam quæ intervernerunt circumstantias: *Ad hoc se extendit dispensatio juramenti*, inquit S. Thomas, *ut id quod sub juramento cadebat, sub juramento non cadat, quasi non existens debet materia juramenti.* (2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 1.)

Quæres 40. quandonam hujusmodi dispensationes concedere solet Ecclesia.

Resp. Præfatam dispensationem concedere Ecclesia consuevit 1^o. cum juramentum vi, metuque gravi fuit extortum: cujus rei plurima videre est exempla in jure canonico; 2^o. quando dubium est utrum licitum sit, an illicitum sit quod juramento promissum fuit: *Quandoque*, ait S. Thomas, *aliquid sub juramento promittitur, de quo dubium est utrum licitum sit, vel illicitum; proficuum, vel nocivum; ... & in hoc potest quilibet Episcopus dispensare; (Ibid. ad 3.)* 3^o. cum juramentum impleri non potest, quin periclitetur vel privata jurantis salus, vel commune Reipublicæ bonum.

Quæres 5^o. cujus sit hujusmodi dispensationes concedere.

Resp. Facultas illa competit 1^o. Summo Pontifici in toto orbe christiano; 2^o. Episcopis in sua diocesi, si tamen excipias juramenta Papæ reservata, scilicet de servanda castitate perpetua, de ingressu in Religionem approbatam, de peregrinatione ad limina SS. Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellanum, & in Terram Sanctam; ab his autem juramentis solvendi potestas, non tam ullo Canone, quam consuetudine quæ vim Legis habet, Summo Pontifici reservata est.

ARTICULUS V.

ARTICULUS V.

De Juramenti petitione.

Certum est 1^o. graviter eum peccare, qui alium inducit ad pejerandum. Hinc Concilium Matisconense an. 581, sic comminatur: *Si quis convictus fuerit alios ad falsum testimonium, vel perjurium attraxisse, ... ipse usque ad exitum vitæ non communicet.* (Can. 17. tom. 5. Concil. pag. 970.) Certum est 2^o. licitum esse, justâ occurrente causâ, juramentum ab aliis exigere quos tibi nec certò, nec probabiliter constat esse pejeraturos. Si dubites, deponendum est illud dubium juxta trituta hoc estatum: *Tandem quisque præsumi debet esse bonus, donec constet eum esse malum.*

Quæritur autem 1^o. an persona privata licitè possit juramentum ab eo exigere, quem certò vel probabiliter novit esse pejeraturum.

Resp. id licitum esse docuerunt nonnulli, inter quos Sanchez (Lib. 3. in Decalog cap. 8. n. 7.) sed negant saniores Theologi, & quidem duce Augustino, sic disserente: *Qui hominem provocavit ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurum est, ille animam; imò duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & suam.* (Serm. 308. n. 4. tom. 5. pag. 1246.) Augustinum sequuntur S. Thomas, (2. 2. quæst. 98. art. 4.) S. Raymondus, (Lib. 1. tit. de juram.) S. Antoninus cujus ista sunt verba: *Si privata persona, inquit, scit vel credit probabiliter illum falsum juraturum, peccat mortaliter, quia dat illi occasionem ruinæ in hoc casu.* (2. part. tit. 10. cap. 1. sect. 3.)

At, inquit, qui prævidetur falsò juraturus, ad perjurium jam animo paratus est illiusque crimi-

Tom. VI.

Z

nis jam pravâ voluntate reus; novum igitur vulnus ipsi non infligit, qui juramentum ab eo petit.

Resp. Quamvis scelerati quidam homines videantur ad perjurium comparati, reiplâ tamen sacrilegam hanc voluntatem actu non habent, eamque vulgò non concipiunt, nisi cum urgentur ad jurandum. Sed esto parati sint ad pejerandum; qui ad juramentum eos provocat, nihil ominis causa est cur internum perjurium opere externo compleant, Deique Nomen polluatur. Nonne mortaliter peccaret qui homini ad committendum adulterium parato, hujus criminis exterius perficiendi materiam & occasionem præberet? quidni pariter & in casu proposito? Nonne melius erat, inquit Augustinus, ut rem tuam quam exigebas perderes, quam ut animam hominis istius falsâ juratione perimeres? (Ubi suprâ, n. 5. pag. 1247.)

Quæritur 2^o. an judici liceat secundum ordinem juris, ad petitionem alicujus exigere juramentum ab eo quem pejeraturum novit, vel merito suspicatur.

Respondet S. Thomas: Si aliquis exigat juramentum tanquam persona publica, secundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius, non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat, sive sciat cum falsum jurare, sive verum, quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit. (2. 2. quæst. 98. art. 4. in corp.) Judex enim legitimam habet exigendi juramenti causam, quæ in homine privato non reperitur. Teneur scilicet judex ex Legum præscripto, & servato juris ordine, pronuntiare: at illud autem requiritur ut juramentum exigat, cum adversa pars id juridicè postulat. Debet autem judex, quantum potest, juraturum admonere quanta sit juramenti sanctitas & religio, actoremque urgere ut juramentum remittat.

Quæritur 3^o. an liceat Christiano justam ob cau-

sam juramentum ab eo petere, quem per falsos deos juraturum non dubitat.

Resp. Illicitum quidem est quemdam ad jurandum per falsos Deos inducere, quia hujusmodi juramentum grande est nefas. Advocare enim falsa numina in testes veritatis, quid aliud est quam profiteri ea summam esse veritatem, quæ nec falli nec fallere queat? Id autem quod soli vero Deo competit, in falsa numina transferre impium est. Hinc sic vetat Deus: *Omnia quæ dixi vobis custodite, & per nomen externorum deorum non jurabitis.* (Exod. 23. 13.)

Sed, urgente quâdam necessitate, ad firmandam, v. g. pacem publicam, licitum est ab infideli juramentum exigere, quamvis prævideas eum per idola sua juraturum. Non invitatur enim ad crimen, quia per falsos deos jurare non compellitur, sed tantum jurare simpliciter: illud autem in se licitum est, & citra peccatum facere potest infidelis, si velit. Id verò si malè fiat, non peccatis Christiani, sed infidelis per fictitia numina jurantis vitium est. Ita vulgò Theologi: *Licet malo uti propter bonum, sicut & Deus utitur,* inquit S. Thomas; non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus qui per falsos deos jurare paratus est, juramentum recipere; non tamen licet eum inducere ad hoc quòd per falsos deos juret. (2. 2. quæst. 98. art. 4. ad 4.)

CAPUT II.

De Voto.

QUÆCUMQUE de voto dicturi sumus, ad tria revocari possunt quæ totidem in articulis expendemus: primus erit de natura, divisione & ho-

nis jam pravâ voluntate reus; novum igitur vulnus ipsi non infligit, qui juramentum ab eo petit.

Resp. Quamvis scelerati quidam homines videantur ad perjurium comparati, reiplâ tamen sacrilegam hanc voluntatem actu non habent, eamque vulgò non concipiunt, nisi cum urgentur ad jurandum. Sed esto parati sint ad pejerandum; qui ad juramentum eos provocat, nihil ominis causa est cur internum perjurium opere externo compleant, Deique Nomen polluatur. Nonne mortaliter peccaret qui homini ad committendum adulterium parato, hujus criminis exterius perficiendi materiam & occasionem præberet? quidni pariter & in casu proposito? Nonne melius erat, inquit Augustinus, *ut rem tuam quam exigebas perderes, quam ut animam hominis istius falsâ juratione perimeres?* (Ubi suprâ, n. 5. pag. 1247.)

Quæritur 2^o. an judici liceat secundum ordinem juris, ad petitionem alicujus exigere juramentum ab eo quem pejeraturum novit, vel merito suspicatur.

Respondet S. Thomas: *Si aliquis exigat juramentum tanquam persona publica, secundum quod exigat ordo juris, ad petitionem alterius, non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat, sive sciat cum falsum jurare, sive verum, quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigat.* (2. 2. quæst. 98. art. 4. in corp.) Judex enim legitimam habet exigendi juramenti causam, quæ in homine privato non reperitur. Teneur scilicet judex ex Legum præscripto, & servato juris ordine, pronuntiare: at illud autem requiritur ut juramentum exigat, cum adversa pars id juridicè postulat. Debet autem judex, quantum potest, juraturum admonere quanta sit juramenti sanctitas & religio, actoremque urgere ut juramentum remittat.

Quæritur 3^o. an liceat Christiano justam ob cau-

sam juramentum ab eo petere, quem per falsos deos juraturum non dubitat.

Resp. Illicitum quidem est quemdam ad jurandum per falsos Deos inducere, quia hujusmodi juramentum grande est nefas. Advocare enim falsa numina in testes veritatis, quid aliud est quam profiteri ea summam esse veritatem, quæ nec falli nec fallere queat? Id autem quod soli vero Deo competit, in falsa numina transferre impium est. Hinc sic vetat Deus: *Omnia quæ dixi vobis custodite, & per nomen externorum deorum non jurabitis.* (Exod. 23. 13.)

Sed, urgente quâdam necessitate, ad firmandam, v. g. pacem publicam, licitum est ab infideli juramentum exigere, quamvis prævideas eum per idola sua juraturum. Non invitatur enim ad crimen, quia per falsos deos jurare non compellitur, sed tantum jurare simpliciter: illud autem in se licitum est, & citra peccatum facere potest infidelis, si velit. Id verò si malè fiat, non peccatis Christiani, sed infidelis per fictitia numina jurantis vitium est. Ita vulgò Theologi: *Licet malo uti propter bonum, sicut & Deus vititur,* inquit S. Thomas; *non tamen licet aliquem ad malum inducere.* Unde licet ejus qui per falsos deos jurare paratus est, juramentum recipere; non tamen licet eum inducere ad hoc quòd per falsos deos juret. (2. 2. quæst. 98. art. 4. ad 4.)

CAPUT II.

De Voto.

QUÆCUMQUE de voto dicturi sumus, ad tria revocari possunt quæ totidem in articulis expendemus: primus erit de natura, divisione & ho-

nestate voti; secundus, de obligatione quam parit; tertius, de variis modis quibus cessat hæc obligatio.

ARTICULUS PRIMUS

De natura, divisione & honestate Voti.

Quæres 1^o. quomodo definiatur votum.

Resp. Votum definiiri solet *promissio deliberata, Deo facta de meliori bono possibili*. Dicitur 1^o. *promissio*, id est, voluntatis actus quo sese aliquis erga Deum obstringit ad quiddam agendum vel omittendum: hinc votum distinguitur à simplici propoto, quo statuimus; hoc vel illud deo gratum facere. Ad votum enim non sufficit ut velimus aliquid Deo gratum exqui, quod bono cui-libet proposito commune est; sed præterea necesse est ita velle, ut ipso voluntatis actu nos obstringamus ad faciendum quiddam Deo acceptum.

Dicitur 2^o. *deliberata*: votum enim est lex, & quidem gravis, quam sibi imponit aliquis; nemo autem citra deliberationem sufficientem censetur sese obligare. Hinc vovete non possunt ebrii, amentes, infantes: deliberationis enim ad votum requisitæ non censentur capaces.

4^o. *Facta Deo*: votum enim est actus Religionis & patriæ, qui soli Deo exhiberi potest; cum ergo Catholici vovete B. Virgini, S. Augustino, S. Benedicto, &c. id eo sensu intelligendum est, quod vota nuncupent Deo coram Sanctis, tanquam testibus, patronis, adiutoribus qui divina implores subsidia, quibus ad votum rite implendum indigemus. Quæ in re nihil est quod idololatriam sapiat, ut toties calumpniantur heterodoxi.

4^o. *De bono*; alioqui votum non esset Deo gratum. Unde sequitur 1^o. votum de re venialiter mala peccatum esse mortale contra virtutem Re-

ligionis; quid enim id aliud est, quam significare Deum coli peccato? quod summæ ejus sanctitati maximè injuriosum est; 2^o. votum de re aliquâ prorsus indifferenti nullum esse ac irritum, cum nihil ad Dei cultum conferat, nec ei placeat. Hinc non valet votum quod in honorem B. Virginis aliquando nuncupant rusticana mulierculæ, neque lixiviam faciendi, neque nendi die Veneris aut Sabbati.

5^o. *De meliori bono*; quod non intelligendum est comparatè ad illud quodcumque bonum: alioquin ut valeret votum, necesse esset rem omnium nobis possibilem præstantissimam Deo promittere; sed accipiendum illud est de bono quod melius sit quàm oppositum; quod melius est fieri quàm non fieri: aliter enim non esset Deo gratum. Hinc votum non foret promissio deo facta Matrimonium contrahendi, quia conjugium minus est bonum quàm continentia.

6^o. *De bono possibili*; ineptè enim ad illud sese aliquis obligaret, quod præstare non potest: *Duplicet autem Deo stulta promissio.* (Eccle. 5. 3.)

Quæres 2^o. quænam sint voti divisiones.

Resp. Votum dividitur 1^o. *in simplex* quod sine solemnitate, & quasi in occulto emittitur; & *in solemne* quod in conspectu Ecclesiæ, & cum præscriptis quibusdam ritibus Deo nuncupatur, quæ sunt castitatis, paupertatis & obedientiæ; vota quæ in professione religiosâ emittuntur.

2^o. Dividitur votum in *personale, reale, & mixtum*. *Personale* est promissio quæ sese aliquis obstringit ad quiddam per se præstandum; hujusmodi est promissio jejunandi, peregrinandi, Religionem ingrediendi: votum illud non potest per alium impleri; sic tuo voto non satisfacis, si alius pro te jejuset aut peregrinetur.

Reale dicitur illud cujus materia, v. g. bona

temporalia, extra nos posita est, hujusmodi est promissio quamdam pecuniam pauperibus erogandi: huic voto per alium satisfieri potest, quia cadit in bona voventis.

Mixtum ex personali & reali coalescit; talis est promissio Deo facta pium in locum peregrinandi, & munera ibidem offerendi.

3^o. Votum distribuitur in temporale quod restringitur ad certum tempus, ut si quis unius mensis jejunium voveat; & in perpetuum quod per totam vitam stare debet, quale est perpetuæ castitatis votum.

4^o. Aliud est absolutum quod sine ulla conditione emittitur, ut si dixeris: *voveo castitatem*; aliud conditionale quod fit sub aliqua conditione, ut si quis infirmus dicat: *voveo peregrinationem si convalescero*. Posita autem conditione, si, v. g. restituatur sanitas, statim obligat votum.

Quæres 3^o. an votum ex se bonum sit & honestum.

Resp. Vota rem esse bonam & honestam, nec Deo displicere inde manifestum est, quod ipsorum observationem non semel præcipiat Scriptura: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* (Eccle. 5. v. 3.) *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* (Psal. 49. v. 14.) Si quid mali esset in votis, numquid primis sæculis tulisset Ecclesia, in perpetuum à communione arceri virgines quæ castitatis votum fregerant? Atqui tamen pœnam hanc gravissimam statuerat Concilium Eliberitanum an. 305: *Virgines quæ se Deo dedicaverint, si padum perdiderint virginitatis, vit nec in fine dandam eis esse communionem.* (Tom. 1. Conc. pag. 972.)

Nec objicias cum Hereticis recentioribus, vota maximè perpetua libertati evangelicæ, quam nobis asseruit Christus, adversari. Servitus enim peccati sola est quæ filiorum Dei libertati repugnet, non

verò servitus justitiæ: *Liberati à peccato*, inquit Apostolus, *servi facti estis justitiæ.* (Rom. 6. 18.) Libertas itaque novæ Legis, est libertas à peccatis gravissimoque vitiorum jugo. Hanc autem libertatem nedùm minuunt, contrà perficiunt vota quæ arctius nos Deo devinciunt, cui uni summâ libertate servitor, inquit Augustinus; (Lib. 6. de Musica, n. 14.) & quo solo dominante, liberrimus est homo; ut ait idem S. Doctor. Lib. 1. de morib. Eccles. n. 21.)

Præterea vota quæ Christiani omnes in baptisate nuncupant Deo, etiam juxta Calvinum perpetua sunt; numquid idcirco libertati evangelicæ officiant? Matrimonii vinculum perpetuum est; numquid libertati christianæ infensum est; Sed in re tam aperta diutius non immorandum est.

ARTICULUS II.

De obligatione quam inducit Votum.

Quæres 1^o. quænam sit obligatio rem voto promissam præstandi.

Resp. Voventi incumbere obligationem quod promissit exequendi, fide certum est: id enim passim docent Scripturæ: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus Deus tuus.* (Deut. 23. v. 21.) *Quodcumque voveris redde, multòque melius est non vovere, quàm post promissum vota non reddere.* (Eccle. 5. v. 3. & 4.) Hinc Augustinus, *Quia vovisti*, inquit, *jam te obtrinxisti; aliud tibi facere non licet.* (Epist. 127. n. 8. tom. 2. pag. 376.) Hujus Legis violatio ex genere suo peccatum mortale est: *Qui votum ritè factum prætermittit*, ait S. Thomas, *mortaliter peccat, quia fidem quam cum Deo inivit, frangit.*

(In 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæstion. 1. in corp.)

Fieri tamen potest ut propter levitatem materiæ non nisi venialiter peccet, qui votum infringit. Ratio est, quod votum sit lex privata quam sibi imponit homo, & quæ proinde instat ceterarum legum obligat: atqui leges aliæ leviter tantum obligant in materia levi, idem igitur de voto sentiendum est. Hinc venialiter duntaxat peccaret qui, post emissum votum singulis diebus unum assem pauperibus erogandi, semel & iterum non daret.

Nec obijcias juramenti violationem, etiam in materia levi peccatum esse mortale, idemque de voti violatione dicendum: alia enim est juramenti & alia voti natura. Juramentum in divini Nominis invocatione ad veritatis confirmationem situm est; porro gravis inferitur Deo injuria, quoties eum falsi testem inducant homines: votum vero sit per modum legis, quæ vovens sese liberè obstringit; leviter igitur tantum in materia levi obligat, sicut & aliæ leges?

Quæres 2^o. an votum dubium obliget?

Not. hic non agi de inanibus dubiis, de scrupulis & suspicionibus quæ nullâ probabili causâ nitantur, nec prudentem virum moveant: sed controversia est de vero dubio quod, propter graves hinc & inde oppositas rationes, animum tenent inter utramque partem suspensum & ancipitem. His præmissis,

Resp. obligare & implendum esse votum de quo merito dubitatur an emissum fuerit, quia juxta sapientissimam juris regulam, in dubiis semitam debemus eligere tutiorem, ne in violandâ legis periculum incurramus. Hanc doctrinam tradunt SS. Thomas & Antoninus; prior quidem his verbis: *Si autem dubitet quomodo se in votendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se descri-*

mini committat; (In 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstion. 1. ad 6.) posterior verò sic habet: *Existens in dubio an transgrediatur votum, & per consequens peccet mortaliter, tenetur se ponere in tuto, ut scilicet votum non transgrediatur.* (2. part. tit. 11. cap. 2. sect. 10. sub finem.) Iis accedunt ex recentioribus quotquot probabilissimo pium justumque bellum indicere.

Obj. cum nonnullis hanc juris regulam: *Melior est conditio possidentis*; qui autem dubitat, inquirunt, utrum Deo voverit, an non, in possessione suæ libertatis est? ergo potior esse debet illius conditio, & quæ sibi magis liberit partem amplecti potest.

Sed difficultas illa mera est cavillatio. Hanc quidem regulam statuunt leges humanæ, ut quando paria sunt de re aliqua litigantium argumenta, melior sit & prævaleat possidentis conditio: actoris enim est, gallicè *le demandeur*, jus suum probare. Afferant autem Casuistæ, vel unam Scripturæ sententiam, vel unum Concilium, vel unum Patrem, aut quemquam eximii nominis Doctorem, qui ante sæculum XV docuerit in dubiis ad salutem æternam pertinentibus, meliorem esse conditionem possidentis libertatem. Præterea certus sum me rem possidere quam alter in foro externo reperit; ubi autem agitur de voto dubio, non mihi constat me liberum esse, siquidem utrum fidem meam obstrinxerim dubito; ergo longè dispar est utrobique ratio.

Quæres 3^o. qui vovit se in tali monasterio Religionem amplecturum, teneturne illud ingredi, si in eo non observentur quæ sunt præcipua Religionis capita, nimirum paupertas, continentia & obedientia; vel saltem si ibi collapsa fuerit disciplina regularis?

Resp. Non tenetur hujusmodi monasterium ingredi, nullumque ac irritum est votum quod nun-

cupavit, quia non est de meliori bono. Qui enim Religioni collapsæ, qualem descripsimus, nomen daret, is nedum suæ salutis tuius confuleret, in plura & in graviora sese coniceret pericula, & in quamdam veluti necessitatem officia violandi, quibus solemniter sese obstrinxisset.

Quæres 4^o. quandoam votum debeat impleri.

Resp. Si vovens aliquod tempus sibi præstituerit, votum debet tempore definito impleri. Ratio est, quod tempus illud in partem materiæ voti veniat. Si autem vovens nullum tempus sibi constituerit, debet quamprimum commodè potest, voto satisfacere, ut sic iubetur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. (Deut. 23, 21.) Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. (Eccle. 5. 3.)*

ARTICULUS III.

De variis modis quibus cessat Voti obligatio.

Quintuplici modo tolli potest voti obligatio; nimirum, 1^o. cessante illius causâ; 2^o. mutatâ hujus materiâ; 3^o. per voti in aliud commutationem; 4^o. per concessam dispensationem; 5^o. per rescissionem sive, ut aiunt, irritationem. Quæ omnia seorsim explananda sunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

An, cessante causâ, vel mutatâ materiâ voti, cesset illius obligatio.

Ea est communis sententia ut, cessante integra causâ propter quam votum fuerat emissum, desinat & voti obligatio. Ratio est quod, sublatâ integrâ

causâ, tollatur voventis intentio, ideoque ipsa voti obligatio; siquidem votum non obstringit præter intentionem voventis. Exemplis res elucescet: Vovisti eleemosynam pauperi erogandam hic dives evadit, tunc solvitur voti vinculum, quia ad eum finem proximè spectabat, ut sublevaretur pauperis indigentia: Vovisti peregrinationem ut à deo patris salutem obtineres; moritur pater, & cadit votum cum sine propter quem nuncupatum fuerat.

In eo pariter consentiunt omnes, quod si materiæ voti notabilis mutatio supervenerit, pereat voti obligatio. Ea verò sola mutatio *notabilis* dicitur, quæ rem promissam in statu diverso constituit, ita ut juxta communem hominum existimationem, res illa in iis circumstantiis ab ea quæ promissa fuit, moraliter sit diversa. Hinc votum non obligare vulgò sentiunt Theologi, cum sine peccato, vel sine vitæ & honoris periculo, vel citra grave aliud detrimentum impleri nequit: prudenter enim existimari non potest, voluisse aliquem sese in hujusmodi circumstantiis obstringere; votum verò ultra voventis intentionem non obligat. Si dubium occurrat an ea sit materiæ mutatio, quæ voti vinculum dissolvat, semper judicandum est in voti gratiam, ut pars tutior eligatur.

PARAGRAPHUS II.

De Votorum commutatione.

Commutare, idem est, ac unum pro alio substituere; in voti igitur commutatione, altera in prioris locum subrogatur materia, eodem stante voti vinculo; sicque discrepat à dispensatione quæ omnem tollit obligationem. Vota commutare ii omnes possunt, qui dispensandi potestatem habent, sive ordinariam sive delegatam, quia juxta regulam juris 53: *Cui licet quod est plus, utique quod*

est minus, præsertim in eodem genere. (In sexto, pag. 832.)

Quæres 1^o. an propriâ autoritate valeat aliquis suum votum in bonum aliud evidenter melius commutare.

Resp. hanc esse communem recentiorum Theologorum opinionem, ut quisque sive Laicus, sive Ecclesiasticus; sive vir, sive mulier, propriâ autoritate possit suum votum commutare in aliud quod evidenter melius sit. Hoc autem ratiocinio maxime nituntur: quod evidenter melius est, Deo magis placet cujus rectissima est voluntas; quod autem Deo gratius est, non potest ab eo non admitti; ergo qui materiam minus bonam voto promissam, in alteram manifestè meliorem commutat, de consensu Dei certus est.

Hanc autem sententiam, licet comunem, non aprobat Concina nobilis Theologus, & contrariam argumentis non spernendis adstruit. 1^o. Quidem autoritate Scripturæ quæ sic jubet: *Animal quod immolari potest Domino si quis voverit, sanctam erit & mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec pejus bono. Quod si mutaverit, & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino.* (Levit. 27. v. 9. & 10.)

2^o. Autoritate S. Thomæ cujus hæc sunt verba: *In commutatione est quidam contractus non potest perfici sine consensu utriusque partis; unde cum homo per votum Deo se obliget, non potest fieri immutatio voti, nisi interveniat consensus ejus qui vicem Dei gerit in terris.* (In 4. dist. 38. q. 1. arti. 4. quæstion. ult. in corp.)

3^o. Sic differit celebris autor: *Commutatio voti est actus jurisdictionis spiritualis, ut farentur plerique adversarii: sic, v. g. asserunt Salmaticenses: Commutatio votorum est actus jurisdictionis spiritualis non minus ac dispensatio.* (Tract. 17. cap.

3. punct. 14. n. 127.) Et certè in vera commutatione unum votum convertitur in aliud, ergo rescinditur prius, cujus loco subrogatur aliud. Porro contractus seu promissi rescissio est actus jurisdictionis, & quando contractus spiritualis est, sicut votum, jurisdictionem requirit spiritualement quâ carent omnino vii sæculares, eam verò in semetipfos exercere non possunt Clerici; ergo neque hi, neque illi unquam valent propriâ autoritate vota sua commutare.

Præterea rem Deo gratiorem facit qui obstrictam fidem solvit, promissum accuratè implendo: Deo enim magis placet in exequendo promisso fidelitas, quàm cujusque rei promissi pretium: porro qui votum in aliud commutat, fidem datam non solvit, & victimam semel Deo per votum oblatam surripit.

Denique adversariorum ratio non tantum probat, posse quemquam commutare votum in melius, sed etiam in æquale bonum: quod tamen ex iis plerique negant: si enim id quod melius est, magis Deo placet, id etiam quod æquè bonum est, pariter Deo gratum & acceptum esse debet; sicut ergo in melius, ita & in æquale bonum consentire Deus censetur.

Quæres 2^o. an possit Superior Ecclesiasticus votum in aliud sine causa commutare.

Resp. id non posse quin suâ potestate abutatur: numquid enim prudens haberetur minister, qui contractus cum suo domino in nos pro arbitrio & sine justa causa permutaret? Superior qui votum commutat, Deum refert ejusque vices gerit: porro citra justam causam vota commutare, Deo gratum esse non potest; hinc Alexander III Episcopum monet, *ut consideret diligentius qualitatem personæ, & causam commutationis.* (Lib. 3. Decretal. tit. 34. cap. 1. pag. 1278.) Causa autem propter quas fieri potest, sunt 1^o. gravis difficultas

in executione voti; 2^o. levitas & perturbatio quæ voto locum dedit; 3^o. fragilitas votentis qui votum, nisi commutetur, violaturus est.

Curandum verò maximè est ut in votorum commutatione servetur, quantum fieri potest, materiæ æqualitas: hæc enim commutatio quidam est contractus votentem inter & Superiorem Ecclesiasticum, qui nomine Dei agit: quilibet autem contractus æqualitatem postulat, ne violetur justitia: hæc vero æqualitas in contractu permutationis in eo sita est, quod materia quæ substituitur ejusdem pretii sit ac ea cui subrogatur.

PARAGRAPHUS III.

De Voti cessatione per dispensationem.

Per dispensationem posse Ecclesiam voti vinculum solvere iisdem constat argumentis, quibus facultatem hanc erga juramentum Ecclesiæ vindicavimus. Nec objicias nihil posse Ecclesiam in jus naturale ad quod pertinet voti obligatio. Ecclesia enim votum relaxans non dispensat in jure naturali, sed ipsum votum aufert ex quo nascitur obligatio juris naturalis. Id illustrari potest exemplo creditoris, qui pecuniam sibi debitam remittit debitori indigenti. Numquid per hujusmodi indulgentiam eum à jure naturali eximit? Minimè quidem; sed extinguit debitum, ita ut illius solvendi nulla super sit obligatio. Pariter Superior Ecclesiasticus nomine & autoritate Dei cuius Minister est, per dispensationem votum tollit, unde cessat votentis obligatio.

Quæres 1^o. quinam possint in votis dispensare.

Resp. facultatem hanc iis solis competere jure ordinario, qui jurisdictionem habent in foro externo: hæc enim dispensatio sicut & indulgentiarum concessio, ad externum Ecclesiæ regimen pertinet; delegari autem vel committi potest om-

nibus Sacerdotibus, quin etiam & simplicibus Clericis, quia potestas est jurisdictionis, non Ordinis. Hinc colliges facultatem hanc residere 1^o. in Pontifice Romano erga omnia singulorum fidelium vota; 2^o. in Episcopis, & in iis qui episcopali jurisdictione gaudent, sed tantum erga sibi subditos. Porro jurisdictionem episcopalem habere censentur Capitulum cathedrale, Sede vacante, Vicarius generalis, & Penitentiarius Episcopi, non tamen sine ipsius licentia, Prælati Regularium, Abbates, Generales: quæ de re consulenda sunt Ordinum statuta.

Quæres 2^o. quibusnam in votis dispensare valeant Episcopi.

Resp. In omnibus votis, iis tantum exceptis quæ Sedi Apostolicæ per consuetudinem reservata sunt. Quinque autem numerantur hujusmodi vota, nempe castitatis perpetuæ, ingressus in Religionem approbatam, peregrinationis vel ad limina SS. Apostolorum, vel ad S. Jacobum Compellanum, vel in Terram Sanctam: in iis tamen dispensare potest Episcopus, si urgeat necessitas, nec facilis sit ad Summum Pontificem recursus.

Quæres 3^o. an valeat dispensatio citra causam legitimam concessa.

Resp. eam, ut toties diximus, nec licitam esse, nec validam. Ad dispensationem, inquit S. Antoninus, requiritur non solum autoritas in dispensante; sed etiam causa ex parte dispensati, scilicet necessitas vel utilitas ejus vel Reipublicæ, in omni genere dispensationis, & in omni dispensante, etiam in Papa; quia nec Petro, nec alteri commissa est autoritas in destructionem, sed in aedificationem. (2. part. tit. 11. cap. 2. sect. 6.) Ratio generalis est quod inferior in legem Superioris eam tantum potestatem habeat, quam ab illo accepit: quis autem crediderit Superiorem sapientissimum,

qualis est Deus, eam quibusdam hominibus facultatem concessisse, quæ valeant absque iusta causa & pro suo arbitrio à sua lege quemquam solvere? Unde sequitur non posse voventem turâ conscientia, uti dispensatione quam sine causa sibi concessam noverit.

Quæres 4^o, quænam sint à Superiori consideranda, ut citra causam legitimam non dispen-
teat.

Resp. multa esse excutienda, nimirum ex parte tum voventis, tum objecti sive materiæ voti, tum causæ quæ ad illud impulit. 1^o. Ex parte voventis, attendendum est ad ætatem, sexum, iudicium, infirmitatem: interdum enim facilis concedenda est dispensatio juvenibus, personis alterius sexûs, & iis qui vel imbecillis ingenii sunt, vel infirmæ valetudinis. 2^o. Ex parte objecti sive materiæ voti, observandum est utrum congruat voventi, loco, tempori, &c. an res promissa vel in se, vel ratione voventis melior sit alterâ, in quam commutari votum possit, vel utrum ei saltem æqualis sit. 4^o. Ex parte causæ quæ impulit ad votum, inspiciendum est an factum fuerit metu exterris incullo, an importunis precibus extortum. Quamvis hæc singula seorsim sumpta fortè non sufficiant ad legitimam dispensationem, ex iis tamen simul collectis, vel saltem ex maxima parte conjunctis, coalescere potest iusta dispensationis causa.

PARAGRAPHUS IV.

De iritatione Voti.

Votum irritare dicitur qui illius vinculum solvit. Hæc potestas iis tantum competit, qui in voventes dominium habent: quemadmodum enim non licet vel dare vel promittere ea quæ nostra non sunt, sed aliena: ita etiam illis qui aliorum de-

minationi subjiciuntur, non licet quidpiam vovere in alienæ potestatis præjudicium. Hic tria sunt expendenda; primum, utrum Superior *regularis*, inferiorum; secundum, an pater vel tutor, filiorum; tertium, utrum conjux conjugis vota irrita facere valeant.



SECTIO I. De potestate quam habent superiores Regulares Vota subditorum irrita faciendi.

Regularium Superior ea subditorum suorum vota facere potest irrita, quæ circa materiam ipsi subiectam versantur. Ratio est, quia non sunt sui juris sed vi solemnis professionis Superioribus suis omnino subjiciuntur, ita ut nequeant firma vota nuncupare, nisi accesserit Præpositorum consensus. In eorum voto, inquit S. Thomas *inteligitur debita conditio, scilicet si suis Superioribus placuerit vel non renitentur.* (2. 2. q. 88. art. 8. ad 4.)

Dixi autem, vota circa materiam Superiori subiectam versantur. Hinc Superiores nihil possunt 1^o. in votum de suscipienda Religione arctiori, quia impediendi majoris boni potestatem à Deo non habent; 2^o. in vota Religioni essentialia, nempe castitatis, paupertatis & obedientiæ; alioqui possent religiosum statum funditus exertere; 3^o. nihil valent in vota quibusdam Ordinibus peculiaribus, quale est votum à carnibus abstinendi: hujusmodi enim votorum materia à Superiorum potestate non pendet.

Superiorum autem nomine intelliguntur *Generales* in universo Ordine, *Provinciales* in tota Provincia, *Priores*, *Guardiani* & qui, iis absentibus, domum regunt. Eadem voti rescindendi potestas competit *Abbatissis*, vel *Priorissis* quibus, ut filiarum matribus, parere debent *Moniales*.



SECTIO II. De parentum vel tutorum potestate
in Vota filiorum.

De votis filiorum impuberum nihil dicimus, in praxi enim tanquam nulla semper habentur, quia non satis rationis & iudicii in iis esse censerur, ut voto sese obstringant.

Quæritur autem an valeat pater vel tutor irrita facere filiorum vota, qui pubertatem sunt affecturi.

Resp. Si votorum quæ à filiis puberibus nuncupantur materia ad domesticum regimen spectet, ea rescindere possunt pater vel tutor, quia filii, etiam pubertatem affecturi, à patre vel tutore in iis omnibus pendent, quæ ad domesticum regimen pertinent. Hinc votum eleemosynam ex paternis bonis erogandi, vel jejunium suscipiendi quod cum familiæ usu non congrueret, irritam facere possent pater & tutor. Si verò filiorum puberum vota gubernationi domesticæ minimè noceant, solasque ipsorum personas afficiant, tunc nequeunt à patre vel tutore dissolvi. *Ex quo homo venit ad annos pubertatis*, inquit S. Thomas, *si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis quantum ad ea quæ pertinent ad suam personam, puta quod obliget se Religioni per votum; ... non autem est suæ potestatis, quantum ad dispensationem domesticam: unde circa hoc non potest aliquid vovere, quod sit ratum sine consensu patris.* (Ibid. art. 8. ad 2. 9.)



SECTIO III. Utrum maritus uxoris, & vicissim
uxor mariti Vota irrita facere possit.

Quæres 1^o. an possit maritus vota rescindere, quæ sine illius consensu ab uxore fuerunt emissa.

Resp. eum posse irrita facere 1^o. vota quibus læderetur jus quod habet uxore suâ, juxta Matrimonii regulas, utendi: *Mulier enim corporis sui potestatem non habet, sed vir;* (1. Cor. 7. v. 4.) idcirco rescindere posset continentiaæ votum, quam uxor sine ipsius consensu nuncupasset; 2^o. vota quæ in familiæ suæ damnum cederent, vel domesticam disciplinam intervertèrent, ut si largam voveret eleemosynam ex bonis communibus erogandam, vel abstinentiam à carnibus per certos dies contra familiæ consuetudinem: ratio est quod domus regimen, reique familiaris administratio pertineat ad maritum.

Quæres 2^o. an uxor possit vota mariti dissolvere.

Resp. 1^o. id non posse in rebus quæ solam mariti personam afficiunt, quia uxori non subiectus est, sed *caput mulieris vir:* (1. Cor. 11. v. 3.) quapropter si voverit maritus quolibet die Veneris jejunare, vel à carnibus per certum tempus abstinere, in hujusmodi vota quæ solam spectant mariti personam, nihil juris habet uxor; nec etiam in iisque ad domesticam disciplinam & familiæ usum pertinent: utrumque enim est penes maritum, tanquam unicum familiæ Superiorem. Nihil denique potest uxor in vota quæ detrimentum aliquod temporale familiæ bonis importarent: horum enim bonorum administrationem habet maritus: idcirco si largissimæ eleemosynæ erogationem vovisset, hoc votum dissolvere uxor non posset.

Resp. 2^o. Quædam sunt vota quæ rescindere potest uxor, ea scilicet quibus læderetur juris æqualitas quam cum viro suo habet; eam ob causam irritum facere valet votum perfectæ castitatis, quod emitteret maritus: hoc enim votum promissionem includit non reddendi debiti conjugalis, quod exigendi jus non minus habet uxor, quam maritus juxta illud Apostoli: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* (1. Cor. 7. 4.) Pariter si nimiam abstinentiam vel corporis afflictationem vovisset maritus, quæ ad reddendum debitum conjugale eum imparem efficeret, votum illud, tanquam juri matrimoniali contrarium, dirimere posset uxor.

Quæres 3^o. potestne maritus irritum facere votum, quo sine ipsius consensu uxor sese obstrinxisset, de conjugali debito non petendo?

Resp. Non potest juxta sententiam probabilioris magisque receptam. Uxor enim in ea re nullam viro suo infert injuriam, siquidem parata est ad reddendum debitum, quoties id exiget maritus; sed per illud votum renuntiat tantum juri quod sibi proprium est, nempe debitum petendi; quia in re pares sunt uxor & maritus.

Quæres 4^o. an possit maritus vel uxor votum continentia ex mutuo consensu emissum solvere.

Resp. non posse, quia uterque jure suo cessit, & mutuo consensu vitam cælibem Deo promisit, neuter igitur potestatem habet promissionem Deo sponte factam revocandi: *Votum*, inquit. S. Thomas, est quidam promissionis contractus inter Deum & hominem; unde cum contractus bonæ fidei inter hominem factus obliget ad necessariam observationem, multò fortius votum quo homo aliquid Deo promittit. (In 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiune. 1. in corp.)

DISSERTATIO III.

De vitii Religionis oppositis.

VIRTUTI Religionis quæ circa cultum Deo debitum versatur, præsertim opposita sunt superstitio, blasphemia tentatio Dei, sacrilegium, perjurium, simonia. Cum de duobus ultimis opportuniori in loco jam satis dictum fuerit, superest ut de aliis vitii Religionis vituti oppositis disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De Superstitione.

SUPERSTITIO describitur à S. Thoma, *Vitium Religionis oppositum secundum excessum, . . . quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* (2. 2. q. 92. art. 1. in corp.)

Varia sunt superstitionis species, nimirum cultus indebitus, idololatria, divinatio, vana observantia, de quibus raptim agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Cultu indebito & Idololatria.

Cultus indebitus ille est quo Deus aliter ac debemus colitur. Duplex distinguitur; alius perniciosus, & alius superfluus.

Resp. 2^o. Quædam sunt vota quæ rescindere potest uxor, ea scilicet quibus læderetur juris æqualitas quam cum viro suo habet; eam ob causam irritum facere valet votum perfectæ castitatis, quod emitteret maritus: hoc enim votum promissionem includit non reddendi debiti conjugalis, quod exigendi jus non minus habet uxor, quam maritus juxta illud Apostoli: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* (1. Cor. 7. 4.) Pariter si nimiam abstinentiam vel corporis afflictationem vovisset maritus, quæ ad reddendum debitum conjugale eum imparem efficeret, votum illud, tanquam juri matrimoniali contrarium, dirimere posset uxor.

Quæres 3^o. potestne maritus irritum facere votum, quo sine ipsius consensu uxor sese obstrinxisset, de conjugali debito non petendo?

Resp. Non potest juxta sententiam probabilioris magisque receptam. Uxor enim in ea re nullam viro suo infert injuriam, siquidem parata est ad reddendum debitum, quoties id exiget maritus; sed per illud votum renuntiat tantum juri quod sibi proprium est, nempe debitum petendi; quia in re pares sunt uxor & maritus.

Quæres 4^o. an possit maritus vel uxor votum continentia ex mutuo consensu emissum solvere.

Resp. non posse, quia uterque jure suo cessit, & mutuo consensu vitam cælibem Deo promisit, neuter igitur potestatem habet promissionem Deo sponte factam revocandi: *Votum*, inquit. S. Thomas, est quidam promissionis contractus inter Deum & hominem; unde cum contractus bonæ fidei inter hominem factus obliget ad necessariam observationem, multo fortius votum quo homo aliquid Deo promittit. (In 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiune. 1. in corp.)

DISSERTATIO III.

De vitii Religionis oppositis.

VIRTUTI Religionis quæ circa cultum Deo debitum versatur, præsertim opposita sunt superstitio, blasphemia tentatio Dei, sacrilegium, perjurium, simonia. Cum de duobus ultimis opportuniori in loco jam satis dictum fuerit, superest ut de aliis vitii Religionis vituti oppositis disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De Superstitione.

SUPERSTITIO describitur à S. Thoma, *Vitium Religionis oppositum secundum excessum, . . . quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* (2. 2. q. 92. art. 1. in corp.)

Varia sunt superstitionis species, nimirum cultus indebitus, idololatria, divinatio, vana observantia, de quibus raptim agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Cultu indebito & Idololatria.

Cultus indebitus ille est quo Deus aliter ac debemus colitur. Duplex distinguitur; alius perniciosus, & alius superfluus.

Perniciosus est, cum aliquid falsi significat. Si per cultum exteriorem, ait. S. Thomas, aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus. (2. 2. q. 93. art. 1. in corp.) Talis est cultus quem Deo exhibent Judæi, legis Mosaicæ ceremonias observando: illæ enim Christum venturum significabant, quem jam venisse fides docet. Hoc etiam superstitionis genere peccant, qui falsa miracula, vel falsas revelationes prædicant, aut scriptis commendant; vel qui falsas Reliquias venerantur, aut fidelium venerationi proponunt, circumferunt, aut venditant. Hinc Concilium Tridentinum statuit, *nec novas Reliquias recipiendas, nisi recognoscante & approbante Episcopo, qui simul atque de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in concilio Theologis, & aliis piis viris, ea faciat quæ veritati & pietati consentanea judicaverit. (Sess. 25. in decreto de invocat. Sanct.)* Hoc superstitionis genus, cum sit mendacium in re gravi, nempe in materia Religionis cui maximam infert injuriam, ex genere suo peccatum mortale est.

Cultus superfluum sic describitur à S. Thoma: Quod non pertinet ad dei gloriam, nec ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiæ inordinatæ refrenentur, aut etiam si sit præter Dei & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem, . . . totum hoc reputandum est superfluum & supersticiosum. (Ibid. art. 2. in corp.)

Idololatria generatim accepta quodcumque est peccatum mortale, quo scilicet homo finem suum ultimum creatura constituit, eamque suum Deum efficit; siqui dem sua cuique Deus sit dira cupido, ut vel profani cecinere vates. Idololatria autem strictè sumpta & de qua hic agitur, peccatum est quo divinus honos creaturæ, tanquam Deo exhibetur: quod scelus est atrocissimum, ut sic docet S. Thomas: *Sicut enim in terrena Republica gravissimum esse videtur, quod aliquis hono-*

rem regium alteri impendat, quam vero Regi; . . . ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat, quia, quantum in se est, facit altum Deum in mundo. (2. 2. q. 94. art. 3. in corp.)

ARTICULUS II.

De Divinatione.

Quæres 1^o. quid divinationis nomine intelligatur, & quæ ejus definitio.

Resp. *Divinationis nomen idem sonat ac divina actio: qui enim superstitionem hanc exercent, id sibi arrogant quod soli Deo proprium est, nempe cordium vel rerum occultarum, au futurarum cognitionem, quam Deus in Scripturis sibi soli vindicat: Ego Dominus scrutans corda & probans renes. (Jerem. 17. 10.)* Idola sic affatur Deus: *Annuntiate quæ ventura sunt in futuram, & sciemus quia dii estis vos (Isa. 41. 23.)* Hic autem agitur de futurorum cognitione quæ viis naturalibus obtineri non possit.

Divinatio definiiri potest: inquisitio quæ dæmonis expressè vel implicite invocati auxilio, rerum occultarum cognitio exquiritur. Invocatio enim dæmonis potest esse 1^o. *expressa*, cum disertis verbis imploratur ejus auxilium, ut rem hominibus occultam patefaciat, aut ubi aliquid eo consilio usurpatur, ut dæmon nostris rebus sese immisceat; 2^o. *implicita & tacita*, ut cum aliquis nonnulla quæ mentis humanæ aciem fugiunt scire pertentans, eas adhibet vias quibus ad hujusmodi cognitionem naturaliter perveniri nequit: hæc enim notitia à dæmone tantum expectari potest.

Quæres 2^o. quotuplex sit divinationis species.

Resp. variae sunt divinationis species quarum praecipuas raptim attingemus.

Prima est *Pythonismus*, cum daemone alicujus viri vel feminae corpus occupans, vocesque per ipsius ventrem formans, futura praenuntiat vel aperit occulta. Eos qui foedam hanc superstitionem exercent, sic puniendos jubet Deus: *Vir sive mulier in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur; lapidibus obruent eos.* (Levit. 20. 27.)

Secunda, *Oraclum*, ubi consultus daemone in simulacris & idolis delitescens, futura in speciem praenuntiat, vel occulta indicat.

Tertia, *Vaticinium* cum scilicet daemone per Pseudo-Prophetas vaticinatur, falsisque vel ambiguis, ut plurimum, responsis incautam plebeculam ludificatur.

Quarta, *Aruspicium* cum spirantia immolarum pecudum exta consulendo, futura praefagire satagunt Aruspices.

Quinta, *Augurium*, quando ex avium garritu, futurorum aut rei cujuslibet occultae cognitio quaeritur.

Sexta, *Auspicium*, quando ex avium pastu, volatu, situ, futura investigantur.

Septima, *Necromantia*, sive daemoneum responsio per mortuos, verè vel in speciem suscitatos loquentium.

Octava, *Chironantia*, cum inspecta alicujus manu, illi praedicatur (mendaciter sanè) tota vitae series, quibus casibus sit iactandus, quo mortis genere extingendus, &c.

Nona, *Astrologia, judiciaria*, qua superstitionis quidam homines, inspectis siderum motu & situ, futura quae ex hominum voluntate pendent, praenoscere conantur & quasi certò eventura praenuntiant.

Quaeres 3º. an licita sit astrologia judiciaria.

Resp.

Resp. Duplex est astrologia: alia est *naturalis* qua scilicet homines ex situ, motu, ortu & occasu siderum, ea quae naturaliter contingunt, pluvias, tempestates, eclipses, portendunt; hanc licitam esse fatentur omnes. Per eam quidem certò praedici queunt effectus qui ex siderum planetarumque situ & conversionibus necessario consequuntur, ut eclipses; quoad alia verò praenuntianda, ut tempestates, grandinem, siccitatem, pluviam, serenitatem, vana plerumque est ac inutilis hujusmodi astrologia: quae enim vis sideribus insita sit nos latet, & si quam habeant, ne praedictum fortiantur effectum obitare possunt venti, vapores, aliaque causae innumerae.

Alia astrologia *judiciaria* dicitur, qua ex siderum & planetarum aspectu, ea praefagiuntur quae ex hominis libertate pendent, ut matrimonia, dignitates, exitia, mortis genus, &c. Hujusmodi astrologia prorsus illicita est ac superstitiosa: corpora enim caelestia in liberam hominum voluntatem nihil valent. Ipsis vim quamdam naturalem tribuere, qua in voluntates humanas agant, quid aliud est, quam liberum hominis arbitrium perimere? futura igitur quae ab humana libertate suspensa sunt, ex siderum inspectione certò praenuntiari nequeunt: eam idcirco damnarunt Concilia & Patres. Quanta sit inanitas in praedicens vel conjiciens ex astorum inspectu hominum moribus, ingenio, actionibus, &c. probat Augustinus (*Lib. 5. de civit. Dei*) ex gemellorum exemplo; ii scilicet, quamvis sub eodem sidere nati, indole, actionibus, professione, mortis genere, & in ceteris ad vitam humanam pertinentibus, plerumque sunt omnino dispares, ut in Esau & Jacob manifestum est.

Quaeres 4º. utrum ex avium cantu, volatu, & in quibus liceat futura augurari.

Resp. Ubi agitur de quibusdam effectibus qui &

Tom. VI.

A a

causis naturalibus pendent, quales sunt pluvia, tempestates, siccitas, aëris serenitas, hujusmodi futura conjectare licet ex avium garritu, volatu, motibus, qui horum eventuum signa sunt naturalia: cum enim istorum animalium sensus subtiliores sint, quam hominum, aëris varietate afficiuntur vividius. Hinc in usu habent hoc vel illo modo canere, celerius aut lentius, altiùs vel demissiùs volitare, cum imminet quaedam temporum mutationes; ubi v. g. frequentius crocitat cornicula, proximam indicat pluviam.

Ex animalium verò signis portendere futura libera, aut eventus cum quibus nihil habent affinitatis, maximè superstitiosum est. Hinc ita præcipit Deus: *Nec inveniatur in te qui... obser... auguria.* (Deut. 18. 10.) Peccant igitur qui aliquid infortunii sibi imminere existimant, si audierint bubonem supra vicinæ domus tectum sero canentem, vesperitionem noctu garrientem, canem certo tempore latrantem, vel lupum ululantem, vel gallinam glocitantem, vel corvum crocitantem, &c.

Quæres 5º. an licitum sit ex lineamentorum in fronte, facie, vel manibus exaratorum inspectione, fortuitos vel liberos eventus, bonamque & malam fortunam præfagire.

Resp. divinationem hanc vanam esse & illicitam superstitionem: quæcumque enim sit linearum in corporis humani membri extantium dispositio, hæc nihil valet in futura quæ à voluntate nostra pendent; siquidem hæc vel illuc pro suo arbitrio sese flectere potest: quin etiam inter corporis lineamenta & fortuitos casus qui libertati humanæ non subjiciuntur, nulla prorsus est connexio, nulla proportio; graviter igitur peccant qui circulatoribus nonnullis manus suas ostentant, ut ab iis bonam vel malam fortunam ediscant; tum quia hujusmodi prædictionibus fidem adhi-

bere nefas est; tum quia pravis hominibus iniquam artem profitendi, peccandique occasionem præbent. Hinc Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo, sic jubet: *Omniem divinationem... ex lineamentorum corporis inspectione, ex forsibus... aliisque rebus quibus per demonum significationem incerta pro certis affirmantur, ... & hujus generis reliqua, per quæ curis foris & imperitorum hominum mentes facile decipiuntur, cetercant & ej. ciant Ep. copi.* (Tom. 15. Concil. pag. 252.)

Quæres 6º. an licita sit divinatio per fortem.

Resp. illicitam esse sortem divinatoriam, quæ scilicet inquiritur rei futuræ vel occultæ cognitio, ut cum ex taxillorum projectu prædicatur quis victoriam sit reportaturus, vel quando ex cribi inversione futes patefacere tentat aliquis. Hujusmodi sorte uti superstitiosum est: nullam enim sive ex rerum natura, sive ex Dei vel Ecclesiæ institutione vim habet futura vel occulta significandi; pactum igitur cum dæmone vel expressum, vel implicitum continet à quo id expectatur. Si tamen ad fortitionem hanc impellat Deus, quod vix unquam existimari debet, tunc licita erit. Quapropter eam licitè adhibuit Josue, ut occultum quo Achan commiserat sacrilegium exploraret. (Jos. 7.)

ARTICULUS III.

De vana Observantia.

Vana observantia nomine intelligitur superstitio quæ ad effectum aliquem obtinendum adhibentur instrumenta vana, inutilia; id est, quæ nullam sive ex natura sua, sive ex Dei aut Ecclesiæ institutione, vim habent id efficiendi quod expectatur

Effectus proinde, si quis inde exoriri possit, occultæ dæmonis operationi tribuendus est.

Vana observantiæ varia sunt nomina, pro variis qui ab ea sperantur effectibus. Nunc *ars notoria*, nunc *sanitatum*, nunc *temporum*, nunc *sacrorum observantia* dicitur.

Quæres 1^o. quandonam vana observantia dicatur *ars notoria*.

Resp. Illud nomen habet, cum adhibetur ad scientiam & cognitiones sine ullo studio comparandas, quasdam scilicet orationes recitando, nonnullas figuras inspiciendo, quasdam verba profertendo: quæ omnia nullam habent cum subitâ scientiæ acquisitione proportionem.

Quæres 2^o. quandonam locum habeat vana observantia *sanitatum*.

Resp. Locum habet, cum ad morbos sanandos vel avertendos, ea usurpantur quibus ad procreandum hunc effectum nulla est virtus congenita. Huiusmodi sunt superstitiosa quædam remedia, quæ animalium vel hominum collo, brachiis, manibus, vel pedibus alligantur, & idcirco gallicè vocantur *ligatures*. De his, sic pronuntiat Augustinus: *Ad hoc genus (pætorum cum dæmone) pertinent etiam omnes ligature, atque remedia quæ Medicorum quoque disciplina condemnat.* (Li. 2. de Doctr. Christ. cap. 20. n. 36. tom. 3. part. 1. p. 31.) Huiusmodi sunt *talismata*, gallicè *talismans*, opus scilicet sculptile quod sideris sub quo natus est aliquis formam & imaginem exhibet.

Quæres 3^o. quid intelligatur per *observantiam temporum*.

Resp. Hoc nominæ significatur superstitio quæ nonnulli dies fausti, vel infausi ita existimantur, ut propterea vel suspendantur, vel penitus omitantur humana negotia, vel actiones quæ aliâs

fierent; qua in re plurimum est superstitiosis: *Dies enim*, inquit S. Chryso'stomus, *bonus & malus est, non quiddam sibi propria natura, sed nostrâ vel diligentia, vel ignavia. Si iustitiam feceris, bonus tibi dies erit; sin peccatum designaveris, malus & supplicii plenus.* (Homil. in eos qui novilunia observant, tom. 1. ed. BB. pag. 699.)

Ne tamen inde concludas superstitiosos esse qui in morbis curandis, in agris colendis, in herbis colligendis, in lignis cædendis, tempora observant: iuxta consuetum enim naturæ ordinem, certa sunt tempora his omnibus peragendis aptiora; at superstitiosè ageret qui certum vel hebdomadæ, vel mensis diem eligeret aut rejiceret, quia hic vel ille dies esset *Mercurii*, v. g. aut *Veneris*.

Quæres 4^o. in quo constituta sit *observantia sacrorum*.

Resp. In eo posita est, quod adhibeantur res sacræ ad obtinendos effectus quos operandi vim non habent, sive naturalem, sive divinam, sive ecclesiasticam. Quæ superstitio laborant qui, vel evangelica quædam verba, vel imagines christi, B. Virginis, Sanctorum, vel horum Reliquias, vel pietatis signa ab Ecclesia approbata, ut *Rosarium* & *Scapulare*, ad collum suspensa gerunt, certò persuasi se hoc præsidio munitos, nec igne, nec aquâ, nec ferro ladendos esse; vel se nunquam sine verâ contritione, aut sine Pœnitentiæ Sacramento morituros; quamvis libidinibus suisque cupiditatibus indulgeant.

Postunt tamen citra superstitutionem fideles, vel quædam Scripturæ verba, vel Sanctorum Reliquias, vel cruces, præces, &c. è collo suspensa deferre, & inde aliquid boni sperare; modo nihil talium aut vanum admisceant; *modò talia suscipiantur aut fiant*, inquit Gersonius, *non tanquam necessario efficacia, aut tanquam spes principalis in talibus posita sit, Deo postposito; sed quòd pietas*

fidei per ista nutritur & augetur, & exaudiri mereatur; secus ubi fides laeditur, & divina lex violatur. (Tract. de errorib. circa artem magicam, dict. 3. tom. I. ultim. edit. pag. 215.)

CAPUT II.

De Blasphemia.

BLASPHEMIA est contumeliosa in Deum locutio. Jam vulgò blasphemia non accipitur, inquit Augustinus, nisi mala verba de Deo dicere. (Lib. de moribus Manichæorum, cap. II.) Hæc autem locutio vel externa est ac ore prolata, vel interna sive in animo, ut quando dixit insipiens in corde suo: non est Deus. (Psal. 13. 1.)

Quæres 1º. quotuplici modo committatur blasphemia.

Resp. 1º. Locum habet blasphemia, cum Deo tribuitur quidpiam indecori, & à summâ ejus perfectione alieni, ut si quis Deum injustum esse, improvidum, crudelem, autorem peccati, vel scelerum nostrorum inscium affirmaverit: tales sunt impii qui dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob; (Psal. 93. 7.) tales sunt etiam qui apud Malachiam Deum injustitiæ accusant: Vanus est qui servit Deo; & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus? (Cap. 3. 14.)

Resp. 2º. In blasphemiam incurrit qui creaturæ adscribit, Deoque subtrahit quod ad eum solum pertinet; cujus blasphemix rei fuerunt 1º. Senacherib qui suis victoriis gloriabatur & insolebat, quasi eas propriâ virtute & fortitudine, non autem Dei præsidio retulisset; (Isa. 37.) 2º. qui superbiebant dicentes: manus nostra excelsa,

& non Dominus, fecit hæc omnia. (Deut. 37. 27.) 3º. Libidinosi illi amantes qui mulierculas deas vocitant, blasphemant corde & ore, corde quidem, qui eas impensius quàm Deum amant & colunt; ore autem, quia Dei nomen quod nulli creaturæ competit, illis attribuant.

Resp. 3º. eum etiam blasphemix reum esse, qui per invidiam, per malitiam, per obstinationem dæmoni tribuit miracula, quorum autorem esse solum Deum manifestum est. Hoc fuit Phariseorum crimen qui, cum viderent Christum dæmonia ejicientem, dixerunt: Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. (Matth. 12. 4. 24.) Hujusmodi peccatum vocat Christus blasphemiam in Spiritum Sanctum.

Quæres 2º. quale peccatum sit blasphemia.

Resp. peccatum est mortale in quacumque materia: quælibet enim in Deum contumelia, cum summam ipsius majestatem directè deprimat, gravem Deo injuriam infert. Hinc ea divina lex: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. (Levit. 24. 16.) Hinc illud S. Hieronymi: Nihil horribilius blasphemiam quæ ponit in Excelsum os suum. (Lib. 7. in Isa. cap. 18. tom. 3. pag. 180.) Crimen est juxta S. Augustinum perjurio gravius: Pejus est, inquit, blasphemare, quàm pejerare; quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus; blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo. (Lib. contra mendacium, cap. 19. n. 39. tom. 6. pag. 472.)



CAPUT III.

De tentatione Dei

TENTARE, ait S. Thomas, est propriè experimentum sumere de eo qui tentatur; sumimus autem experimentum de aliquo, & verbis, & factis. (2. 2. q. 97. art. 1. in corp.) Tentare ergo Deum, nihil aliud est quàm aliquid sine causa legitima dicere vel agere, ad experiendam divinam potentiam, bonitatem, vel aliam Dei perfectionem, insolito quodam effectu; si quis v. g. miraculum eâ mente postulet, ut omnipotentiam divinam exploret; aut si in apertum periculum sese coniciat, ut experiatur an Deus illum liberare velit. Tentatur etiam Deus, cum aliquid ab ipso expectamus, neglectis omnisque viis, quibus juxta consuetum providentiæ ordinem nos uti jubet, ut quidpiam assequamur. Tentant, v. g. Deum qui veniam se consecuturos sperant, dum pœnitentiam respuunt, & Sacramentorum usum negligunt; qui ineptè sibi blandiuntur Deum quod ab ipso petunt concessurum esse, cum sine ulla animi preparatione eum precantur: *Ante orationem præparâ animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum;* (Eccli. 18. 23.) demum qui sperant Deum ea quæ vitæ sunt necessaria ipsis subministraturum, quando pro iis acquirendis nullum suscipiunt laborem.

Deum tamen tentare non censeretur, qui legitimam ob causam rem intentam & miraculum postularet; si quis, v. g. gravissimâ urgeretur necessitate, ex qua sese expedire non posset, nisi singulari quodam Dei auxilio, Deum in iis rerum angustiis non tentaret, si ab eo insolitam opem

deposceret, in divina voluntate humiliter acquiescendo. Ita factum legitur à pio Rege Josaphat: ratus enim hostium qui in Israëlitas irruerant multitudinè se non posse resistere, Deum oravit ut suam omnipotentiam singulari quodam erga populum suum auxilio demonstraret: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudinè resistere, quæ irruit super nos; sed cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros dirigamus ad te.* (Lib. 2. Jara. p. 20. 12.) Sic etiam videntes Discipuli Christi, quàm contumaciter legis evangelicæ prædicationi oblatent Sacerdotes & Judæorum Primate, à Deo postulârunt ut verbi divini ministerium miraculis confirmaret: *Da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quoddam manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu.* (Act. 4. v. 29. & 30.)

Tentatio Dei ex natura sua peccatum est mortale. In eo quippè gravis est audacia & irreverentia, quod vilis creatura existimet Deum providentiæ suæ leges pro illius nutu & arbitrio immutaturum, & miracula operaturum esse. Hinc ita vetat Deus: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* (Matth. 4. 7.) Potest tamen esse veniale duntaxat peccatum in eo qui, nec intendit, nec cogitat actionem suam ad tentationem Dei pertinere.

CAPUT IV. ®

De Sacrilegio.

SACRILEGIUM est rei sacræ, sive cultui divino consecrata violatio, id est, injuriola tractatio. *Omitte illud,* inquit S. Thomas, *quod ad irreve-*

rentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam *Dei* pertinet, & habet sacrilegii rationem. (2. 2. q. 99. art. 1. in corp.) Triplex autem est sacrilegii genus. Primum est injuria personæ sacræ, nimirum Clerico, Religioso, Sanctimoniali irrogata, quod variis modis contingere potest; si, v. g. personæ sacræ violenter percutiantur, vel si quis sacris Ordinibus initiatus, aut Religionem professus, contra castitatis votum peccet: cujusque enim voti violatio sacrilegium est, quia per votum res Deo peculiariter consecratur, & ideo nefas est eam in alios usus impendere.

Secunda sacrilegii species locum sacrum spectat, ad eamque pertinet quidquid contra reverentiam locis sanctis debitam perpetratur; qualia sunt infractio vel incendium Ecclesiæ, eversio altaris, homicidium, & illicita sanguinis effusio, furtum, mercatus, deambulationes, confabulationes, quæ fiunt in templis: hæc enim omnia reverentiæ loco sacro debitæ adversantur. Qui actibus merè internis in loco sacro peccant, sacrilegium non committere sententia est communis, quia hujusmodi actibus non violatur loci sanctitas. Hanc autem opinionem non omnino certam esse ait *Concina*. Cur enim instituta sunt templa? nonne ut in iis Deum speciali cultu adoremus, non externo tantum, sed potissimum interno, utque Deum non minus animo quam corpore colamus? Cur ergo qui animum vitiosis actibus internis in loco sacro polluit, ab omni sacrilegio erit immunis?

Tertia sacrilegii species est violatio rei sacræ, à persona & loco distinctæ. In hujusmodi sacrilegium incurrunt, qui Sacramenta indignè admittunt aut recipiunt; qui Sanctorum imagines aut Reliquias; qui vasa, vestes & ornamenta sacris peragenda destinata, in usus profanos detorquent; qui bona mobilia vel immobilia Ecclesiæ dedicata usurpant, vel injustè retinent. Ad illud sacrilegium revocatur Scripturæ sacræ abusus, quo scilicet

divinum verbum ad scurrilia, profana, fabulosa, vana convertitur & adhibetur.

Sacrilegium peccatum est ex genere suo mortale; cum enim res sacræ cultui divino sint mancipatæ, violari non possunt, quin ipse Deus contemni censetur. Id etiam colligitur ex pœnis contra quosdam sacrilegos constitutis. Per legem civilem capite, & per legem ecclesiasticam excommunicatione aliquando plectuntur. Potest tamen sacrilegium esse veniale tantum propter materiæ levitatem, ut si quis in loco sacro unum duntaxat assem surriperet, vel non nisi raptim confabularetur. Cum autem eo gravius sit, quo sanctior est res sacra quæ violatur, in confessione exprimendum est quâ in re commissum fuerit.





TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUM hunc duas in dissertationes dividimus: in priori, de peccato in genere; in posteriori, de præcipuis peccati divisionibus disputabitur.

DISSERTATIO I.

De Peccato in genere.

PRIOREM hanc dissertationem quinque capitibus complectimur. Primum erit de natura; secundum, de causis; tertium, de peccatorum distinctione; quartum, de eorum connexionem & inæqualitate; quintum, de effectibus peccati.



CAPUT PRIMUM.

De natura Peccati.

VARIAS inter peccati definitiones principem locum tenet ista S. Augustini: *Peccatum est factum, vel dictum; vel concupitum contra legem æternam.* (Lib. 22. contra Faustum, cap. 27. tom. 8. pag. 378.) Ex voces, *factum*, *dictum*, *concupitum*, se habent instar generis, & actibus tum bonis, tum malis conveniunt. Ista verò verba: *contra legem æternam* quæ actuum moralium est regula, differentiam constituunt; per ea scilicet peccatum à quocumque actu minime vitioso distinguitur.

Accuratam esse hanc definitionem negant quidam Theologi, 1^o. quia omnibus peccatis non convenit: peccatum enim originale in parvulis, peccatum omissionis in adultis, peccatum denique quo violatur lex humana, dici nequeunt factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam; 2^o. quia in præfata definitione nulla fit mentio liberi sine quo tamen nullum est peccatum.

Resp. 1^o. Peccatum originale non esse quidem potest factum, vel dictum, vel concupitum voluntate propria, cujus capax non est parvulus, bene vero voluntate aliena, scilicet Adami in quo omnes peccaverunt. *Illud quod in parvulis dicitur peccatum originale, inquit Augustinus, non absurde vocatur voluntarium, quia ex prima hominis voluntate contractum factumque est quodam modo hereditarium.* (Lib. 1. retract. cap. 13. n. 5. tom. 1. pag. 20.)

2^o. Per *factum*, *dictum*, &c. intelligi etiam debet omisio dicti vel facti; dici quippe solet aliquem male facere, cum non agit id quod debet.

3^o. Contra legem humanam peccari non potest quin simul violetur lex aeterna, quæ omni Superiori legitime præcipienti parendum esse præscribit. *Omnis anima, inquit Apostolus, potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* (Rom. 13. v. 1. & 2.)

4^o. In prædicta definitione non explicitè quidem, sed implicitè fit mentio liberi, quia lex non imponitur, nisi agenti liberè, nec peccat contra legem, nisi qui liberè agit.

Hic disputari solet utrum ratio formalis peccati in aliquo positivo constituta sit, an verò in mera privatione rectitudinis debitæ. Qua de re sit

PROPOSITIO.

Ratio formalis Peccati sita est in mera privatione rectitudinis debitæ.

Prob. 1^o. ex idea entis generatim. Ens & bonum duo sunt secum indivulsè connexa: *Unumquodque, ait S. Thomas, tantum habet de bono, quantum habet de esse: bonum enim & ens convertuntur.* (1. 2. quæst. 18. art. 1. in corpore.) *Bonum & ens sunt idem.* (1. part. quæst. 5. in corp.) *Omne ens, in quantum est ens, est bonum.* (ibid. art. 5. in corp.) Ergo si peccatum esset aliquid positivum, foret etiam ens, ac proinde quidpiam boni; quod repugnat: necesse est igitur ut non aliud sit, quam entis privatio. *Necesse est dicere, ait S. Thomas, quod esse rationem habeat bonitatis rulinquitur ergo quod nomine mali significetur quædam absentia boni.* (1. part. quæst. 48. art. 1. in corp.) Quod de malo generatim dicit S. Thomas facile malo cuilibet particulari accommodatur, & præsertim peccatum quod malorum omnium est maximum.

Prob. 2^o. ex Patribus. *Nemo quarat, inquit Augustinus; causam efficientem malæ voluntatis;*

non enim est efficiens, sed deficiens; quia illi non est effectio, sed defectio. (Lib. 12. de civit. Dei, cap. 7. tom. 7. pag. 306.) *Peccatum, ait idem Doctor, nihil est.* (Tract. 1. in Evang. Joan. n. 13. tom. 3. part. 2. pag. 294.) Augustino consentit divus Thomas: *Peccatum, inquit, nihil aliud est, quam actus humanus malus..... Habet autem actus humanus quoddam sit malus, ex eo quoddam caret debitâ commensuratione cum regula.* (1. 2. q. 71. art. 6. in corp.) S. Joannes Demascenus, *Neque aliud est malum, inquit, quam boni privatio.* (Lib. de fide orthod. cap. 4. tom. 1. pag. 159. Edit. P. le Quien.)

Ceteros Patres omittimus qui, ut sese ab eâ difficultate extricarent, cur Deus qui omnium autor est, peccati non sit causa, respondebant peccatum nihil esse, ideòque nullam exigere causam effectricem. Hanc esse Patrum omnium doctrinam sic testatur doctissimus Petavius: *Patres ad unum omnes, Græci Latineque, nullo prorsus excepto, peccatum per se, & ut loqui amant, formaliter, non nisi privationem boni, ac nihîl esse sentiunt.* (Tom. 1. lib. 10. cap. 19.) Patrum vestigiis inherens clarissimus Bossuet, de peccato sic habet: *Le mal n'est pas un être, mais un défaut d'être.* (Traité du libre, arbitre. pag. 39. édit. in-12.)

Prob. 3^o. Quia si ratio formalis peccati esset aliquid positivum, Deus censendus esset autor peccati formaliter sumpti; *omnia liquidem per ipsum facta sunt, & sine per ipso factum est nihil:* atqui nefas est Deo tribuere peccatum formaliter sumptum, cum à summa ejus sanctitate alienissimum sit.

Prob. 4^o. Quia in eo consistit ratio formalis peccati, quo posito, actus humanus statim intelligitur malus: atqui, posita solâ privatione rectitudinis debitæ, ex parte sive objecti, sive finis, sive circumstantiarum, actus humanus illicò concipitur malus juxta tritum illud effatum: *Malum est quocumque defectu,*

Solvuntur Objecta.

Objicies 1^o. Quod habet causam positivam, aliquid est positivum: atqui peccatum formaliter sumptum causam habet positivam; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quod habet causam positivam & efficientem, aliquid est positivum; conc. quod habet causam positivam, sed deficientem, neg. maj.

Porro quod proficitur à causa deficiente, dici non potest aliquid positivum: sic tenebræ quæ à sole deficiente exoritur, nihil sunt positivi: atqui peccatum formaliter sumptum habet quidem causam positivam, sed deficientem, nempe voluntatem humanam, quatenus actiones suas ad rectam rationem non informat; ergo &c.

Obj. 2^o. Motus voluntatis in objectum aliquod legi rationique dissonum tendentis, aliquid est positivum: atqui in eo motu consistit peccatum formaliter sumptum; ergo, &c.

Resp. Neg. min. motus ille voluntatis fundamentum quidem est peccati formaliter sumpti, sed illius rationem non constituit: non malus est enim, nisi quatenus à morum regulis deficit. Sic in malo sive naturali, sive artificiali datur aliquid positivi cui inhæreat privatio; sed nihilominus malum tum naturale, tum artificiale non consistit, nisi in privatione convenientiæ vel cum aliqua perfectione naturæ, vel cum regulis artis: pariter ergo quicquid in peccato invenitur seorsim à defectu rectitudinis debitæ, non habet formalem mali moralis rationem; alioquin ista duplex esset, nempe rectitudinis debitæ privatio, & motus voluntatis in objectum illicitum tendentis. Cum igitur, ait S. Thomas, *privatio perfectionis debitæ sit malum in naturalibus, non propter formam, sed propter privationem ei adjunctam, ... in moralibus etiam inhæreret fini cui adjungitur privatio finis debiti,*

malum est, non propter finem (proximum); sed propter privationem adjunctam finis ultimi. (opus. II. cap. 116.)

Obj. 3^o. Peccatum commissionis specie differt à peccato omissionis: atqui inter utramque nihil erit discriminis, si ratio formalis peccati consistat in privatione rectitudinis debitæ; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Peccatum commissionis materialiter sumptum specie differt à peccato omissionis, conc. maj. peccatum commissionis formaliter sumptum, & præcisè quatenus est peccatum, specie differt, &c. neg. maj.

Reverà si peccatum commissionis materialiter, sive prout est actus consideretur, specie differt à peccato omissionis, ut satis patet: potest hic agitur de peccato formaliter sumpto, & quatenus præcisè constituitur in ratione peccati; sub eo autem respectu nihil est discriminis inter commissionis & omissionis peccata: utrumque enim in ratione peccati constituitur per meram rectitudinis debitæ privationem.

Obj. 4^o. Juxta sententiam hanc nihilum remitteret Sacerdotis absolutio sacramentalis; pro nihilo damnaretur peccator, nullum peccatum gravius esset altero, quia nulla privatio major est alterâ; quæ omnia penitus absurda sunt.

Resp. 1^o. Absolutio Sacerdotis e. sensu peccatum non remittit, quod aliquid positivi destruat; sed quia gratiam sanctificantem impertitur, sicut sol tenebras non fugat quicquam positivi tollendo, sed lucem imittendo. 2^o. Non plectitur peccator quia agit; sed quia vel non operatur quod ipsi imperatum est, vel malè operatur; sic vapulat servus dum iussa negligit, aut ea malè exequitur. 3^o. Nulla quidem privatio in se considerata major est alterâ, merum quippè est nihilum; si verò spectetur comparatè ad bonum cuius est privatio, una potest esse sub eo respectu major alterâ. Eo sensu major est centum v. g. nummorum, quàm decem privatio.

Insuper omissionis peccata non sunt omnino æqualia, sed alia aliis graviora. Pejus est enim, v. g. cibum extremâ indigentia laboranti denegare, quàm pauperi citra vitæ periculum patienti: atqui tamen, fatentibus adversariis, omissionis peccata *formaliter* sumpta in privatione consistunt; ergo ex eo quòd ratio *formalis* peccati in privatione rectitudinis debita sit constituta, non sequitur omnia peccata esse prorsus æqualia.

Obj. 5^a. peccatum ab Augustino definitur *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*; ergo, &c.

Resp. Neg. conseq. *Augustinus*, ait S. Thomas, in definitione peccati ponit duo; unum quod pertinet ad substantiam actûs humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit, dictum, vel factum, vel concupitum; aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit, contra legem æternam. (1. 2. *quæst.* 71. art. 6. in corp.)

CAPUT II.

De causis Peccati.

DUPLEX distinguitur causa peccati; alia interior quæ in homine; & alia exterior quæ extra hominem posita est.

Quæres 1^o. quotuplex sit causa peccati interna.
Resp. Triplex recensetur, nempe ignorantia, concupiscentia, & malitia. 1^o. Quidem ignorantiam esse peccati causam ex Scripturis manifestum est. *Fratres*, inquit S. Petrus, *scio quia per ignorantiam fecistis*, id est, Christum occidistis. (Act. 3. 17.) *Sic cognovissent, nunquam Dominum gloriæ*

erucifixissent. (1. Cor. 2. 8.) Atqui tamen fide certum est peccasse Judæos Christum interimendo; ergo per ignorantiam peccatur sive, quod idem est, datur ignorantia quæ sit causa peccati. Hinc *Psalmes Regius Deum sic precatur: Ignorantias meas ne memineris.* (Psal. 24. 7.) Quæ verò & qualis ignorantia sit causa peccati, abunde diximus in Tractatu de Actibus humanis.

2^o. Concupiscentia altera est interior peccati causa. *Concupiscentia*, inquit Daniel, *subvertit cor tuum.* (Cap. 13. 36.) *unusquisque tentatur & concupiscentia sua abstractus & illeclus.* Deinde *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* (Jacob. 1. v. 14. & 15.) Hæc verò nihil aliud est, quàm amor sui inordinatus quo, veluti pondere quodam, homo impellitur ad fruendum creaturis, in iisque finem ultimum constituendum.

3^o. Malitia interdum est causa peccati. Hæc autem dici potest deliberata quædam adhesio voluntatis peccato, quæ sit ut illud eligat & velit, non ex ignorantia aut vehementi aliquo animi motu, verum ex pravo in ipsum peccatum affectu. In aliis delictis voluntatem vel ignorantia fallit, vel aliquis mentis impetus rapit: hic verò neutrum causa est cur voluntas peccatum eligat; sed ipsum peccatum tantoperè voluntati placet, ut illud planè sciens & volens committat. Hujusmodi sunt ii qui, ut ait Job, *quasi de industria recesserunt à Deo.* (Cap. 34. 27.) Tales sunt etiam qui læsantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. (Proverb. 2. 14.)

Quæres 2^o. quamnam præcipua sit causa peccati externa.

Resp. Diabolus est qui hominem variis modis ad peccatum incitat & quantum potest, pertrahit, ut patet ex Historia tum Evæ quam decepit, tum S. Job quem seducere conatus est. Idcirco fideles sic admonet S. Petrus: *Sobrii estote & vigilate,*

quia adversarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide. (1. Petr. 5. 8.)

Inde tamen ne concludas diabolum esse causam physicam & efficacem peccati. Ad illud enim requireretur ut vel physicè voluntatem moveret, actum in ea interiori operando, vel ipsam vi quædam ineluctabili ad malum pertrahendo: atqui neutrum potest diabolus; si enim vel actum malum in intima voluntate efficeret, vel eam ad malum ita impelleret, ut resistere & reluctari non posset, nequicquam hortaretur Apostolus ut fortes in fide diabolo resistamus.

Quæres 3^o. quis fuerit circa peccati causam error Protestantium.

Resp. Deam esse causam & autorem peccati asserere non veriti sunt Pseudo-Reformatorum antesignani. In nobis, ait Lutherus, Deus omnia bona & mala operatur. (Lib. de servo arbit. tom. 2. pag. 455. edit. Wutemberg.) Sicut fatentur Papistæ, inquit Melancthon, Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse Davidis aduberium, &c. (Annot. in Ep. ad Rom. cap. 8.) Zuinglius hæc habet horrenda: Quando facimus adulterium vel homicidium, Dei opus est motoris, auctoris, impulsoris. (Explicat. art. 20.)

Calvinus parùm sibi constans ita negat Deum esse autorem peccati, ut non semel doceat Deum velle, decernere, præcipere peccatum, adeo ut illud non permittat solum, sed ipsum incitet & compellat; asserit quidquid Satan molitus est contra Job, quidquid Semei contra David, quidquid Judæi contra Christum, id totum fuisse opus Dei, nec solum permisso, sed decreto, jussu & imperio Dei factum esse. (Lib. 1. Instit. cap. 18. sect. 1.) Quid autem id aliud est quàm Deum constituere scelerum omnium autorem? Non igitur scelerum errorem damnavit Synodus

Tridentina his verbis: Si quis dixerit..... mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permittivè solum, sed etiam propriè & per se, anathema sit. (Sess. 6. de justificat. can. 6.) Unde sit

PROPOSITIO.

Deus non est causa peccati, quasi velit, præcipiat, vel operetur peccatum, ad illudve hominem excitet ac impellat.

Prob. 1^o. Qui odit iniquitatem, peccatum velle, præcipere, & operari non potest: atqui ex Scripturis Deus, &c. Non Deus volens iniquitatem tu es. (Psal. 5. 5.) Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. (Psal. 44. v. 8.) Numquid voluntatis meæ est mors impii? dicit Dominus. (Ezech. 18. 23.) Atqui vellet Deus impii mortem, si eum excitaret & impelleret ad peccatum; ergo, &c.

Præterea Deus passim in Scripturis peccatum vetat, & maximè in Decalogo: Non occides, inquit, non machaberis, non falsum testimonium dices, non furaberis, &c. non potest igitur Deus velle peccata fieri, vel ad ea mortalium voluntates impellere, quia inconstantia, fallacia & perfidia meritò accusetur.

Prob. 2^o. ex Augustino cujus autoritate præsertim gloriantur Heterodoxi: Iniquitatem damnare novit ipse (Deus), non facere. (Epist. 194. n. 30. tom. 2. pag. 724.) Distinctionem etiam adhibet apud Catholicos tutam, inter permittere & decernere peccatum, quam Calvinus effugium vocat: Modus quo traditus est homo in diaboli potestatem, non debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jussit; sed quod tantum permisit. (Lib. 13. de Trinit. cap. 12. n. 10. or. 3. pag. 938.) Nullius culpæ humana in Deum referas causam. Lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. n. 27. tom. 10. pag. 55.) Malam voluntatem Deo autori esse tribuendam, nefas est dicere. (Ibid. cap. 18. n. 29.)

Porro qui hominis iniquitatem permittit quidem, sed nec eam facit, nec fieri jubet; qui non nisi impiè dici potest malæ voluntatis autor, ille profectò nullo Heterodoxorum sensu dici potest causa peccati: atqui Deus, teste Augustino, hominis iniquitatem, &c. ergo, &c.

Similia aliorum Patrum testimonia reperire est apud Nicolaum l'Herminier. (Tract. de peccatis.)

Solvuntur Objeçta.

Obj. 1^o. ista Scripturæ verba: *Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus.* (Amos, 3. 6.) *Ego Dominus, faciens pacem & creans malum.* (Isa, 45. v. 5. & 7.) Porro qui est causa mali cujuscumque, causa est etiam peccati: atqui, teste Scripturâ, Deus causa est cujuscumque mali; ergo & peccati.

Resp. Neg. min. De quocumque enim male non intelligenda sunt verba Amos; sed de malo pœna tantum, sive de calamitatibus quas Judæis comminatur Deus: *Malum hoc,* inquit Augustinus, *non peccatum, sed pœnâ intelligenda est.* (Lib. contra Adimantum, cap. 26. tom. 8. pag. 146.) Hæc interpretatio spontè fuit ex verbis quæ objectum locum præcedunt. *Auditi verbum,* inquit Amos, *quod locutus est Dominus super vos Viscabo super vos omnes iniquitates vestras;* (Ibid. v. 1. & 2.) id est, miseras & calamitates in pœnam scelerum vobis infligam.

Obj. 2^o. Ille est causa peccati, qui impios creat ut peccent, peccantesque damnentur, & sic manifestandæ Dei justitiæ subserviant: atqui Deus impios creat ut, &c. quod variis comprobatur Scripturâ testimoniis: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum,* id est, ad damnationem. (Proverb. 16. 4.) De Pharaone dicitur: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam.* (Rom. 9. 17.) *Annon habet potestatem singulis lutî, ex eadem*

massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? (Ibid. v. 21.) Ergo, &c.

Resp. Neg. min. Neminem enim creat Deus eo consilio, ut impius fiat & damnetur; liquidem gravissimis sub pœnis peccatum prohibet, & impios hortatur ad pœnitentiam ne pereant: verùm Deus eos creat quos impios fore prænoscit, ut eorum impietate quam non operatur, sed prævidet, ad gloriæ & justitiæ suæ manifestationem utatur. Vult quidem Deus impios qui sunt ignominie vasa, suppliciis afficere; minimè verò discernit vel operatur malam voluntatem & peccata quibus pœnam sibi accessunt: *Eorum mala opera, licèt futura præsciret,* inquit S. Fulgentius, *non tamen ipse prædestinavit ut futura essent, quia non ipse fecit ut fierent.* (Lib. 1. ad Monimum, cap. 17.) Jam dixerat: *Quos prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* (Ibid. cap. 13.) Contrariam doctrinam anathemate percussit Concilium Araulicanum II: *Aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solum non credimus; sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* (Can. 23. tom. 4. Concil. pag. 1672.)

Obj. 3^o. ille est causa peccati, qui nonnullos homines indurat: atqui Deus, &c. ut sic testatur Scriptura: *Induravit Dominus cor Pharaonis:* (Exod. 9. 12.) ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Qui nonnullos homines propriè indurat, conc. maj. qui nonnullos homines non nisi impropriè indurat, neg. maj. dist. parit. min.

Induratio propriè dicta est voluntaria firmitas in malo, & à bono inflexibilis quædam abalienatio. Unde patet hanc gravissimum esse peccatum, cujus causa & autor esse non potest Deus: *Odio sunt enim Deo impii & impietas ejus.* (Sapient. 14. 9.) Ubi igitur affirmat Scriptura Deum nonnullos homines indurare & obcæcare, id sensu proprio non intelligendum est: non enim sibi ipsi adver-

satur Scriptura, quæ Deum autorem esse peccati passim negat; sed huiusmodi verba de induratione tantum improprie dicta accipienda sunt. Deus scilicet indurare dici potest, quatenus permittit ut, sublato gratiæ auxilio, quo sese indignos præbuerunt, nonnulli homines in plurima scelera præcipites, sicque in malo indurescant & obfirmantur. *Non obdurat Deus*, inquit Augustinus, *impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam.* (Ep. 194. n. 14. tom. 2. pag. 719.) Sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deferendo & non adiuvando: quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest. (Tom. 3. part. 2. pag. 646. trad. 53. in Joan. n. 6.)

Obj. 4^o. Fratres suos sic alloquitur Joseph: *Non vestro Consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* (Genes. 45. 8.) Ergo crimen fratrum Joseph efficaci Dei decreto commissum fuit.

Resp. Neg. conseq. Dicere enim peccatum voluntate Dei committi, nihil aliud est quam pugnantia loqui: inde nimirum sequeretur homines peccare simul & non peccare: peccarent quidem ex hypothesi; non peccarent autem, quia culpæ reus esse non potest qui voluntati divinæ obtemperat. *Adeo enim summa est iustitiæ regula Dei voluntas*, inquit ipse Calvinus, *ut quidquid vult, eo ipso quod vult, iustum habendum sit.* (Lib. 3. Instit. cap. 23. n. 2.)

Ex præfato igitur Scripturæ loco, aliisque similibus in quibus legitur quasdam actiones malas consilio & voluntate Dei factas esse, hoc unum colligi debet, scilicet huiusmodi actiones propria hominum voluntate perpetratas, à Deo tamen ita dirigi & flecti, ut in bonum finem vertantur: novit enim Deus, ut passim docet Augustinus, ex malis operibus bona eruere. Quapropter eo tantum sensu Joseph dicitur consilio Dei venditus à fratribus, quod Deus, prævisto eorum scelere, illo sic uti voluerit, ut gloriæ Joseph, & salutis ipsius

ipsius familiæ multorumque populorum subserviret. Hoc ipsum indicant hæc Josephi verba: *Vos cogitastis de me malum; sed Deum veritè illud in bonum, ut exaltaret me, . . . & salvos faceret multos populos.* (Gen. 50. 20.)

Obj. 5^o. Idem sit iudicium de ceteris peccatis, ac de eo quo Semei maledixit Davidi: atqui illud positio Dei decreto commissum fuit, ut sic restatur ipse David: *Dominus præcepit ei ut malediceret Davidi. . . . Dimitte eum ut maledicat juxta præceptum Domini.* (Lib. 2. Reg. 16. v. 10. 11.) Ergo peccata positivo Dei decreto committuntur.

Resp. Neg. min. Præfata Scripturæ verba, & alia similia, de mera Dei permissione, non vero de jussu proprie dicto intelligi debent: *Nemini enim Deus mandavit impiè agere.* (Eccli. 15. 21.) Sic emollienda esse objecta Scripturæ verba constat ex Patrum interpretatione. Unus instar omnium erit Augustinus quem eo libentius seligimus, quod illum sibi patrocinari jactitent Heterodoxi. *Quomodo dixit Dominus huic homini maledicere Davidi? Non jubendo dixit: . . . nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quam puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse puniendum.* (Lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 20. tom. 10. pag. 740.) Ergo juxta mentem S. Doctoris non præcepit Deus Semei ut malediceret Davidi; ergo illud tantum permisit.

Præterea verba, *mandare, præcipere, permittere*, indistinctim non semel usurpat Scriptura, etiam quando de una eademque re fit sermo; ex. gr. Christum sic interrogant Pharisei: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii? quibus respondet Christus: Ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* (Matth. 19. v. 7. & 8.) Item apud Marcum Pharisei dicunt: *Moyse permisit libellum repudii scribere.* Respondet Dominus: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* (Cap. 10. v. 4. & 5.)

Aliæ sunt difficultates depromptæ ex modo quo Deus in mentes humanas agit; sed earum explicatio ad Tractatum de Gratia magis pertinet.

CAPUT III.

De Peccatorum distinctione.

PECGATA distinguuntur specie vel numero; specie quidem, cum eorum malitia diversæ est naturæ: sic furtum specie differt ab adulterio; sed numero tantum discrepant, quando eorum deformitas, sive oppositio cum lege ejusdem est naturæ: sic duo furta numero solo differunt. Agemus 1^o. de specifica; 2^o. de numerica peccatorum distinctione. Argumentum istud non levis est momenti, cum definiat Concilium Tridentinum debere penitentes peccatorum numerum, speciem, & circumstantias speciem mutantem, in confessione declarare. (Sess. 14. de Penitentia, cap. 5. & can. 7.)

ARTICULUS PRIMUS.

De specifica Peccatorum distinctione.

Hic quaritur unde repetenda sit peccatorum distinctio specifica; qua de re variæ sunt opiniones.

PROPOSITIO I.

Peccatorum specifica distinctio non repetenda est ex oppositione notabiliter majori cum Lege.

Prob. Quia circumstantia quælibet insigniter peccatum augens, indicit oppositionem notabiliter majorem cum lege: atqui, juxta communem Theo-

logorum sententiam, circumstantia peccatum insigniter amplificans illius speciem non mutat; sic furtum unius aurei magis opponitur legi, quam furtum unius assis: atqui tamen utrumque specie non differt, sed continetur sub genere furti; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Distinctio specifica Peccatorum non desumenda est ex præceptorum distinctione.

Prob. 1^o. Quia ex S. Thoma, *Secundum præcepta diversa legis non diversificantur peccata secundum speciem.* (1. 2. q. 72. art. 6. ad 2.) 2^o. Quia unum & idem peccatum cum distinctis præceptis plerumque pugnat: qui enim furtum, v. g. perpetrat, non nisi unum specie peccatum committit: atqui tamen furtum distinctis præceptis opponitur, nempe legi naturali, legi divinæ positivæ, legi humanæ tum civili, tum ecclesiasticæ; ergo, &c.

PROPOSITIO III.

Specifica Peccatorum distinctio repetenda est ex oppositione specie diversa cum Lege.

Prob. Peccatum quodcumque est oppositio cum lege; necesse est igitur ut quando hæc oppositio specie diversa est, peccatum etiam sit specie diversum. Peccata autem oppositionem cum lege specie diversam habent, ac proinde specie differunt.

1^o. Cum mala actio diversis adversatur virtutibus: Sic infidelitas, desperatio, odium Dei, sunt peccata specie adversa, quia, diversis opponuntur virtutibus, nempe fidei, spei & caritati. Sic etiam furtum in loco sacro commissum, licet uno actu perficiatur, duplicem malitiam specie distinctam

complectur; duas enim virtutes specie diversas simul lædit, scilicet iustitiam quæ prohibet ne alterius bonis damnum inferatur, & Religionem quæ vetat ne violetur reverentia loco sacro debita.

2^o. Cum peccata diversis ejusdem virtutis officiis adversantur. Nam ob causam idololatriæ & superstitionis specie discrepant, quia diversis ejusdem virtutis, nempe Religionis, officiis sunt contraria; vetat enim Religio ne alius colatur, quam verus Deus; prohibet etiam ne vero Deo cultus minimè legitimus exhibeatur; contra prius officium peccat idololatria; & contra posterius superstitio.

3^o. Quando peccata eandem virtutem offendunt modo contrario. Sic prodigalitas & avaritia specie differunt quia, licet uni tantum virtuti opponantur, nimirum liberalitati, ab ea tamen duobus modis contrariis, ac proinde specie diversis, deficiunt, altera per excessum & altera per defectum.

4^o. Demùm cum eandem virtutem lædunt diverso modo, quamvis non contrario. Sic furtum, detractio, homicidium specie discriminatur, quia eandem iustitiæ virtutem impugnant modo dispari, licet non contrario: aliter enim violat iustitiam qui bonis, aliter qui famæ, & aliter qui vitæ proximi nocet.

ARTICULUS II.

De Peccatorum numerica distinctione.

Unde repetenda sit peccatorum numerica distinctio disputatur. Hæc autem controversia non movetur de peccatis specie, sive naturæ suæ, diversis. Certum quippe est in his quæ ex natura suâ differunt, unum non esse alterum. Distinctio igitur specifica peccatorum numericam necessariò importat. Sed præsens disputatio ea tantum peccata spectat, quæ ejusdem sunt speciei sive naturæ, & quæ-

rius quandonam illa numero distinguantur: quæ de re duas statuimus regulas à plerisque Theologis receptas.

REG. I. Distinctio numerica peccatorum repetenda est ex distinctis objectis circa quæ versantur peccata.

Probatum. Unus enim actus peccatum est numero multiplex, quando malitiam habet numero multiplicem: atqui actus qui versatur circa plura distinctaque objecta, licet physicè unus, malitiam continet numero multiplicem; ergo hujusmodi actus, quamvis unus, multiplex tamen numero peccatum completitur.

Hinc colliges, 1^o. eum qui uno actu duos homines occidit vel infamat, duplicis peccati reum esse, quia actus ille versatur circa duplex objectum numero distinctum; 2^o. qui uno actu furatur ex eodem grege animalia quæ ad plures dominos pertinent, tot perpetrare peccata, quot sunt domini; jus enim unius numericè distinguitur à jure alterius; 3^o. Sacerdotem in statu peccati mortalis constitutum toties peccare, quoties administrat Sacramenta, quia unaquaque administratio ab altera numericè distinguitur.

REG. II. Distinctio numerica peccatorum petitur etiam ex morali interruptione actuum.

Probatum. Inde meritò deducitur distinctio numerica peccatorum, ex quo fit ut actus malus numero multiplicetur: atqui ex interruptione morali fit ut actus malus numero multiplicetur. Hæc enim efficit ut actus inter se non sint connexi: atqui actus mali qui secum invicem connexionem non habent, totidem sunt actus mali numero distincti; ergo, &c.

Moralis autem hæc interruptio locum habet 1^o. cum prioris actus voluntas revocata fuit per aliam contrariam, quia hæc retractatio efficit ut posterior actus non possit cum priori in unum actum coire. Hinc si quis furari apud se statuerit,

& deinde voluntatem hanc abjiciat, eamque brevissimo licet tempore interposito, resumat, duplex numero peccatum committit.

2^o. Per liberam ab actu voluntatis cessationem, dum aliquis mentem alio convertit, de alia re cogitans quæ nullam habeat cum priori actu connexionem. Ratio est, quia prior voluntas, eo quod liberè dimissa fuerit, non censetur moraliter continuata. Hinc si quis, concepto alicujus occidendi consilio, ab eo mentem revocet, ad alia sese convertat, & deinde ad prius consilium revertatur, duplicis peccati reus est: posterior enim actus voluntatis à priori, propter interruptionem, numericè distinguitur.

3^o. Quando inter unum actum & alterum satis intercedit temporis, ut prudentum judicio dici non possint inter se continui; sic qui odio in fratrem ante somnum exarsit, & expergesfactus eundem actum renovat, duplex peccatum committit, quia prior actus à posteriori censetur distinctus.

CAPUT IV.

De Peccatorum connexionem & inaequalitate.

QUÆRES 1^o. utrum omnia peccata sint inter se connexa: cui quasiunculae locum dedit hæc Jacobi Apostoli sententia: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* (Cap. 2. 10.)

Resp. Omnia peccata non esse simul colligata, quia multa inter crimina nihil est affinitatis. Quæ enim cognatio est, v. g. inter furtum & homicidium, inter adulterium & mendacium? Quinimò quædam peccata ita secum invicem pugnant, ut si-

mul cohærere nequeant; quales sunt avaritia & prodigalitas. Neque verò negotium facessere debet præfata Jacobi sententia: qui enim *offendit in uno* dicitur fieri *omnium reus*, non quod, commisso uno peccato, censetur alia simul omnia perpetrasse; sed vel quia sufficit unum peccatum mortale, ut qui aliundè est legis observator in æternam incurrat damnationem; vel quia peccans in uno, contra caritatem peccat, ac proinde contra universam legem quæ tota sita est in caritate, juxta illud Apostoli: *Omnis lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum.* (Galat. 5. 14.)

Quæres 2^o. an omnia peccata sint æqualia.

Resp. paria esse omnia peccata IV sæculo docuit Jovinianus; qua in re turpiter erravit. 1^o. Quia Christus asserit peccatum Judæ eum tradentis, gravius esse crimine Pilati eum condemnantis: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* (Joan. 19. 11.) 2^o. Quia ex peccatis quædam sunt venialia, quædam autem mortalia, ut postea probabimus. 3^o. Quia nonnulla rectæ rationi magis adversantur quàm alia, ut homicidium comparatè ad detractionem. Quis enim negaverit rectam rationem ab eo magis offendi qui alium occidit, quàm ab eo qui alterius famam imminuit? 4^o. Quia ex virtutibus aliæ sunt aliis nobiliores, ut virtutes theologice respectu virtutum moralium; necesse est igitur ut ex peccatis alia sint aliis majora, ea nempe quæ virtuti præstantiori sunt opposita, vel eandem gravius lædunt.

Quæres 3^o. unde petenda sit peccatorum inaequalitas.

Resp. eam repetendam esse 1^o. ab objectis ex quibus fit ut peccata sint alia aliis graviora, *Prima graviora peccati*, inquit S. Thomas, *attenditur ex parte objecti* (1. 2. q. 73. art. 9. in corp.) Unde sequitur peccata in Deum esse majora peccatis in

homines, quia Deus est bonum longè excellentius homine; homicidium pariter esse crimen atrocius furto, quia vita hominis est bonum præstantius bonis externis.

2^o. Ex fine: quò enim peior est finis quem sibi proponit agens inter peccandum, eò certè gravius est delictum. Sic longè magis reus est qui mendacio utitur ad malum aliquod perpetrandum, quàm qui illud adhibet ad boni quidpiam efficiendum, v. g. ut proximo aliquà necessitate laboranti subveniat.

3^o. Ex circumstantiis quæ pro sua multiplici diversitate culpam augent vel minuunt: magis enim vel minus peccatur pro majori vel minori cognitione ex parte intellectus, & affectu ex parte voluntatis; pro ratione vel damni quod proximo inferatur, vel scandali cui occasionem dat peccatum, vel loci in quo committitur. Sic furiam in loco sacro factam, ceteris paribus, gravius est delictum quàm factam in loco profano perpetratum. Sed de his subtilis dictum est in Tractatu de Actibus humanis.

CAPUT V.

De effectibus Peccati.

TRES sunt præcipui effectus peccati, scilicet animæ macula, reatus pœnæ & ipsa pœna: quæ tria duobus in articulis exponemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De maculâ quâ Peccatum animam inficit.

Firma & stabilis est omnium Catholicorum doctrina, peccatum animam quâdam inquinare maculâ quæ, præterito actu peccati, remanet. Id colligitur 1^o. ex iis Scripturæ locis in quibus peccata sordes, maculæ, inquinamentum dicuntur. *Peccastis*, inquit Josue, *in Beelphegor*, & ... *macula hujus sceleris in vobis permanet.* (Cap. 22. 17.) *Effundam super vos aquam mundam*, ait Dominus, & *mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* (Ezech. 36. 25.) *Si abluerit Dominus sordes filiarum Israel.* (Isa. 4. 4.) *In fidelibus nihil est mundum: sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.* (Tit. 1. 15.)

2^o. Idem colligitur ex modo loquendi apud Patres Tridentinos usitato. Hominem dicunt per inobedientiam *inquinatum*; infantes per Baptismum *mandari*, ut in eis *regeneratione mundetur*, quod *generatione contraxerunt.* (Sess. 5. de peccato origin. can. 2. & 4.) Atqui hæc loquendi ratio manifestè indicat aliquam, juxta Patres Tridentinos, esse peccati maculam quæ per Baptismum verè deleatur.

Quæres in quo consistat hæc macula quæ, actus peccati præterito, in anima residet donec pœnitentiâ tollatur.

Resp. ea de re varias esse Theologorum opiniones. 1^o. Docet Scotus maculam hanc nihil aliud esse quàm *reatum pœnæ*, sive obligationem ad pœnam; quatenus anima, post actum peccati commissum, manet obnoxia pœnæ à Deo irato sibi destinatæ. Sed resellitur ista sententia, quia *reatus pœnæ* posterior est maculâ, eamque sub

sequitur: prius est enim peccato maculati animam, quam pœnis à Deo constitutis digna censeatur.

2^o. Permulti maculam peccati sitam esse volunt in privatione gratiæ *sanctificantis*, sed immeritò propterea. 1^o. Quia reperiri potest hæc macula in iis qui gratiam *sanctificantem* non amiserunt, siquidem anima Iusti qui venialiter tantùm peccavit, aliquam contrahit maculam; gratiâ tamen *justificante* non destruitur. 2^o. Quia inde sequeretur nullam per secundum mortale peccatum importari maculam; siquidem per primum jam amissa fuit gratia *sanctificans*. 3^o. Quia in hac opinione omnes mortaliter, quamvis tamen inæqualiter, peccantes eandem labem contraherent, cum pariter gratiâ *sanctificante* exnerentur.

3^o. Alii maculam peccati reponunt in privatione, non gratiæ tantùm *sanctificantis*, sed decoris & pulchritudinis quæ animæ prius inerat, & quæ sua est in voluntatis humanæ rectitudine; quod istâ comparatione illustrare conatur Laurentius Berti: Rectum teneo lacillum, sed flexile, cujus pulchritudo in rectitudine consistit; illud inflecto ut à recto declinet: flexione istâ quamdam contrahit deformitatem quæ ipsi inhærebit, etiam cum flexentem manum retraxero; sed potest ad priorem rectitudinem opposito flexu revocari. Exemplum illud voluntati humanæ sic applicat: Hæc potest ad bonum & malum à libero arbitrio inclinari: ejus decor & pulchritudo in eo consistit, quod recta sit, nec à lege æterna summoque bono detorqueatur. Dum pravo liberi arbitrii usu avertitur à summo bono, ut ad bona creata & fluxa sese convertat, tunc veluti contorta redditur & deformis: nequit autem ad priorem formam decoremque pristinum revocari, nisi sanctâ dilectione fiat iterum recta, nempe à bonis commutabilibus averfa, ad bonumque immutabile conversa; motus ergo liberi arbitrii voluntatem ad malum incli-

nans, est actus peccati; deformitas verò, sive privatio rectitudinis in anima remanens, donec iterum ad summum bonum convertatur, est peccati macula. Opinionem hanc alius anteposuerim, si quid in re maximè obscurâ definire liceat humanæ mentis imbecillitati.

ARTICULUS II.

De reatu pœnæ, & ipsâ pœnâ peccati.

Reatus pœnæ est obligatio quædam pœnam subeunda, cui peccatorem obnoxium esse docet Christus his verbis: *Qui dixerit fratri suo, facue, reus erit gehennæ ignis.* (*Matth.* 5. 22.) Pœna autem quæ peccato rependitur, duplex est; alia nimirum presentis vitæ, ut varia morborum genera; alia vitæ futuræ, & luitur vel in igæe purgatorio, vel in inferno. Hic autem quaeritur an æterna sit pœna damnatis propter peccatum mortale imposita: de purgatorio enim disputatum fuit in Pœnitentiæ *appendice de Indulgentiis.*

PROPOSITIO.

Æterna sunt damnatorum pœnæ.

Probat 1^o. ex Scriptura: Insignia sunt hæc verba: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* (*Matth.* 25. 46.) Eodem itaque sensu debet supplicium intelligi æternum pro reprobis, quo vita seu beatitudo dicitur æterna pro electis: atqui electorum vita, seu felicitas, hic dicitur æterna eo sensu quod nunquam sit desitura, ut probavimus in Tractatu de *Actibus humanis*; ergo idem sentiendum est de reproborum supplicio. Hinc *supplicium æternum*, inquit Augustinus, *inde vita æterna: dicere autem: Vita æterna sine fine erit, supplicium æternum sine*

habebit, multum absurdum est & unde quia vita eterna Sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum, quibus erit, finem procul dubio non habebit. (Lib. 21. de civit. Dei, cap. 23. tom. 7. pag. 641.)

Præterea bonum tibi est, inquit Christus, ad vitam ingredi debilem vel claudam, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. (Matth. 18. 8.) Apud Marcum verò legitur, in ignem inextinguibilem. (Cap. 9. 42.) Congregabit criticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili. (Matth. 3. 12.) Denique in reprobos pronuntiatur terribilis hæc sententia: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.* (Ibid. Cap. 25. v. 41. Ut quid autem inferorum ignis toties diceretur in Scripturis æternus, inextinguibilis, si reproborum pœna finem esset habitura?

Prob. 2^o. ex Patribus: *Iniquorum* (corpora), inquit S. Iulianus, in perpetuo sensu cum pravis demonibus, in ignem æternum mittit Deus. (Apolog. 1. n. 52. pag. 74. Edit. BB.) S. Irenæus: *Quibuscumque dixerit Dominus: Discedite à me, maledicti, in ignem perpetuum, isti erunt semper damnati.* (Lib. 4. adversus hæres. cap. 28. n. 2. pag. 266. Edit. BB.) Tertullianus sic animam alloquitur: *Afirmamus te... pro meritis, aut cruciatui destinari, aut refrigerio, utrique sempiterno.* (Lib. de testimon. animæ, cap. 4. pag. 66.) S. Augustinus librum 21. de civit. Dei integrum scripsit, ut damnatorum pœnas nullum finem habituras esse demonstraret. S. Fulgentius: *Iniqui omnes ibant in combustionem æternam, ... semper arsurus cum diabolo.* (Lib. de fide ad Petrum, c. 43. n. 84.) S. Gregorius Papa: *Sicut finis non erit gaudium bonorum; ita finis non erit tormentum malorum.* (Lib. 4. Dialog. cap. 44. tom. 2. Ed. BB.) Eandem doctrinam in aliis Patribus vid. as,

Porro unanimis Patrum Traditio tutissima est veritatis regula: atqui SS. Patres unanimi consensu docent damnatorum pœnas nullum finem esse habituras; ergo certissimum est quod defendimus dogma.

Prob. 3^o. ratione theologica: Nunquam per Ecclesiam licitum fuit orare pro damnatis, ut sic docet Augustinus: *Si Ecclesia nosset eos qui, licet adhuc in hac vita constituti sint, tamen prædestinati sunt in ignem æternum ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso.* (Lib. 12. de civit. Dei, cap. 24. n. 1. tom. 7. pag. 642.) Atqui pro damnatis precari liceret, si ipsorum pœna esset aliquando desitura, ad placandum scilicet Deum, eorumque supplicii finem accelerandum; quemadmodum pro iis orare licet, qui in igne purgatorio pœnas temporales patiuntur; ergo cum semper prohiberit Ecclesia, ne pro damnatis preces adhiberentur, constanter etiam credit eos æternis suppliciis addictos esse.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. In Scripturis æternum non semel dicitur, quod non nisi diuturnum est. De circumcissione, v. g. dictum est: *Erit pactum meum in carne vestra in sædus æternum;* (Genes. 17. 13.) & tamen Circumcisionis sædus abolitum est Lege Christiana; ergo ex eo quod damnatorum pœna in Scripturis dicantur æterna, concludi non potest eas nunquam esse delituras.

Resp. Dist. ant. Et tunc aliquid in Scripturis occurrit, quo vocis illius æternum sensus restringitur, conc. ant. vox æternum semper significat durationem tantum longissimam, neg. ant.

Fateor equidem in Scripturis, & præsertim in Veteri Testamento, voce illa æternum significari nonnunquam durationem tantum longissimam. Tunc autem vel ipso ex loco, ubi legitur vox

æternum, vel ex aliis manifestum est non designari nisi tempus diuturnum. Quod, v. g. obijcitur de Circumcisione, restringitur ad longissimam tantum durationem per alia Veteris Testamenti loca, quibus præuantiatur foedus quod Deus primum cum Gente Judaica pepigit, antiquatum & abrogatum iri, novumque ac præstantius ei successorum, ut alibi exposuimus.

Porro in sacris Novi Testamenti paginis nihil est quod vocem *æternum*, ubi agitur de supplicio damnatorum, intra longissimam tantum durationis significationem coerceat: quinimò clarissime & frequentissime poenarum reprobis destinatarum inculcatur perennitas, ut constat ex testimoniis jam prolatis. Præterea aliis exprimitur nominibus, nempe igne *inextinguibili*, fumo tormentorum qui *ascendet in secula seculorum.* (Apoc. 14. 11.) Atqui hæc locutio in *secula seculorum*, non diuturnam solum, sed verè æternam durationem exhibet, ut patet ex isto loco: *Sedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.* (Ibid. cap. 5. v. 13.) Denique SS. Patres ea quæ adduximus Scripturæ loca de æternitate propriè dicta intelligunt.

Obj. 2^o. Illa sententia rejicienda est quæ lædit iustitiam Dei: atqui sententia quæ defendit poenarum æternitatem, lædit iustitiam Dei; ergo prosus rejicienda est.

Resp. Neg. min. 1^o. Quia iustitia Dei in eo non læditur, quòd puniat peccatum quandiu non expiatur: atqui peccatum mortale per totam æternitatem non expiatur; siquidem hominem post interitum in eo statu constituit, in quo diuinæ iustitiæ nunquam poterit satisfacere: nam casitatem in æternum exinguit, sine qua flecti non potest vindex Dei iustitia.

2^o. Quia peccatum mortale æternum est ratione affectus hominis damnati qui ita erat animo comparatus, ut semper peccare voluerit: *Iniqui enim...*

voluissent sine fine vivere, ait S. Gregorius, *ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere, ... ad districti ergo iudicis iustitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluisset carere peccato.* (Lib. 34. Moral. cap. 19. n. 36. tom. 1. Edit. BB. pag. 1132. & 1133.)

3^o. Quia id decernere, salvâ suâ iustitiâ, potuit summus Legislator Deus, quod maximè utile est, ne dicam necessarium, ad impediendam legum violationem, & comprimendam peccandi libidinem: atqui ad illud plurimum valet poenæ comminatio: docet enim experientia dolores acutissimos, vel mala temporaria, cum sola spectantur, non obstare quominus plurimi homines leges infringant; potuit ergo Deus citra iniustitiam, poenas æternas gravibus peccatis imponere, præsertim si mercedem eadem ratione quâ poenam amplificet, hinc bonis præmium æternum, inde malis supplicium perpetuum denuntiando.

Inst. Illa sententia diuinam lædit iustitiam, quâ positâ, Deus non servaret proportionem inter poenas & peccata: atqui in sententia quæ poenarum æternitatem defendit, Deus non servaret proportionem inter peccata, ut potè momentanea, & poenas, ut potè æternas; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quâ positâ, Deus non servaret aliquam proportionem inter, &c. conc. maj. quâ positâ, Deus non servaret omnimodam proportionem inter, &c. neg. maj.

Reverè postulat æquitas ut aliqua sit proportio inter poenam & culpam; quatenus scilicet pro graviore peccato major poena, minor verò pro leviore infligi debet; sed illud non intelligendum est de omnimodâ proportione, ita ut æstimanda sit ex durationis æqualitate. Inde enim sequeretur vix ullam inter homines servari iustitiam, cum poenæ pro commissis sceleribus infliguntur à iudicibus: nam quoties contingit ut pro crimine, v. g. homicidio, quod brevissimo tempore fuit per-

peccatum, mors decernatur quâ reus in perpetuum ab humana societate aufertur. Inde sequeretur etiam crimina graviora citius commissa, pœnis minus diuturnis esse afficienda, quod absurdum est: *Nec quisquam extitit, inquit Augustinus, qui censeret tam citò nocentium finiendâ esse tormenta, quàm citò factum est homicidium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus.* (Lib. 21. de civitate Dei, cap. 11. tom. 7. pag. 632.) Certum est igitur pœnarum æquitatem non pensandam esse ex durationis æqualitate, verùm ex criminis gravitate, vel etiã ex supplicii ad scelus impediendam utilitate aut necessitate.

Præterea dici potest Deum, crimen æternis puniendo suppliciis, servare proportione peccatum inter & pœnam, etiam quoad durationem; post interitum enim peccatoris, mortale peccatum semper est extitutum, nec unquam delebitur, ut supra diximus.

DISSERTATIO II.

De Peccatis in specie.

PECCATUM generatim sumptum dividitur præsertim in *originale* & *actuale*. Peccatum *originale* dicitur illud quod nascendo contrahimus, non quidem per actum voluntatis nostræ proprium; sed propter primorum parentum culpam, cujus labes simul cum natura in totam eorum sobolem viâ generationis transfunditur. Vocatur *originale*, tum quia nobis singulis statim ab ortu inest; tum quia à primo parente derivatur, qui totius generis humani fons & origo fuit.

Peccatum *actuale* dicitur illud quod adulti pro-

prio suâ voluntatis actu committunt, duplicisque est generis; aliud nimirum *mortale* quod spiritua-lem animæ vitam, nempe gratiam *sanctificantiæ*, exinguit; aliud *veniale* quod nec hominem iustitiâ exuit, nec pœnæ æternæ, sed temporali tantum facit obnoxium. Peccatum denique aliud dicitur *capitale*, quia non solum ex se gravissimum est, sed etiam aliorum radix funesta; & aliud *non capitale* quod ita ex se peccatum est, ut aliorum non sit veluti radix. Ea sunt præcipuæ peccati divisiones.

Omissis autem peccatis capitalibus, quorum tractatio ubique obvia est, dicemus 1^o. de peccato originali; 2^o. de mortali & veniali.

CAPUT PRIMUM.

De Peccato originali.

GRAVISSIMUM illud argumentum in sex articulos distribuimus; in primo, existere peccatum originale; in secundo, illud unicuique proprium esse & inhærens probabitur; in tertio, de ejus natura; in quarto, de modo quo in posteros Adami transmittitur; in quinto, de illius subjecto; in sexto, de ejusdem effectibus disputabitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De peccati originalis existentia.

Pelagius patriâ Britannus, professione Monachus, circa annum 405 varios errores disseminavit. Horum perniciosissimus, aliorumque veluti basis fuit iste, nempe Adamum suâ inobedientiâ sibi

peccatum, mors decernatur quâ reus in perpetuum ab humana societate aufertur. Inde sequeretur etiam crimina graviora citius commissa, pœnis minus diuturnis esse afficienda, quod absurdum est: *Nec quisquam extitit, inquit Augustinus, qui censeret tam citò nocentium finiendâ esse tormenta, quàm citò factum est homicidium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus.* (Lib. 21. de civitate Dei, cap. 11. tom. 7. pag. 632.) Certum est igitur pœnarum æquitatem non pensandam esse ex durationis æqualitate, verùm ex criminis gravitate, vel etiã ex supplicii ad scelus impediendam utilitate aut necessitate.

Præterea dici potest Deum, crimen æternis puniendo suppliciis, servare proportione peccatum inter & pœnam, etiam quoad durationem; post interitum enim peccatoris, mortale peccatum semper est extitutum, nec unquam delebitur, ut supra diximus.

DISSERTATIO II.

De Peccatis in specie.

PECCATUM generatim sumptum dividitur præsertim in *originale* & *actuale*. Peccatum *originale* dicitur illud quod nascendo contrahimus, non quidem per actum voluntatis nostræ proprium; sed propter primorum parentum culpam, cujus labes simul cum natura in totam eorum sobolem viâ generationis transfunditur. Vocatur *originale*, tum quia nobis singulis statim ab ortu inest; tum quia à primo parente derivatur, qui totius generis humani fons & origo fuit.

Peccatum *actuale* dicitur illud quod adulti pro-

prio suâ voluntatis actu committunt, duplicisque est generis; aliud nimirum *mortale* quod spiritua-lem animæ vitam, nempe gratiam *sanctificantiæ*, exinguit; aliud *veniale* quod nec hominem iustitiâ exuit, nec pœnæ æternæ, sed temporali tantum facit obnoxium. Peccatum denique aliud dicitur *capitale*, quia non solum ex se gravissimum est, sed etiam aliorum radix funesta; & aliud *non capitale* quod ita ex se peccatum est, ut aliorum non sit veluti radix. Ea sunt præcipuæ peccati divisiones.

Omissis autem peccatis capitalibus, quorum tractatio ubique obvia est, dicemus 1^o. de peccato originali; 2^o. de mortali & veniali.

CAPUT PRIMUM.

De Peccato originali.

GRAVISSIMUM illud argumentum in sex articulos distribuimus; in primo, existere peccatum originale; in secundo, illud unicuique proprium esse & inhærens probabitur; in tertio, de ejus natura; in quarto, de modo quo in posteros Adami transmittitur; in quinto, de illius subjecto; in sexto, de ejusdem effectibus disputabitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De peccati originalis existentia.

Pelagius patriâ Britannus, professione Monachus, circa annum 405 varios errores disseminavit. Horum perniciosissimus, aliorumque veluti basis fuit iste, nempe Adamum suâ inobedientiâ sibi

tantum nocuisse; adeo ut infantes nascantur cum-
jullibet peccati immunes, & in eo sint statu in
quo erat Adamus priusquam peccasset. Errorum
hunc postea renovârunt Albigenes, Anabaptistæ &
Sociniani: adversus omnes illos hostes multiplici
argumentorum genere vindicandum est capitale
istud Religionis nostræ dogma. Sit igitur.

PROPOSITIO.

Existit Peccatum originale.

ARG. I. Ex Scriptura sacra.

1^o. Offerre solent Theologi: ista Vulgatæ nostræ
verba: *Quis potest facere mundum de immundo
conceptum semine? nonne tu qui solus es?* (Job.
14. 4.) vel ut legunt 70 interpretes: *Nemo
mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei
vita super terram.* Unde sic ratiocinantur: Infans
nascitur aliquâ sorde inquinatus, & de immundo
conceptus semine: hæc autem immundities non
est corporea, ut fingunt Sociniani, at spiritualis
& ipsa peccati originalis labes; siquidem eam,
teste Job, solus Deus mundare potest. Sed tota
vis hujus argumenti sita est in istis Vulgatæ verbis,
nonne tu qui solus es? Hæc autem verba in textu
hebraico non reperiuntur, sed ista solummodo:
*Quis poterit esse mundus, ex immundo natus? Ne
unus quidem.*

Originali textui magis accommodatum erit al-
terum istud argumentum: Falsa esse nequeunt
Scripturæ verba: atqui falsa erunt ista: *Quis po-
terit esse mundus, ex immundo natus? Ne unus
quidem;* falsa, inquam, erunt, si naturæ nostræ
labem, inquit Houbigant, non declarent: nam
quis neget hominem labe facinoris inquinatum,
feri deinde posse integrum vitæ ac labis expertem?

2^o. Ecce, inquit David, in iniquitatibus con-
ceptus sum, & in peccatis conceptis me mater mea

(Psal. 50.) Certè ex legitimo conjugio David
conceptus fuit: *Quid est ergo,* inquit S. Augusti-
nus, *quod dicit se in iniquitate conceptum, nisi
quia trahitur iniquitas ex Adam? Nec obstat plu-
ralis ille numerus, in iniquitatibus, in peccatis:*
singularem enim numerum, *in iniquitate, in pec-
cato,* adhibet textus hebraicus.

3^o. Apostolus sic docet: *Per unum hominem
peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum
mors, & ita in omnes homines pertransit, in quo
omnes peccaverunt.* (Rom. 5. 12.)

Eo loci agit Apostolus de peccato quod omnes
homines infecit, & morti obnoxios reddidit: atqui
peccatum illud aliud esse non potest, quàm origi-
nale, peccatum enim actuale non reperitur in in-
fantibus, ut omnes consentiunt: atqui peccatum
de quo loquitur Apostolus, locum habet etiam in
infantibus; 1^o. quia omnibus commune est, sic
testante Apostolo: *in quo omnes peccaverunt;* 2^o.
quia ad eos singulos pertinet qui morti sunt ob-
noxii; siquidem per illud peccatum *mors in omnes
homines pertransit:* atqui infantes ante quod-
cumque peccatum actuale, mortis imperio sub-
jacent, ut quotidiana comprobatur experientia; ergo
peccatum de quo loquitur Apostolus, est peccatum
originale.

4^o. Si unus, inquit Apostolus, pro omnibus
mortuus est; ergo omnes mortui sunt, & pro omni-
bus mortuus est Christus. (2. Cor. cap. 5. v. 14 &
15.) Porro si Christus pro omnibus mortuus est;
ergo & pro infantibus. Quid autem parvulis qui
nondum propriâ voluntate peccaverunt, opus esset
pretio mortis Christi, nisi piaculum aliquod ipsis
nascentibus inhæreret, à quò liberandi sunt ut Deo
reconciliantur? Ex hoc probavit Apostolus, inquit
Augustinus, omnes mortuos esse, quia pro omnibus
mortuus est unus; ... si nullum trahant peccatum
parvuli, non sunt mortui: si non sunt mortui, non
est mortuus pro eis, qui non est mortuus nisi pro

mortuis : ... nullo modo igitur negare permittitis eos trahere originale peccatum ; nam mortui unde , si non inde ? (Lib. 6. contra Julian. cap. 4. n. 8.)

Quapropter de omnibus generatim dicit Apostolus : *Eramus naturâ filii iræ , sicut & ceteri. (Ephes. 2. 3.) Sed quomodo naturâ , inquit Augustinus , nisi quia , peccante primo homine , vitium pro natura inolevit ? (Tract. 44. in Joan.)*

Solvuntur objecta ex Scripturis.

Objicies 1^o. Apostoli textus quo nostra nititur probatio , intelligi non debet de vera peccati originalis transfusione , sed imitatione , quatenus scilicet Adamus primus peccavit , suoque exemplo posteris exemplum dedit peccandi , quod imitati sunt. Quæ interpretatio magis congruit cum usitato loquendi modo ; peccatum enim dicitur per secleratum hominem intrare in aliquam societatem , quatenus ipsius exemplum sequantur ceteri ejusdem societatis.

Unde sic contrahitur argumentum : Apostoli verba intelligenda sunt de imitatione peccati ab Adamo commissi ; ergo ex iis inferri non potest peccati originalis propagatio.

Resp. Neg. ant. 1^o. Quia in textu Apostoli agitur de peccato quod omnes homines , ac proinde infantes ipsi contraxerunt juxta hæc verba : *in quo omnes peccaverunt* ; atqui ex imitatione peccare non possunt infantes ; nondum enim valent quemquam imitari.

2^o. Peccatum , teste Apostolo , *per unum hominem in hunc mundum intravit , & in omnes homines pertransiit eodem modo quo mors corporis , siquidem utramque simul conjungit ; atqui moriendi necessitas ipsâ generatione contrahitur , quatenus corpus nascitur morti obnoxium ; ergo pariter peccatum generatione contrahitur , quatenus natura propagatur corrupta & peccatrix.*

3^o. Quia multi , cum de Adamo ejusque peccato nihil prorsus audierint , ejus exemplum imitari non possunt : atqui tamen eos generali hæc sententiâ complectitur Apostolus : *in quo omnes peccaverunt.*

4^o. Ex Apostolo , Adamus eodem modo gentis humanæ damnationis causa extitit , quo Christus sanctitatis & justitiæ fons & origo fuit : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ; ita & per unius obedienciam just. constituentur multi : (Rom. 5. 17.)* atqui nefas sit dicere Christum nihil hominibus attulisse , præter innocentiae exemplum omnibus imitandum. Quid enim Patriarchis , aliisque veteris Testamenti Sanctis profuisset Christus , quem procul dubio non imitati sunt ? Absit igitur ut sentiamus Adamum nihil posteris suis nocuisse , nisi pravo exemplo.

5^o. Si Apostolo ea mens fuisset , ut primum peccandi exemplum commemoraret , non certè Adamum , sed potius diabolum quem ipse Adam imitatus est , aut Evam quæ ante virum peccavit , proferre debuit. *Si primum peccatorem requiris , ait Augustinus , diabolum vide. Sed humani generis massam volens ostendere Apostolus de origine venenatam , idem eum posuit de quo nati sumus , non eum quem imitati sumus. (Serm. 294. cap. 15.)*

Inst. 1^o. Apostolus post hæc verba v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , &c.* ista subjungit v. 13. : *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo ; peccatum autem non imputabatur , cum lex non esset.*

Unde sic : Peccatum de quo fit mentio in versiculo 13 , intelligi non potest de originali peccato quod sive ante , sive post legem , imputatum esse contendimus ; ergo neque in versiculo 12 fit sermo de originali , sed de actuali tantum peccato.

Resp. Neg. ant. Sic enim pergit Apostolus v. 14. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen , etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem*

prævaricationis Adæ. Itaque juxta mentem Apostoli mors, idèdque peccatum, *regnabit* etiam in eos qui nondum ratione utentes peccare non potuerunt *in similitudinem prævaricationis Adæ*, proprio nimirum suæ voluntatis actu. Parvuli igitur peccato & morti declarantur obnoxii: in iis autem non aliud esse potest peccatum, quàm originale.

Inst. 2^o. Sic pergit Apostolus: *Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei. . . in plures abundavit.* (*Ibid. v. 15.*)

Unde sequitur istud argumentum: Peccatum originale est illud quod per Adamum omnes & singuli homines dicuntur contrahere: atqui Apostolus non loquitur de peccato quod omnes & singulos homines infecerit; siquidem ait gratiam Christi *in plures* abundasse, quàm delictum Adami; ergo non loquitur Apostolus de peccato originali.

Resp. Neg. min. Neque ullam difficultatem facessere debet vox *plures*; græcè enim legitur πολλοις, id est, *multos*. Hinc Julianum sic urget Augustinus: *Non pronuntiat Apostolus plures, sed multos; græcè locutus est . . . lege & tace.* (*Lib. 2. operi imperf. cap. 206. tom. 10. pag. 1035.*) Nihil etiam difficultatis est in istis verbis: *nullo magis*; comparatè enim ad delictum & donum, non autem ad personas adhibentur; non sic igitur accipienda sunt, quasi plures homines gratiæ participes fierent, pauciores autem mortis & damnationis lege tenerentur; quod experientiæ quotidianæ repugnat: sed præfata verba eo sensu intelligenda sunt, quod plura bona nobis attulerit Christus quàm in vecta fuerint mala per Adamum; gratia enim Christi non à peccato solum originali nos liberat, sed etiam à peccatis *actualibus* quæ propriâ voluntate commisimus. Hanc esse Apostoli mentem satis patet ex iis quæ adjicit: *Judicium quidem ex uno in condemnationem; gratia au-*

tem ex multis delictis in justificationem. (*Rom. 5. 16.*)

Tollit gratia Christi, inquit Augustinus, *originalis peccati reatum; . . . dimittit etiam cuncta peccata quæ homines malè vivendo addiderunt: Judicium quippè ex uno delicto in condemnationem, quia unum illud quod à nascentibus trahitur, trahit ad æternam condemnationem, si non remittatur: nec tamen hoc solum gratia dimittit, alioquin tantum valeret; sed cum eo dimittit & cetera; ergo plus valet. Propter quod dictum est: Judicium quidem ex uno, &c.* (*Ibid. cap. 97. pag. 990.*)

Inst. 3^o. *Per inobedientiam unis peccatores constituti sunt multi*, inquit ibidem Apostolus; si *multi*; ergo non omnes.

Resp. Neg. conseq. Quia *multos* hic dicit Apostolus, quos antea dixerat *omnes*, iisque in locis ne levissima quidem est contradictio umbra, siquidem omnes homines reverè sunt multi. Vox *multi* in Scripturis nonnunquam accipitur pro *omnibus*, cum scilicet ea de quibus fit sermo, universalitatem simul & multitudinem efficiunt. Sic, v. g. de muliere peccatrice dicitur: *Remittuntur ei peccata multa id est, omnia.* (*Luc. 7. 47.*) Sic etiam Abrahamo dicit Deus: *Patrem multarum gentium constitui te.* (*Genes. 17. 5.*) *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ;* (*Ibid. cap. 22. v. 18.*) ergo quia homines quos infecit peccatum originale, sunt *omnes* simul & *multi*, alterutram vocem indiscriminatim usurpare potuit Apostolus.

Obj. 2^o. Apostolus dicit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* (*1. Cor. 15. 22.*) Ergo cum omnes non *vivificentur* in Christo, nec etiam omnes in Adamo *moriuntur*.

Resp. Neg. conseq. In eo quippè stat comparatio, quod *sicut sine Adam nullus ad mortem, ita sine Christo nullus ad vitam; sicut dicimus de litterarum magistro, si in civitate solus est, omnes iste hic litteras docet: non quia omnes discunt; sed quia*

nemo nisi ab ipso. Ita Augustinus. (*Lib. de nuptiis & concup. cap. 27. n. 46. tom. 10. pag. 325.*)

Obj. 3^o. Apud Ezech. sic promittitur: *Filius non portabit iniquitatem patris.* (*Cap. 18. v. 20.*) Atqui, posita labe originali, filius portaret iniquitatem patris sui; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Filius, &c. si illius non fuerit particeps, conc. si fuerit particeps, neg.

Perro singuli homines sunt iniquitatis Adami participes, quæ unicuique ipsorum propria est, non quidem proprietate actionis, inquit Augustinus, sed contagione propaginis. (*Lib. 6. contra Julianum, cap. 9. n. 28. tom. 10. pag. 678.*) Præterea ex objecto Ezechielis loco refellitur, ut observat Maldonatus, Pelagianorum error. Nam cum videtur, inquit, *infantes portare aliquam penam, cum moria, quod est iniquitatem portare, & cum Deus dicat filium non portare iniquitatem patris, sequitur eos (infantes) non mori propter solum peccatum Adami, sed propter suum; quia Adami peccatum ipse sit proprium & intrinsecum.* (*Tract. 3. de peccato orig. pag. 67. tom. 3. edit. Paris. 1677.*)

ARG. II. Ex patribus qui ante Pelagianam hæresim scripserunt.

1^o. S. Justinus Martyr ait *humanum genus ab Adamo in mortem & serpentis fraudem incidisse.* (*Dialog. cum Triphone, n. 18. pag. 286. edit. BB.*)

2^o. S. Irenæus, Lugdunensis Episcopus: *Sine Christo, inquit, impossibile erat us salutem perciperet qui sub Adæ peccato ceciderat.* (*Lib. 3. adversus hæreses, cap. 18. n. 2. col. 1. edit. BB.*)

3. Tertullianus sic habet: *Adam in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ eum damnationis traducem fecit.* (*Lib. de testimonio animæ, cap. 3. pag. 66.*) 4^o. S. Athanasius, *Ob Adami iniquitatem, inquit, omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione*

damnatione collapsi. (*In Psal. 50. tom. 1. part. 2. pag. 1087. & 1088.*) 5^o. S. Gregorius Nazianzenus: *Quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo vivamus* (*Orat. 28. ad Natalem Christi, n. 4. tom. 1. pag. 665. edit. Bened.*) 6^o. S. Chrysostomus: *Quando Adamus peccavit illud grande peccatum; omne genus humanum in commune damnavit.* (*Apud Aug. tom. 10. pag. 511.*) Denique S. Cyprianus unâ cum 66. Episcoporum Concilio ita docet: *Infans... secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primæ natiuitate contraxit.* (*Epist. ad Fidum, pag. 99. edit. Baluz.*)

Ex iis omnibus comperitur est SS. Patres tum Græcos, tum Latinos qui ante Pelagium floruerunt, in defendendo peccati originalis dogmate fuisse unanimes; quod proinde ex Traditione certum est. Hinc Augustinus objicenti Pelagio confictam ab eo fuisse peccati originalis transfusionem, sic respondet: *Non ego finxi originali peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus; sed tu qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus.* (*Lib. 2. de nuptiis, cap. 12. tom. 10. pag. 314.*)

Solvuntur objecta ex Patribus.

Obj. 1^o. Hæc Tertulliani verba: *Nulla fermè nativitas munda est, utique Ethnicorum. Hinc enim & Apostolus ex sanctificatione alterutro sexu Sanctos procreari ait, tam ex feminis prærogativa, quàm ex institutionis disciplina.* (*Lib. de anima, cap. 39. pag. 294.*) Ibi docet Tertullianus solam Ethnicorum nativitatem immundam esse, filios autem fidelium procreari sanctos; ergo non admittit peccatum originale.

Resp. Dist. ant. Docet Tertullianus filios fidelium procreari sanctos per comparisonem cum filiis Ethnicorum, conc. id est, propriè sanctos ab ortu, & ante susceptum Baptismum, neg. ant.

Hic Tertullianus Christianorum nativitatem quæ

ab omni idololatriæ & superstitionis sordē immunis est, comparat cum nativitate Ethnicorum quæ plurimis sædabatur superstitionibus quas in hoc loco describit.

Mundi sunt, juxta eum Doctorem, Christianorum filii, si cum Ethnicorum filiis conferantur: illi enim posteriores, cum idololatriâ obsetricæ nascantur, inquit, jam in partu, Lucinæ Dianæque devocentur: alii verò quasi ipsâ feminis conditione sanctitati destinantur. At non ideò censuit Christianorum filios sic à prima origine sanctos esse, ut ipsis nascentibus nihil sordium adhæreat: statim enim observat ipsos Christianorum infantes Baptismate indigere ut sanctitatem acquirant: Meminerat Apostolus, (Cum filios fidelium per parentes sanctificari dixit) dominicæ definitionis: nisi quis nascitur ex aqua & Spiritu, non ibit in Regnum Dei; ac proinde non erit sanctus.

Inst. Tertullianus suadet ut Baptismus infantium procrastinetur, donec adoleverint; Veniant (ad Baptismum) cum Christum nosse potuerint: quid festinat ætas innocens ad remissionem peccatorum? (Lib. de Bapt. cap. 18. pag. 231.) Ibi Tertullianus infantes vocat innocentes; ergo nullum in iis esse peccatum existimabat.

Resp. Dist. conseq. Nullum esse peccatum actuale, conc. originale, neg.

Id unum in præfatis Tertulliani verbis aliquid difficultatis habere potest, quòd infantium ætatem vocaverit innocentem: sed eo sensu hoc dictum fuit, quòd infantibus nullum sit peccatum actuale, non rejecto tamen originali. Quæ interpretatio duplici potissimum argumento nititur; primum est, quòd peccatum originale aliis in locis apertissime adstruat Tertullianus; imò in ipso textu qui nobis objicitur: supponit enim infantes ipsos in Baptismate consequi peccatorum remissionem. Quid festinat, inquit, innocens ætas ad remissionem peccatorum? Secundum est quia apud Veteres, sicut &

apud nos, infantes non raro dicuntur innocentes, eam ob causam quòd nullum peccatum actuale, & propriâ voluntate commiserint: *Parvulos innocentes merito nuncupamus*, inquit Augustinus, *secundum id quod ait Apostolus, nondum natos nihil egisse boni sive mali; non secundum id quod ait: per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* (Lib. 1. contra Julianum, cap. 6. n. 22. tom. 10. pag. 510.) Ideò suadebat Tertullianus ut parvuli non tam citò Baptismum reciperent, quia eâ ætate Baptismatis obligationes, tantique beneficii fructum & pretium non satis agnoscunt. Quæ in re Tertullianum non approbavit Ecclesiâ, ne scilicet infantes variis obnoxii periculis, repentinâ morte prius occuparentur, quàm Sacramentum regenerationis susceperint.

Obj. 2^o. Obscurum S. Clementis Alexandrini textum ubi respondet Basilidi & Encraticis qui nuptias & generationem damnabant, quia infantes statim ab ortu peccato inficiantur. Dicant ergo nobis, inquit, ubi fornicatus est infans navus, vel quomodò sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil operatus est? restat ergo eis ut dicant malam esse generationem, non solum eam quæ est corporis; sed etiam eam quæ est animæ propter quam est corpus; (Lib. 3. Stromatum, n. 16. pag. 556. & 557. edit. Oxon.) negat ergo S. Doctor infantem natum sub Adæ cecidisse execrationem, ac proinde originali peccato infici.

Resp. Neg. conseq. Hic refellit S. Doctor hæreticos qui Scripturæ sacre testimoniis quibus adstruitur peccatum originale, abutebantur ad damnandas nuptias. Quod argumentum ut ipsis eripiat, demonstrandum suscipit non ideò infantes nasci peccato constrictos, quòd malæ fiat nuptiæ, neque malum esse generationem, quia infantes in peccato concipiuntur: quæ duo verissima sunt, & culpæ originalis dogmati nequaquam adversantur.

1^o. Quidem certum est non ideò reos nasci par-

vulos, quod mala sit generatio. Si enim ex eo quod parentes gignendo peccarent, in culpa esset infans, maximè quia illorum peccati socius & particeps foret: atqui id dici non potest, quandoquidem parvulus qui gignitur, nullius operationis est capax; non ergo peccator nascitur, quia mala est generatio. Hic genuinus est illorum verborum sensus: *Dicant nobis ubi fornicatus est infans, aut quomodo cecidit sub Adæ execrationem*, (aliquid in peccatum gignentium conferendo) *qui nihil operatus est?* Aliam quidem ob causam in Adæ damnationem incurrit parvulus; sed illam ad causam non attendit S. Clemens, hæreticorum nuptias damnantium confutationi unicè intentus.

2^o. Non minùs verum est nuptias non idè malas esse & culpandas, quod infans nascatur obnoxius peccato. Si enim, ut observat S. Doctor, corporis generatio in dè mala esset, quod infans statim ab ortu peccator sit, mala etiàm foret animæ generatio, siquidem anima imprimis peccati labe inquinatur: atqui fatebantur Encratitæ malam non esse animæ procreationem, quamvis infans in peccato nascatur; ergo nec corporis generatio eam ob causam mala est ac damnanda. Id profectò significant ista verba: *Restat ut dicant malam esse generationem, non solum corporis, sed etiàm animæ*. In objecto igitur S. Clementis loco nihil est quod originalis peccati fidei adversetur.

Quod autem originale culpam admiserit, plurimis ex locis patet ubi Baptismum vocat *regenerationem, lavacrum per quod peccata abstergantur*. (Lib. 1. *Pedagogi*, cap. 6. *ibid.* p. 113.) Si verò per Baptismum homo regeneretur, ejusque peccata eluantur, quisquis eum suscipit peccatè censetur, non ignorabat autem S. Doctor infantibus recèns natis conferri Baptismum; ergo persuasum habuit eos nasci peccato originali infectos: siquidem *actuale* peccatum committere nequeunt.

Obj. 3^o. S. Chrysostomus in Homilia ad Neophytos, ut eos refellat qui totum Baptismi fructum in sola peccatorum remissione statuebant, adhibet exemplum parvulorum: *Ideo, inquit, infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes, ut eis deur vel addatur sanctitas, justitia, &c.* (Apud Aug. lib. 1. *contra Julian.* cap. 6. n. 21. tom. 10. pag. 509.) Docet itaque S. Chrysostomus infantes non habere peccata; ergo rejicit peccatum originale.

Resp. Dist. ant Non habere peccata *actualia*, conc. peccatum originale, neg.

Hanc fuisse S. Doctoris mentem constat. 1^o. Quia numerum pluralem adhibet, *quamvis peccata non habentes*; hic autem loquendi modus peccata *actualia* designat; quapropter sentiens Julianus, quantum suæ causæ obesset pluralis ille numerus, singularem fraudulenter substituerat. Quam perfidiam sic redarguit Augustinus: *Dixit (S. Chrysostomus) illos non habere peccata, non, sicut verba ejus ipse posuisti, non coinquinatos esse peccato, dum vis utique intelligi non eos peccato primi hominis esse inquinatos.* (Lib. 1. *contra Julian.* cap. 6. n. 21.) 2^o. Quia variis in locis, ac etiàm in objecta Homilia, peccatum originale adstruit: *Veni semel Christus, inquit, inveni nostrum chirographum paternum quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos sanus auximus posterioribus peccatis*: (Ibid. apud Aug. pag. 513.) Atqui si Adami, si paternum chirographum nostrum est, nemo sanè non inciditur peccato originali. 3^o. Quia, ut ait Augustinus, id moris est apud Scriptores, ut innocentes & sine peccatis dicantur infantes, eo *præcisè* quod nullum in iis sit peccatum *actuale*. (Ibid.)

Inst. 1^o. S. Doctor dicit Baptismum conferri parvulis, *ut eis addatur sanctitas, justitia, &c.* ergo credidit infantibus, ante susceptum Baptismum, inesse sanctitatem; ac proinde eos omnis peccati, etiàm originalis, esse expertes.

Resp. Dist. ant. Ut in eis addatur sanctitas remissioni peccatorum, conc. ut sanctitati Baptismo prævia nova sanctitas accederet, neg.

Cum enim S. Doctor eos impugnet qui nihil gratiæ tribuebant Baptismati, præter remissionem peccatorum, idè affirmat Baptismum conferri, ut peccatorum remissioni etiam addatur sanctitas, iustitia, &c. Illud sibi consilium fuisse manifestum est: postquam enim ostendit infantes fieri ex servis liberos, ex peccatoribus iustos; membra Ecclesiæ, filios Dei, hæredes regni, Christi fratres, cohæredes, Spiritus Sancti membra & organa, sic pergit: *Vides quot sunt Baptismatis largiæ, & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem.* (Apud Augustinum, lib. 1. contra Julian. cap. 6. n. 21.) Et verò ille non admittit in parvulis nondum Baptismate donatis sanctitatem, qui inter Baptismi fructus recenset regenerationem, resurrectionem, redemptionem quæ supponunt spiritualem animæ mortem, & sub demonis iugo servitutem: atqui S. Chrysostomus in ipsa quæ nobis objicitur Homilia, inter Baptismi fructus recenset, &c. *Supplicio, inquit, liberati sumus, de integro regenerati sumus, resurreximus & redempti sumus; ergo, &c.*

Inst. 2º. Chrysostomus sic interrogat: *Quid ergo, inquires, faciam? Propter illumne (Adamum) peream? Non sanè propter illum: neque enim tu sine peccato mansisti.* (Homil. 12. in Epist. 1. ad Cor. n. 3. tom. 10. pag. 170. Edit. BB.)

Itaque, juxta S. Doctorem, homo non perit propter Adamum, sed propter alia quæ commisit peccata; ergo non existimavit hominem nasci o originali quâdam labe infectum.

Resp. Dist. ant. Homo baptizatus non perit propter Adamum, conc. homo non baptizatus, neg.

S. Chrysostomus hic baptizatos alloquitur, qui opinari poterant se propter Adami peccatum ne-

cessariò perituros: eos autem ab illo metu liberat, admonendo baptismum non idè periturum, quia peccavit in Adamo, cum ab eo delicto fuerit per Baptismum purgatus; sed quia peccata actualia commisit à quibus, auxiliante gratiâ, potuisset abstinere.

Inst. 3º. S. Chrysostomus exponens hæc Apostoli verba: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, &c.* sic habet: *Quid significat illud, peccatores? mihi quidem videtur, supplicio obnoxios, & ad mortem damnatos.* (Hom. 10. in cap. 5. epist. ad Rom. tom. 9. pag. 523. nov. edit.)

Unde sic: Ille peccatum originale negat, qui docet homines per Adamum improprie tantum peccatores constitui, quatenus scilicet supplicio & morti fiunt obnoxii: atqui ita docet S. Chrysostomus; ergo, &c.

Resp. Neg. min. S. Doctor non peccatum excludit, at supponit. Declarat enim supplicio non esse obnoxium, nisi qui culpam habuerit; siquidem paulò ante probaverat peccatum in totum genus humanum transisse, quia mors quæ poena est peccati, in omnes grassatur. *Per unum hominem, inquit, peccatum intravit in mundum, non ipsum peccatum quod à legis transgressione ortum est; sed illud quod ab Adami inobedientia est, & quænam ejus rei probatio fuerit? nempe quod homines ante legem interirent.*

Obj. 4º. S. Opratus Episcopus Milevitanus, refellendo Donatistas qui Catholicorum communionem sub eo prætextu refugiebant, quod essent eorum filii, qui sacros codices persecutoribus tradiderant, docet traditorum crimen, qualecumque sit, illorum filiis nocere non posse: *Quæ res, inquit, jam ab antiquis sæculis in ipsis natalibus mundi comprobata est: nam non pertinuit ad Seth filium Adæ patris peccatum.* (Lib. 7. adversus Parmenianum.)

Porro si Adæ peccatum ad filium ejus Seth non pertinuit, neque etiam in alios homines transfunditur, ac proinde nullum est peccatum originale.

Resp. septimum hunc librum ex quo depromitur difficultas proposita, S. Optati negant esse eruditi, & quidem plurimas ob causas; 1^o. propter styli discrepantiam; 2^o. quia S. Hieronymus sex tantum numerat S. Optati libros; 3^o. Quia ipse etiam operis autor in libro primo indicans quid esset in singulis tractaturus, de illo septimo prorsus taceret; 4^o. quia in eodem libro extenuatur traditorum crimen, quod tamen gravissimum esse verus optatus asserit.

ARG. III. Ex præscriptione.

Certum est quo tempore Pelagiana hæresis & tenebris in locum emerit, Christianos omnes hoc dogma unanimi consensu tenuisse. Id probat metus ipse Pelagianorum, ne si doctrinam suam palam esserent, eos plebs Christiana lapidibus obrueret, ut scribit S. Hieronymus, (*Dialog. 3.*): constat etiam alios antiquiores hæreticos, Novatianos, Arianos, Apollinaristas, Donatistas in eandem fidem consensisse: atqui unanimis illa consensio inde orta est, quod peccati originalis dogma fuerit à Christo & Apostolis traditum. Vel enim hanc originem sibi vindicat, vel dicendum erit illud in Ecclesiæ doctrinam furtim irrepsisse: atqui id posterius defendi non potest. Hæc quippè mutatio fieri non potuit absque gravissimis contentionibus & dissidiis; 1^o. quia absurdum foret tam sacrilegæ novitatis insinulare sanctissimos totius orbis Episcopos, Presbyteros, ipsosque populos, quibus catholica fides adeo cordi erat, ut pro illa bonorum jacturam, exilia, carceres, tormenta, mortemque constantiter tolerarent; 2^o. quia de præcipuo Religionis fundamento hic agitur, cui Verbi Divini

Incarnatio, totumque Redemptionis nostræ opus inicitur; 3^o. quia peccati originalis dogma rationem humanam adeo superat, ut sine divina revelatione in cujusquam mentem venisse vix ac ne vix quidem potuerit; 4^o. quia ingenitæ nobis superbiæ tantoperè adversatur, ut recens à quolibet excogitari non potuisset, quin omnium offensionem excitasset.

Enim verò Pelagius, quamvis doctrinam humano ingenio longè magis accommodatam proposuerit, universæ tamen & Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ anathema effugere non potuit: quomodo igitur peccati originalis dogma antea, ut supponitur, inauditum, fidei ubique receptæ contrarium & superbiæ rationi tam ingratum; quomodo, inquam, potuisset absque ulla animorum contentione, ullisque dissidiis, & omnibus persuaderi, & universam Ecclesiam invadere? atqui tamen nullum discordiæ, nullum reclamationis vestigium, sive apud Patres, sive apud Scriptores Ecclesiasticos deprehenditur, nec invenire potuerit ipsimet Pelagiani; ergo certum est nullam doctrinæ mutationem circa peccatum originale in Ecclesia cotigisse; ergo istud fidei dogma fuit à Christo & Apostolis Ecclesiæ concreditum.

Hinc ubi primum Pelagius & Celestius fidem hanc impugnarunt, statim in eos insurrexere viri omnes Catholici, variisque in Conciliis & scriptis pellentissimum hunc errorem profligarunt. Sic, v. g. pronuntiaverunt Concilii Carthaginensis an. 418 Patres: *Quicumque parvulos recentes ab utero matrum ... dicit nihil ex Adamo trahere originalis peccati, ... anathema sit.* (*Cod. Concil. Eccles. Afric. can. 110. tom. 2. Concil. pag. 1121.*)

Præterea Baptisum omnibus, etiam parvulis, necessarium esse ut in Regnum cælorum admittantur, quovis tempore fuit Ecclesiæ fides, idque inficiari nunquam ausi sunt Pelagiani. *Non questio est, inquit Augustinus, inter nos & ipsos (Pelagianos)*

utrum parvuli baptizandi sint; hoc concedunt (*Serm. 294. cap. 11. n. 2. tom. 5. pag. 1183.*) porro Baptismus in remissione n. peccatorum conferebatur, ut ante Pelagianos tota profitebatur Ecclesia in isto symboli articulo: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Univerſa igitur credebatur Ecclesia infantes naſci alicujus peccati reos, quod baptiſmate abluendum erat. Hæc autem noxa non alia eſſe poteſt, quàm labes originalis: *Parvuli*, inquit Concilium Carthaginense, qui nihil peccatorum in ſe ſeipſis committere potuerunt, ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptiſantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt. (*Can. 2. tom. 2. Concil. pag. 1121.*)

Denique ceremoniæ quæ in Baptiſmate, etiam parvulorum, uſurpantur, nempe exorcismus & inſufflatio quibus abigitur immandus Spiritus, ubique receptæ erant ante Pelagianos: atqui ceremoniæ illæ aperte indicant Eccleſiam credidiſſe, parvulos ante Baptiſmum ſub dæmonis poteſtate eſſe conſtitutos: ſub illius autem imperio eſſe nequeunt, niſi ob peccatum aliquod naſcantur rei, & quod originale tantum eſſe poteſt; ergo ſemper Eccleſia perſuaſam habuit parvulis naſcentibus inhæreſcere labem originale. *Infantes cum baptizantur*, inquit Auguſtinus, *eruantur de poteſtate tenebrarum. Alioquin cum magna injuria Dei exorcifatur & exſufflatur imago Dei, ſi non ibi ille exorcifatur & exſufflatur princeps mundi, qui inſtitutus foras.* (*lib. 2. operis imperf. cap. 181. pag. 1026.*)

ARG. IV. Ex innumeris miſeriis quibus homo naſcitur obnoxius.

Sic ab Auguſtino proponitur: *Neque ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt.* (*Lib. 1. operis imperf. n. 39. tom. 10. pag. 887.*) Hoc principium ſtatuit S. Doctor tanquam inconcuſſum, & rationi maximè conſentaneum: atqui

parvulos ipſos nemo negaverit gravi malorum & dolorum jugo premi, quorum catalogum texere non minus longum, quàm ſuperfluum foret; necelle eſt igitur ut infantes tanto ſupplicio dignos fecerit grande aliquod peccatum: atqui id nihil aliud eſſe poteſt, quàm peccatum originale.

Sed juvat S. Doctorem audire. *Tunc vera eſt juſtitia Dei, ſi grave jugum ſuprà filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, non ſit injuſtam; quomodo autem non eſt injuſtum jugum grave, ſi nullum eſt in parvulis malum, propter quod juſtè jugo premantur gravi?* (*Lib. 6. contra Julian. cap. 5. n. 11.*) Sic etiam Pelagianos arguit: *Vos autem negantes originale peccatum, proſeçdò aut cogemini dicere Deum, vel invalidum, vel injuſtum, ſub cujus poteſtate imago ejus in parvulis ſine ullo vel proprii vel originalis peccati merito, tantis affligitur malis.* (*Ibid. cap. 21. n. 67.*) Quoniam Dei non eſt iniquum judicium, ideo in miſeria generis humani, quæ incipit à ſtetibus parvulorum, agnoſcendum eſt originale peccatum. (*Lib. 3. operis imperf. n. 77.*) Denique contra Julianum diſputans licè concludit: *Quid igitur reſtat, niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit, aut iniquitas, aut impotentia Dei, aut pœna primi veteriſque peccati?* (*Lib. 4. contra Julian. n. 83.*)

Itaque miſeriæ quibus ſtatim ab ortu premitur genus humanum, certiffimum ſunt peccati originalis argumentum, ſi Deus citra injuſtitiam non potuerit hominem naſcentem tot doloribus ſubjicere, niſi in alicujus peccati pœnam: atqui paſſim reſtatur Auguſtinus, Deum citra injuſtitiam non potuiſſe hominem naſcentem, &c.

Eandem hanc rationem adhibent alii Patres: S. Proſper agnoſcendum eſſe docet, quod eſt humanæ miſeriæ, non de inſtitutione creatoris, ſed de retributione eſſe judicis. (*Lib. cont. Collat. cap. 9. n. 26. pag. 180. & 184, in append. tom. 10. oper. S. Auguſt.*) Sic etiam declarat: *Miſeria ge-*

neris humani, cuius nullum hominum ab exorta usque ad obitum videmus alienum, non pertinere ad justum Dei omnipotentis iudicium, si non esset originale peccatum. (Sentent. 276. pag. 241. Ibid.)

S. Fulgenius aliique Episcopi in Sardinia pro fide exules, eandem veritatem sic defendunt: Cùm non sit iniquitas apud Deum qui fecit hominem ad imaginem suam, . . . quâ iustitiâ Deus justus infantibus sine peccato nascentibus (juxta Pelagianos) ingerit poenam, in quibus poena non invenit causam. (Lib. de Incarnat. & grat. cap. 14. n. 25. pag. 302.) Si ergo nolunt in ipsius Dei contumeliam mortificandâ impietate versari foveantur hominis primi in omnes homines cum morte transfisse peccatum. (Ibid.)

Gelasius Papa: Magis videbitur, quod absit; injustus Deus, si illic infligatur poena, ubi nulla sit culpa. (Appendic. tom. 10. oper. S. August. pag. 142.) De innumeris quibus homo subjacet miseriis loquens, sic asserit: Quæ utique poena iudicii tam gravis & aspera, in bono perseverantibus (homini) nullatenus esset infligenda, & nisi malo non convenienter addita. (Ibid. 143.)

Vetus autor libri cui titulus Hypognosticon, qui extat in Appendice Tomi X. oper. S. August. de poena Adami ejusque posteris imposita sic loquitur: Quod quâ iustitiâ, si hæredes peccati parentum non sumus, patiamur? (Lib. 2. cap. 1. pag. 10.) Pelagianos etiam sic urget: Secundum errorem vestrum Deus iniquus est, ut qui mori parvulum patitur, non habentem peccatum per quod posset vitâ privari. (Ibid. Lib. 5. cap. 1. pag. 36.)

S. Bonaventura docet naturam humanam non fuisse à Deo conditam, qualis nunc videtur, & miseriis quibus tentatur, à primorum parentum delicto fluxisse. Hoc, inquit, fidei veritas prædicat, sacræ Scripturæ autoritas confirmat, rationis probabilitas manifestat, . . . tam ex ordine qui respicit divinam justitiam, quàm ex ordine qui respicit su-

pietiam, quàm etiam ex ordine qui respicit bonitatem summam. (In 2. dist. 30. q. 1. tom. 4. pag. 371. col. 2. Edit. Lugd.)

Ex his autem innumerisque aliis similibus testimoniis pronum est sic arguenter: Illud peccatum admittendum est, quo sublato, Deus, illasâ suâ bonitate & justitiâ, non potuisset hominibus eas pœnas infligere, quibus ab ortu suo miserè confligantur: atqui juxta SS. Doctores mox allegatos, sublato peccato originali, Deus, &c. ergo, &c.

Dices 1^o. Hujus vitæ miseriæ ex ipsâ naturæ humanæ conditione derivantur: corpus enim nostrum, cùm elementis constet sibi invicem oppositis, ex se partium dissolutioni, ac proinde corruptioni obnoxium est. Hujus vitæ miseriis totidem esse naturæ appendices adeò certum est, ut belluæ, quamvis peccati expertes, doloribus & morti subiaceant.

Resp. Natura nihil aliud est, quàm summa & omnipotens Dei voluntas, res omnes à se conditas certis quas liberè posuit legibus administrantis. Deo hæc est natura, inquit Augustinus, quod fecerit; (Lib. 6. de Genesi ad litteram cap. 13. n. 24.) cùm igitur Deus eâ lege primum hominem condiderit, ut quandiu in justitia staret, omnis miseriæ expertis foret, liquet statum illum eo sensu naturalem fuisse.

Belluarum exemplum à Pelagianis objectum non semel repulit Augustinus. Julianum quippè dicentem bestias etiam, quando pariunt, dolorem pati, sic irridet: Non quidem tibi dixerunt animalia, utrum ille gemitus sit canentium vel dolentium. (Lib. 6. operis imperf. cap. 26. tom. 10. pag. 1343.) Philosophi Cartesiani, ut in Metaphysica exposuimus, gravissimis ducti argumentis asserunt nullum in belluis esse vel doloris vel gaudii sensum propriè dictum. Sed, missâ quæstione philosophicâ, cum Augustino respondemus: Quid mihi opus est in hac re scrutari obscura naturæ, cùm inde nostra

non pendeant? prorsus, si muta animalia nihil doloris patiuntur in partu, argumentum tuum nullum est; si autem patiuntur, ea ipsa poena est imaginis Dei, conditioni pecorum comparari: poena porro imaginis Dei, nisi culpa praeccederet, justa esse non posset. (Ibid.)

Dices 2^o. Apostoli de homine qui caecus natus fuerat à Domino quærent: *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut caecus nasceretur?* respondet Christus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo;* (Joan. 9. v. 2. & 3.) ergo peccatum non semper est malorum quæ patimur causa.

Resp. Dist. conseq. causa proxima, conc. causa saltem remota, neg. ant.

Enimverò perlocutum semper habuerunt omnes homines, quantumvis barbari, neminem esse, nisi ob aliquam culpam, miserum. Cur Pagani rebus in adversis ad numina sua confugiebant supplices? nonne quia ipsis certum erat, mala quælibet à diis offensis infligi? cur apud Jonam (cap. 1.) nautæ sortes mittunt, sevientem tempestate, ut explorent ejus culpam in tantum discrimen adducerentur? Cur denique cum Paulus in Melitensem insulam tempestate jactatus, à viperaque in farmentis delitescente correptus fuit? cur, inquam, barbari..... ad invicem dicebant, utique homicida est homo hic qui, cum evaserit de mari, ultio non finit eum vivere? (Act. 28. 4.) nonne quia ipsa docet ratio naturalis mala quæ nobis accidunt, alicujus peccati poenam?

Nullam igitur est malum quod suam in aliquo peccato causam non habeat, saltem remotam. Eo sensu intelligendum est quod Christus de cæco nato dixit, scilicet causam proximam cur statim ab ortu cæcus fuerit, non esse peculiare quoddam illius delictum; sed ut manifestentur opera Dei in illo. Quæ responsio non excludit causam aliam remotiorem, ab originali peccato deductam.

ARG. V. ex ingenita homini concupiscentia, sive ex illa ad malum proclivitate quam Apostolus vocat legem repugnantem Legi mentis, & captivantem in Lege peccati.

Hæc concupiscentia, veluti monstrum triceps, dividitur in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. (1. Joan. 2.) Quæ tria capita dicuntur ab Augustino *libido sentiendi, libido sciendi, & libido excellendi*. Porro libido hæc vel est à Deo, & à naturali hominis conditione, vel naturæ, qualis à Deo condita fuit, corruptela & depravatio, peccatique poena: atqui hæc concupiscentia non potuit homini à Deo inferi; ergo necesse est ut peccati, nempe originalis, poena sit.

Prob. minor propositio; nempe concupiscentiam non potuisse homini à Deo inferi: id enim homini à Deo insitum esse non potuit, quod ex se malum est ac deformis: atqui concupiscentia ex se mala est & deformis, ut multiplici ratione comprobatur.

1^o. S. Jacobus concupiscentiæ effectus sic describit: *Unusquisque tentatur, à sua concupiscentia abstractus & illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* (Cap. 1. v. 14. & 15.) Porro illud vitiosum est ex cujus natura est tentare, ad malum allicere, peccatum parere, & per illud mortem generare: atqui ita se habet concupiscentia, teste S. Jacobo; ergo, &c.

2^o. Id malum est, nec Deum autorem habere potest, quod Apostolus vocat *modò peccatum, modò legem repugnantem legi mentis, modò radicem omnium malorum*: atqui Apostolus his nominibus concupiscentiam designat: *Non quod volo bonum, hoc facio, inquit; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non*

operor illud, sed quod habitat in me peccatum, id est, juxta omnes interpretes, concupiscentia. (Rom. 7. v. 19. & 20.) Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati. (Ibid. v. 23.) Radix omnium malorum est cupiditas. (1. Tim. 6. 10.)

3^o. Illud per se habet aliquid vitii & deformitatis, quod virtutis est inimicum, & contra quod virtute pugnandum est: atqui talem esse concupiscentiam sic docet Augustinus: *Hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica.* (Lib. 4. cont. Julian. cap. 14. n. 65. tom. 10. pag. 615.) Præterea Julianum sic increpat: *Adhuc non evigilas, ut intelligas nostram naturam non esse, sed vitium, contra quod virtute pugnamus?* (Lib. 5. cont. Julian. cap. 7. n. 28. tom. 10. pag. 643. & 644.)

4^o. Id malum merito reputatur de quo, veluti de naturæ vitio, erubescimus: atqui ingenitus à natura pudor concupiscentiam inordinatis motibus æstuentem prosequitur: porro si bona sit & innocens, à Deoque nobis insita, vanus est, imò & culpandus ille pudor. *Quid enim,* ait Augustinus, *hominem pudeat operis quod non homo, sed Deus fecit in homine?* (Lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 9. n. 22. pag. 312.)

5^o. Illud vitiosum profectò est quod supremo ordini, summæque rationi adversatur: atqui concupiscentia, &c. postulant enim ordo & recta ratio, ut pars nobilior ignobiliorem regat, & inferior pareat superiori, ideòque ut mens motuum corporis domina sit: atqui per concupiscentiam fit ut pars hominis ignobilior, nimirum caro, adversus nobiliorem, nempe spiritum, rebellet & animus corporis motibus mancipetur; ergo, &c. Hinc Julianum sic compellat Augustinus: *Si sciferes, profectò iniquitatem esse videres, quæ pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori.* (Lib. 5. contra Julian. cap. 4. n. 16. pag. 637.)

Ex iis omnibus liquet ex se malam & deformem esse concupiscentiam, quam sibi medullitùs inhærentem homo gerit, eamque idcirco Deum autorem habere non posse; sed depravatæ naturæ vitium esse, & peccati originalis pœnam.

Norandum autem diligenter est, quamvis concupiscentiam malam dixerimus, illud non ita esse accipendum, ut semper veri nominis peccatum sit, & culpæ conscius habeatur, quisquis pravâ cupiditate titillatur: in hominibus enim, quantumque sanctitate polleant, superstes residet concupiscentia, sed ad pugnam: nec peccant aliquando, nisi dum vitii illecebris cedunt, & inordinatis motibus consentiunt. At licet culpæ expertus sit, qui concupiscentiam tenet captivam, ipsa tamen vitiosa est, nec unquam laudabilis, quamvis laude dignus sit qui fortiter ipsius impulsibus resistit.

Solvuntur Objeçta.

Ob. 1^o. Concupiscentia remanet in baptizatis, in quibus nullum superest malum; ergo non est mala, ne naturæ peccato vitiatæ indicium.

Resp. Dist. ant. In baptizatis nullum superest malum quod sit peccatum propriè dictum, concupiscentia sit morbus, vitium & inordinatio naturæ, neg.

Porro remanet quidem in baptizatis concupiscentia, neque in iis peccatum est propriè dictum, cum ipsi resistitur: sed vitium tamen est ac naturæ corruptela, quia mentem aggravat eique mala desideria suggerit. *Concupiscentia,* inquit Augustinus, *omni peccato caret, non omni malo: annon est malum quod aggravat animam? nos autem eam malam dicimus, & manere tamen in baptizatis.* (Lib. 6. contra Julian. cap. 16. & 17. n. 49. & 51. pag. 689. & 690.)

Obj. 2^o. Quod nonnisi in excessu malum est, diei nequit ex natura sua malum: atqui concu-

πισcentia mala non est nisi in excessu : verba sunt Juliani ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Nam ipsa per seipsam, inquit Augustinus, concupiscentia rectissime omnino suis ipsis moribus accusatur, quibus, ne excedat, obfistitur. (Lib. 4. contra Julian. cap. 2. n. 12. tom. 10. pag. 590.) Atqui concupiscentia non potest per seipsam, suisque moribus merito accusari, quia ex natura sua, semperque vitiosa sit. Præterea concupiscentia lex peccati dicitur, inquit Augustinus, quia suadet peccata, aque, ut ita dixerim, jubet ; ... peccatum dicitur, quia ex peccato facta est, appetitque peccare. (Lib. 1. operis imperf. cap. 71. pag. 915.) Atqui suadere, jubere, appetere peccatum, ex se malum est. Vitique desiderium mali malum est, inquit S. Doctor, etiamsi ei non consentiatur. (Lib. 4. contra Julian. cap. 2. n. 7. pag. 587.)

Inst. Illud in excessu tantum malum est, quo bene uti possumus : atqui concupiscentiam bene uti possumus, eaque revera bene utuntur pii sanctique homines qui modum tenent : verba sunt Juliani : ergo concupiscentia in excessu tantum mala est, non verò ex natura sua.

Resp. Neg. maj. Ex eo quòd enim concupiscentiam bene uti possumus, non sequitur eam non esse ex natura sua malam ; sicut ex eo quòd possit aliquis calumniam quàm impetrat, bonum in usum detorquere, perperam colligeretur eam non esse per se malam. Præterea, ipso fatente Juliano, concupiscentiam nemo bene utitur, nisi ipsi fortiter resistendo, eamque frenando : Cur verò non potius malum vacetur, inquit Augustinus Juliano, quòd fateris esse frenandum ? (Lib. 4. contra Jul. cap. 2. n. 7.) Hinc S. Doctor concupiscentiam equo vitioso & indomito comparat, quo si quis bene utatur eum cohibendo, non equus ipse quia malus est, sed potius ejus auriga laudandus est. (Ibid. lib. 3. cap. 20. n. 38. pag. 571.)

Obj. 3^o. Illud malum non est, nec primi parentis peccato tribuendum, quòd suam in ipsa hominis natura originem habet : atqui concupiscentia, sive repugnantia carnis adversus spiritum, suam habet in ipsa hominis natura originem ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Si enim ad naturam hominis pertineret concupiscentia, sive rebellio carnis adversus spiritum, illius autor esset Deus qui naturam condidit : atqui id dicere nefas est propter varias quas exposuimus rationes ; postulat enim supremus ordo ut spiritui caro subjiciatur, nec minus ordini naturali contrarium est, carnem adversus spiritum rebellare, quàm servum insurgere contra dominum.

Inst. Natura hominis est ut constet ex carne & spiritu : atqui ex illa conjunctione necessario profuit concupiscentia, sive carnis contra spiritum repugnantia ; ergo suam in natura hominis originem habet.

Resp. Neg. min. Quia si ex carnis & spiritus conjunctione necessario profuisset concupiscentia, hæc in statu innocentiae locum habuisset : atqui profectò non habuit. Fide enim certum est hunc statum & rectum & beatum fuisse : atqui neutrum dici posset, si in eo admitteretur concupiscentia. Quid enim ordini recto magis adversatur, quàm servi, id est, corporis, adversus dominum sive spiritum relictio ? Quid paci & beatitudini magis nocet, quàm perpetuus carnis adversus spiritum conflictus ? Hominem justum ita vexat hæc colluctatio, ut exclamet Apostolus : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? (Rom. 7. 24.)

Inst. Homo quatenus spiritalis, spiritalia, & quatenus corporalis, corporalia naturaliter appetit ; ergo ex carnis & spiritus conjunctione necessario profuit concupiscentia.

Resp. Diss. secundam partem antecedentis. Homo

quia corporalis est, corporalia naturaliter appetit juxta rationis ordinem, & sub imperio spiritus, contra rationis ordinem, & cum rebellionem adversus spiritum, neg.

Re quidem verâ cum homo corporeis sensibus polleat, ipsi naturale est corporalia appetere. Sed in rerum sensibilibus appetitu hunc ordinem servabat natura hominis sana, qualis à Deo condita fuit, ut nihil caro contra rationem & spiritum attentaret: *Faciebat hoc ordo justitiæ*, inquit Augustinus, *ut quia eorum (primorum parentum) anima famulatum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret, etque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistantia famulatum.* (*Lib. 2. de peccat. meritis, cap. 22. n. 36.*) Quod autem caro nunc adversus rationem & spiritum concupiscat, luctuosa est ordinis subversio, & morbus gravissimus quem invexit peccatum originale. *Concupiscentia*, inquit S. Thomas, *quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam, & talis est concupiscentia originalis peccati.* (*1. 2. quæst. 82. arti. 3. ad. 1.*)

ARTICULUS II.

Virum Adami peccatum unicuique proprium sit & inhærens.

Docuerunt quidam Scholastici peccatum originale nihil aliud esse quam *actuale* Adami peccatum, jam pridem præteritum, quod nobis imputatur, licet nobis propriè non inhæreat, nec transmittatur. Ita Ambrosius Catharinus in opusculo de lapsu hominis & peccato originali; ita etiam Albertus Pighius in prima de peccato originali controversia. Contra quos sit.

PROPOSITIO.

Peccatum originale unicuique est proprium & inhærens.

Prob. 1^o. ex Patribus: Obiciebant Pelagiani fieri non posse ut Deus qui peccata remittit propria, imputet aliena. Sic autem respondet Augustinus: *Remittit, sed spiritu regeneratis, non carne generatis; imputat verò, non jam aliena, sed propria: ... carnali generatione eorum sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt.* (*Lib. 3. de peccatorum meritis & remissione, cap. 8. n. 15. tom. 10. pag. 78.*)

S. Fulgentius: *Quæ justitiâ subijcitur parvulus stipendio peccati, si nulla est in eo peccati pollutio?* (*Lib. de Incarn. & grat. cap. 14.*)

S. Anselmus: *Non portant infantes peccatum Adæ, sed suum* (*Lib. de conceptu Virginis, & origin. peccato cap. 26.*)

S. Bernardus: *Aliena est culpa, quia in Adam omnes nascentes peccavimus; nostra, quia, licet in alio, nos tamen peccavimus, & nobis iusto Dei judicio imputabatur, licet occulto.* (*Serm. 1. in Dominic. 1. post Octav. Epiphan. n. 3.*) Porro in iis aliisque Patrum locis peccatum originale exhibetur, ut singulis hominibus proprium, ut nostrum & intimè inhærens animæ quam polluit.

Prob. 2^o. ex Concilio Tridentino: *Si quis asserit, inquinatum nullum (Adam) per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum quod mors & animæ, anathema sit.* (*Sess. 5. de origin. peccato can. 2.*) & canone 3: *Hoc Adæ peccatum... propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium.* Ergo juxta sanctam Synodum peccatum ipsum, prout est mors animæ, in omnes & singulos Adami posteros transmittitur, & unicuique inest proprium.

Prob. 3^o. rationibus theologicis: 1^o. Injustum est cuiquam imputari peccatum quod suum non est: atqui, fatentibus adversariis, Adæ peccatum à justo iudice parvulis imputatur; ergo ipsis proprium sit necesse est.

2^o. Fides docet infantibus per Baptismum conferri remissionem peccati. Definit enim Concilium Tridentinum Baptismate tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet: (*Ibid. can. 5.*) atqui id falsum erit, si nullum infantem peccatum habeant quod ipsis statim ab ortu inhæreat.

3^o. Apostolus, ut jam vidimus, Adamo Christum opposuit, & declaravit peccatum in omnes homines eodem modo transire, quo justitia per Christum in nos transfunditur: atqui justitia Christi in nos ita transmittitur, ut nobis propria sit & inhærens, sicuti contra Lutherum & Calvinum ab Ecclesia definitum est; ergo pariter Adami peccatum in ipsius posteros sic traducitur, ut in singulis verum, proprium & internum sit peccatum.

4^o. Cum dicit Apostolus per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, aperte indicat peccatum non minus propriè in omnes diffundi, quàm mortem: atqui mors unicuique propria; ergo & peccatum.

Solvuntur Objecta.

Obj. ex parte Dei injustum esse & divinæ bonitati prorsus oppositum quemquam alieno peccato teneri constrictum.

Resp. 1^o. Rationi humanæ in rebus etiam obviis caliganti & erranti, non permittendum esse de justitia divina iudicium; sed rationis nostræ infirmitatē esse fidei normā dirigendam. Porro verat fides ne suspicemur à justitia & bonitate divina alienum esse, ut omnes homines primi parentis culpæ nascantur obnoxii. Ex revelatione enim divinā constat per unum hominem peccatum

in omnes transisse, in quo omnes peccaverunt; injusta ergo esse non potest hæc peccati transfusio, licet quomodo justa sit concipere non valeamus.

Resp. 2^o. Dist. propositionem. Injustum est quemquam alieno peccato teneri constrictum, si proprium ipsi non evaserit, conc. si proprium ipsi factum fuerit, neg.

Porro, juxta fidem catholicam, primi hominis peccatum omnibus ideò tantum imputatur, quod reipsa in omnes transferit, & singulos nascentes inficiat. Et sanè ab ipsis Pelagianis laudatur Dei benignitas, quòd plurimos infantem, quamvis nullo naturali nexu Christo conjunctos, justitiæ Christi verè participes per Baptismum efficiat; quis ergo de justitia Dei jure conqueratur, eo quòd nascentes homines, à primo parente ad quem naturaliter pertinent, peccatum trahere permittat? nedum propterea culpari debeat divina justitia, imò non potest aliter defendi: si enim infantem nihil peccati nascendo contrahant; ergo injustè à Regno Dei excluduntur; ergo injustè præsentem in vita tot miseris ac morte ipsa quæ peccati stipendium est, affliguntur.

Obj. 2^o. Infans qui nascitur opus est Dei: atqui opus Dei non potest esse nisi bonum; ergo infans dum nascitur, bonus est nulloque peccato vitiatum.

Resp. Dist. maj. Infans qui nascitur, opus est Dei quoad naturæ bonum, conc. maj. quoad originis vitium, neg. maj.

Simul, inquit Augustinus, utrumque propagatur, & natura, & naturæ vitium, quorum est unum bonum, alterum malum; illud de conditoris largitate sumitur, hoc de originis damnatione attrahitur; illi est causa bona voluntas Dei summi, huic mala voluntas homini primi... denique idem ipse Christus propter illud creandum factor est hominis, propter hoc sanandum factus est homo; (*Lib. de peccato original. cap. 33. n. 38. tom. 10. pag. 270.*) ergo neque propter originis vitium negandum est bonum

opus Dei; neque propter bonum opus Dei negandum est originis vitium.

Et certè non magis repugnat opus Dei cum vitio nasci, quàm procreari ex adulterio: atqui infans ex adulterio natus, opus tamen Dei est, quamvis adulterii ex eo quo nascitur, neque autor sit, neque approbator; ergo pariter, licet cum vitio parvulus in lucem edatur, nihilominus Dei opus est, non quatenus vitium, sed quatenus bonam habet naturam.

Inst. saltem, juxta catholicorum doctrinam, peccatum quod opus est diaboli, transit per naturam quæ opus est Dei: atqui id repugnat; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Apostolus enim ipse declarat peccatum per unum hominem, ideòque per opus Dei, intrasse in mundum: & verò non magis repugnat peccatum transire per opus Dei, quàm in ipso residere, illudque corrumpere: atqui, fatentibus ipsis Pelagianis, manet peccatum in perveris hominibus qui Dei sunt opera, eosque vitiat; ergo nihil vetat peccatum per naturam quæ opus est Dei transire.

Obj. 3°. Quidquid naturale est, Deum habet autorem, ut potè naturæ cujuslibet creatorem: atqui peccatum originale, si existat, naturale est; ergo Deum sibi vindicaret autorem, quod citra impietatem dici non potest.

Resp. Dist. maj. Quidquid naturale est, tanquam naturæ pars vel perfectio, Deum habet autorem, conc. maj. quod naturale est, sed vitium naturæ à prima suæ institutionis rectitudine collapsæ, Deum habet autorem, neg. maj.

Porro peccatum originale, neque pars, neque perfectio est naturæ, ad primamque illius institutionem non pertinet: sed vitium est quod naturæ bonæ per malum liberi arbitrii usum accidit, causam non habet nisi deficientem, nec magis attribui Deo potest, quàm fatuitas quæcumque nascuntur

nascuntur homines. *Ejus quippe hominis qui fatuus est, inquit Augustinus, Deum dicimus, quamvis non dicamus ipsius fatuitatis autorem: quæ fatuitas non est natura atque substantia; sed ejusdem naturæ vitium quod accidit, finente Deo (Lib. 3. operis imperf. cap. 160. tom. 10. pag. 1113.)*

Obj. 4°. Non magis ex Adamo nascuntur peccatores, quàm iusti ex parentibus iustis: atqui ex parentibus iustis minimè nascuntur iusti; ergo neque ex Adamo, &c.

Resp. Neg. maj. Alia quippè est Adami, alia posterorum parentum ratio. Ille totius generis humani radix fuit, hi verò tanquam rami sunt ex radice oriundi. Quamobrem ab eo suspensa erat omnium hominum conditio, ab aliis autem nequaquam pendet. Illo in iustitia firmius stante, iustitia quæ tunc fuit quodam sensu naturalis, ad omnes ejus posteros simul cum natura transisset. Quid ergo iniquum est si, illo peccante vitium pro natura inolevit? ut ait Augustinus, (*Tracl. 44. in Joan. n. 1.*) Longè autem diversa est posterorum parentum conditio. Quid nascuntur peccatores, id naturale est; quod Christi grati à iusti fiant, illud extra præsentem naturam corruptæ statum est. inde verò sequitur parentes filios quos ex naturæ officio generant, naturæ vitium transmittere; minimè autem iustitiam quæ à præsentem naturam vitata statu aliena est.

Obj. 5°. Parentes filios transmittere nequeunt quod non habent peccatum: atqui saltem parentes in Christo per Baptismum regenerati, peccatum originale non habent, siquidem ipsis remissum fuit; ergo non possunt illud filijs suis transmittere.

Resp. Ut difficultatem hanc solvat S. Thomas, istam adhibet distinctionem: *Peccatum originale, inquit, per Baptismum aufertur reatu, in quantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem; remanet tamen peccatum originale actu quantum ad formam, qui est inordinatio ipsius corporis se*

cundum quod homo generat, & non secundum mentem; & propter hoc baptisati iraducunt peccatum originale: non enim parentes generant in quantum sunt renovati per Baptismum; sed in quantum retinent adhuc aliquid de vetustate peccati. (1. 2. quæst. 8. art. 3.) Eadem est quoad sensum S. Augustini responsio diversis in locis. Rem variis illustrare nititur exemplis, v. g. oleæ ex cujus femine non olea nascitur, sed oleaster.

Verum etiam si hæc explicatio nodum non satis extricare videretur, nihilominus divinæ Scripturarum autocritati blandum esset: *Originale delictum inquit Augustinus, quod in parente regenerato remittitur, & tamen transit in prolem.... quis intelligit? numquid idem non est delictum? Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* (Lib. 6. contra Julian. cap. 5. n. 14. pag. 670.)

Obj. 6^o. Si peccatum Adami in ejus posteros manaret, posteriorum quoque parentum delicta suis filiis transmittentur: atqui illud dici non potest; ergo, &c.

Resp. Neg. mag. 1^o. Quia docet Apostolus unum duotaxat & unius tantum hominis peccatum in omnes diffundi, non illud vero solum, sed multa delicta per Christi gratiam deleri. *Judicium, inquit, ex uno (peccato) in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem.* (Rom. 5. 16.) sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam justus constituentur multi. (Ibid. v. 19.) Ipsa etiam comparatio Christum inter & Adamum ab Apostolo instituta exigit ut, quemadmodum ex solo Christo justitia, ita ex solo Adamo peccatum deriveret. 2^o. Quia testatur experientia in prolem non transundi parentum vitia & peccata. Sæpe enim accidit ut stagitiosis ex parentibus nascantur filii indolis longè diversæ.

Alas quædam omnium difficultates quæ sunt accuratè solvantur, exploratam possulant tum pec-

cati originalis naturam, tum rationem quæ singulos in homines traducitur.

ARTICULUS III.

De natura Peccati originalis.

Tale est peccatum originis, teste Augustino, ut eo nihil sit ad prædicandum notius, & nihil ad intelligendum secretius. (Lib. 1. de moribus Ecclesie, cap. 22. n. 40. tom. 1. pag. 702.) Nullum est enim Religionis nostræ caput, quod incredulos magis offendat, nullum quod ratiunculis humanis magis impugnetur. In solvendis difficultatibus quas opponit ratio, multum desudant Theologi: sed vereor ne vanum suscipiant laborem imò ne, cum densas quibus mysterium istud circumfusum est tenebras discutere conantur, novas obducant. Cur nos pudeat ignorantiam confiteri in his rebus quas nec ratio assequi potest, nec revelate Deo placuit? Si rationem consulas, ipsa tibi persuadebit se intra eos limites contineri, quos transilire non licet, & duo suggeret principia quibus firmiter adhærendum est.

PRINCIPIUM I.

Non idem neganda sunt quæ certissimis comprobantur argumentis, quidd ex his absurda quædam sequi videantur.

Animo enim perlustremus varias hominum cognitiones, nulla fortasse est quæ in difficultatem aliquam inextricabilem non incurrat. Quis neget, v. g. moveri corpora, licet nequeat, vel subtilius nonnullis contra corporum motus argumentis respondere, vel motus ipsius naturam definire. Varia ejusdem generis sileo exempla quibus

ostenditur certissimam esse rerum plurimarem existentiam quarum tamen natura & proprietates omnem humanam mentis captum fugiunt. Hoc igitur in omni scientiarum genere fixum sit & ratum, ut res certa & evidentes affirmantur, quamvis earum causa & natura nos lateant. Quae quidem regula, si in disciplinis naturalibus tenenda est, quanto religiosius in divinis observanda!

PRINCIPIUM II.

Fides tradit & ratio ipsa persuadet peccatum aliquod parvulis inherere; sed quale sit illud, vel quomodo transfusum, nec ratio, nec fides docent. Itaque ex ejusmodi quaestionum solutione non pender ipsius rei veritas. Cavendum est proinde ne ex eo quod obscura sit peccati originalis natura, ejus quoque veritas in dubium revocetur. Quapropter ego suaserim ut quisquis adversus haereticos aut incredulos de ingenito peccato disputaverit, ablineat ab hujusmodi quaestionibus; periculum enim est ne, dum non nisi incertae conjecturae proponuntur, dubia, imò falsa videatur ipsamet illius peccati existentia. His praemuniti principii varias de natura peccati originalis opiniones referemus, & de lingulis iudicium nostrum interponemus.

Sententia Lutheranorum & Calvinistarum.

Docent Lutherani & Calvinistae peccatum originis esse ipsamet concupiscentiam habituales, sive hereditariam illam naturae nostra pravitate & corruptionem, quae in omnes animae partes diffusa, nos irae divinae & damnationis aeternae reos facit. Ita Calvinus. (*Lib. 2. Instit. cap. 1.*) Quam doctrinam anathemate merito confixit Synodus Tridentina. (*Sess. 5. de peccato originali can. 5.*) Nam 1^o. peccatum originale per se ho-

mines facit dignos morte: atqui concupiscentia sive actualis sive habitualis, neminem per se efficit dignum morte, sed tantum eum ei consentitur; 2^o. in Baptismate tollitur quidquid peccatum est: atqui tamen non tollitur concupiscentia, cum ipsis in regeneratis superstes maneat; ex apostolo, *Nihil damnationis est* (sive damnatione dignum) *illis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant: (Rom. 8. n. 1.)* atqui tamen illis inest concupiscentia habitualis cujus motus Apostolus ipse sentiebat.

Sententia Thomistarum.

Opinantur Thomistae peccatum originale materialiter quidem esse concupiscentiam, formaliter vero reatum concupiscentiae, sive defectum originalis iustitiae. Hoc pertinere contendunt innumera S. Augustini testimonia, ubi concupiscentiam ad ejus reatum distinguunt. *Obscurat dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen.* (*Lib. 1. de nupt. & concupis. cap. 25. tom. 10. pag. 294.*) Patet, inquit Thomistae, in infantibus non solum esse concupiscentiam, sed ejus quoque reatum.

Fateor quidem infantes iustitiam originali spoliatos esse; sed falluntur Thomistae, si peccatum originis eum primigeniae innocentiae praedura confundant. Damnum istud, sicut & ipsa concupiscentia, iustissima est peccati poena; non igitur peccatum ipsum, ut optime perspexit S. Thomas: *Substratio iustitiae originalis, inquit, habet rationem poenae, sicut etiam substratio gratiae.* (*1. 2. q. 25. art. 5. in corp.*) Neque enim sub Deo iusto mens ad imaginem sui auctoris creata, vel pravae cupiditatis iugo premi potuit, vel sua innocentia & integritate exui, nisi prius ob aliquam culpam in Dei offensionem incurrisse concipiatur.

Sententia Pyghii & Cotharini.

Pyghius & Catharinus volunt peccatum originale esse ipsum Adami peccatum nobis *extrinsecè* duntaxat imputatum: sed prorsus rejicienda est hæc opinio, quia culpæ originalis dogma subvertitur. Verus enim Catholicus debet agnoscere 1^o. non solam pœnam, sed & culpam nobis fuisse cum Adamo communem; 2^o. cum Synodo Tridentina, peccatum illud *transfusum* omnibus inesse unicuique proprium. (*Seff. 5. de peccato origin. can. 3.*) Quæ duo in Pyghii systemate funditus evertuntur. Præterea, teste Apostolo, peccatum eodem modo ad posteros Adami transmittitur, quo iustitia nobis per Christum infunditur: atqui iustitia Christi ita nobis communicatur, ut nobis non tantum imputetur, sed meritis nostris propriè & *intrinsecè* inhæreat; sic enim contra Calvinistas ab Ecclesia definitum est; idem igitur de Adami peccato sentiendum.

Sententia aliorum Theologorum.

Alii Theologi quibus meritò displicent superiores sententiæ, sem sese artigisse putant, dum dicunt peccatum originis esse ipsummet Adami peccatum, unicuique *intrinsecè* imputatum & proprium, singulisque hominibus qui in Adamo moraliter continebantur, commune. Falli quidem argui non possunt hujus sententiæ autores; siquidem aliis verbis exprimunt ipsum fidei dogma; omnes scilicet in Adamo peccasse, & universum genus humanum in suo capite prolapsam & damnatam esse: sed malè sibi blandiuntur, quasi novi quidpiam afferant ad explicandam communis ingentis culpæ naturam. Inquiritur enim qui fieri potuerit ut infans nondum natus, peccante Adamo, peccaverit, vel quam partem habuerit

in primi parentis delicto. Huic autem obscurissimæ quæstioni nihil lucis affundunt præfati Theologi.

Quisquis igitur sapit cum Scripturis & Patribus affirmet omnes in Adamo & cum Adamo peccasse; si quis incredulus sciscitetur, cur, quando, & quomodò peccaverit parvulus qui, nec propriâ voluntate consensit, nec Adamo quidquam agendum commisit, vir Catholicus, me autore, mutus hærebit, vel rem expediet unico hoc vocabulo, *nescio*; ne fortè inconsultum responsum difficultatem potius augeat quàm explanet.

ARTICULUS V.

Quomodò peccatum Adami in posteros ejus transmittatur.

De modo quo propagatur peccatum originale, maxima est inter Theologos discordia, dum in suas quisque partes adducere nititur Augustinum qui fluctuans & notandus de obscurissima hac quæstione discessit, variasque proposuit hujus contagii causas, & nulli præ ceteris firmiter adhæsit.

SENTENTIÆ I. ET II.

Non pauci dicunt peccatum originale propagari, quia infunditur anima in corpus vitiatum, unde & ipsa inquinatur, sicut liquor in vase infecto corrumpitur. Id colligunt ex Augustino qui sic habet: *Ut ergo & anima & caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur renascendo emundetur, profectò aut utrumque vitiatum ex homine trahitur aut alterum in altero, tanquam in vitiato vase, corrumpitur..... Quid autem horum sit verum libentius discio quàm dico, ne aude in dicere quod*

nescio. (Lib. 5. contra Julian. cap. 4. tom. 10. pag. 637. & 638.)

Hinc sententiæ multum affinis est plurimorum Theologorum opinio, qui putant peccatum originis traduci per concupiscentiam generationi ad-junctam. his suffragantur insignia S. Augustini tes-timonia: ait enim *malum originis transire quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu; quod etiam de morbidis parentum corporibus solet evenire nascentibus* (Lib. 6. contra Julian. cap. 18. tom. 10. pag. 693. n. 35.) Dicit præterea propter carnalis concupiscentiæ malum, hominem qui per illam nascitur, trahere originale peccatum. (Lib. 1. de nuptiis, cap. 1. tom. 10. pag. 280.) Id illustrat exemplo podagræ & aliarum tum corporis, tum animæ affectionum quæ in liberos à parentibus transfunduntur.

Dux illæ opiniones mutuam opem præstant. Etenim qui dicunt animam in corpore, quasi in vase vitiatò, corrumpi, nihil efficiunt nisi exponant quomodo vitiatum fuerit corpus. Non aliam autem hujus vitii probabilem causam afferre possunt, præter concupiscentiam quæ ex parentibus in filios derivatur. Hæc autem placita quæ primâ fronte videntur cum ratione consentire, difficultatibus tamen subjacent quæ sunt inextricabiles.

Reselluntur illæ opiniones.

1^o. Fateantur necesse est illarum opinionum autores, prius vitiatum fuisse corpus, quam animam; vel, quod idem est, prius propagari concupiscentiam, quam peccatum, siquidem noxam originalem exhibent ut effectum concupiscentiæ & vitiatì corporis: atqui tamen id militat adversus S. Augustini doctrinam, & ipsum rationis judicium: nam concupiscentia debuit esse pœna peccati non causa; neque fuit supremus ordo, ut animus rationalis qui mundus & innocens à Deo

creatur, corporis imperio preat, nisi ob præcedens aliquod peccatum, hanc carnis rebellionem meruerit.

2^o. Si concupiscentia transfundendi peccati originalis causa esset, quò magis libidinosi forent parentes, eò gravius esset in infantibus peccatum originis; quod tamen hætenus à nullo Catholico, vel dictum, vel creditum unquam fuit.

SENTENTIÆ III. ET IV.

Putant nonnulli culpæ originalis propagationem non esse reperendam ex causa physica, quale esset vel corporis vitium, vel parentum concupiscentia; sed docent noxam originalem in singulos Adami posteros ideò diffundi, quia ex suprema Dei voluntate statutum fuerat, ut omnium voluntates in Adami voluntate moralitèr continerentur, adeò ut; eo peccante, omnes peccaverint. Ab illa sententiâ non multum discrepat pactum quod quidam intercessisse fingunt Deum inter & Adamum: cujus pacti hæc conditio fuit, ut scilicet generis humani fors penès Adamum esset, eoque peccante, omnes homines ejusdem culpæ rei censerentur.

Reselluntur præfata opiniones.

Utriusque illius opinionis autores mihi videntur in eodem luto hæere: neque enim explicant quomodo cum notione Dei summè boni & iusti, conciliari possit illud divinæ voluntatis decretum quo primi hominis culpa singulis ejus posteris imputaretur. Hoc scilicet admisso decreto, vel pacto, Deus videretur solus peccati originalis autor esse. Nam refundendum est, vel in cuiuslibet hominis, vel in Adami, vel in Dei voluntatem: atqui voluntas cuiusque hominis non est causa hujusce peccati, cum prius peccare dicendus sit, quam

velle potuerit; neque etiam voluntas Adami: cum enim voluntas mea in voluntate Adami physice non contineretur, non fuit ex ipsa sui natura necessarium ut, peccante Adamo, ipse etiam peccaverim.

Supereff igitur ut sola Dei voluntas libera fuerit causa peccati originalis, cum ab aeterno decreverit peccatum Adami singulis hominibus imputare. Unde sequitur singulas animas à Deo creari cum peccato & in peccato: atqui talem blasphemiam refugit animus religiosus, cui persuatum esse debet mentes humanas, prout à Deo creatore prodeunt, nihil habere vitii, sed puras esse sui auctoris imagines.

Sed, missis hominum conjecturis, adoranda sunt non scrutanda Dei iudicia: periculosum enim est earum rerum notitiam affectare, quas densa caligine Deus premi voluit, ne vel earum veritatem labefacies, dum enodare tentas, vel novis difficultatibus impediās, dum ad mentis humanæ captum mysteria conaris accommodare, quæ rationi impervia Deus esse voluit. Standum est igitur huic regulæ ab Augustino constitutæ, nempe *certâ fide tenendum esse tantum contagium propagari, licet quomodo traducatur nunquam noverimus.* (Ep. 167. n. 2. tom. 2. pag. 594.)

ARTICULUS V.

De subiecto peccati originalis.

Cum universalia sint Scripturarum testimonia, quibus declaratur originale contagium in omnes derivari, nullus homo præter Christum Dominum ab ea labe immunis sine temeritate dici potest, nisi Traditionis & Ecclesiæ faveat autoritas. Verùm aliquot abhinc seculis, magnâ animorum contentione controversum fuit, utrum Beatissima

Virgo Deipara singulari beneficio fuerit culpa originalis expers. Qua in re magno perè cavendum est ne quid inconsulto iudicio, vel ex anticipata opinione statuatur. Quapropter in hac controversia, Historici potius quàm Theologi partes agemus, & quidem tribus in paragraphis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De argumentis quibus nituntur Theologi qui B. Virginem sine originali peccato conceptam fuisse negant.

Quæres 1^o. quibus Scripturæ locis utantur.

Resp. 1^o. Adhibeat hæc Apostoli verba, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit in quo omnes peccaverunt.* (Rom. 5. 12.)

Unde sic ratiocinantur: Scripturæ textus qui omnes homines in peccato originali involvit, nullis limitibus coercendus est, nisi eum circumscribere cogat, vel eadem Scriptura, vel unanimo Traditio vel evidentissima ratio: alioqui lascivientium ingeniorum opinionibus & ludibrio mancipata esset Scripturæ majestas; alii cum Protestantibus Fidelium liberos ab originali noxa eximendos putant; alii cum Gesone Josephum Mariæ conjugem, alii Abelum, Noënam, Abrahamum, Jeremiam, Danielem, Joannem-Baptistam. Rupto aggere, quis erumpentes aquas coercere? atqui Scriptura & Patres nullibi circumscriptionem hanc apponunt in gratiam sanctissimæ Virginis, nulla profertur ex humanæ rationis penu demonstratio; sed meræ, ut aiunt, *convenientiæ* quibus multum moveri non solent gravissimi Theologi.

2^o. Ex iis ejusdem Apostoli verbis: *Et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt... Stipendia peccati mors.* (Rom. 6. 9. 23.) sic argumentantur: Quisquis moritur, in penam

peccati originalis moritur, ac proinde ex morte temporali alicujus hominis merito colligi potest, eum esse vel fuisse originali labe infectum. Nulla in Scripturis legitur exceptio, nisi in gratiam Christi: atqui Virgo Dei Genitrix mortem subit temporalem; ergo peccati originalis non fuit ex-
pers: *Maria*, ait Augustinus, *ex Ad. m. mortua est propter peccatum* (*Serm. 2. in Psal. 34. c. 34. tom. 4. pag. 240.*)

3^o Denique proferunt ista Apostoli verba: *Unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* (*1. Tim. 2. v. 5. & 6.*) Christus inquit, est redemptor omnium, ac proinde B. Mariæ Virginis: atqui, ut observat Augustinus referens verba Zozimi Papæ, *Nullus, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus fieri potest, nisi qui verè per peccatum fuerit antè captivus.* (*Epist. 190. ad Opacatum, cap. 6. n. 23. tom. 2. pag. 707.*) Ergo Virgo Dei Mater aliquantulum fuit sub peccato captiva. Quapropter sic ipsa testatur: *Exultavit spiritus meus in Deo salvatori meo.*

Quæres 2^o, quibus Patrum testimoniis suam opinionem adstruant iidem Theologi.

Resp. ab iis afferri plurima ex quibus pauca describemus. *Solus homo factus, manens Deus*, inquit Augustinus, *peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materia carne peccati.* (*Lib. 2. de peccat. meritis, cap. 24. tom. 10. pag. 61.*) S. Fulgentius: *Caro Mariæ quæ in iniquitatibus humanâ fuerat solemnitate concepta, caro fuit utique peccati.* (*Lib. de incarnat. & grat. cap. 6. n. 13.*) Petrus Damianus: *Ex ipsa carne Virginis quæ de peccato concepta est, caro sine peccato prodiit.* (*Edit. Paris. an. 1663. tom. 3. pag. 49. col. 1.*) S. Anselmus: *Virgo ipsa unde assumptus est Christus, est in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater ejus.* (*Lib. 2.*

cur Deus homo, cap. 16. Edit. ult. pag. 92.)

S. Bernardus, licet in celebrandis B. Virginis laudibus frequentissimus, ostendere nititur eam non fuisse sine originali peccato conceptam: *Virgo regia*, inquit, *falso non eget honore, veris cummulata honorum titulis.... Unde ergo conceptionis sanctitas? ... An fortè sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul & sanctificata fuerit, & concepta? Ne hoc quidem admittit ratio. Quapropter etsi quibus, vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi, ut utri servaretur sancti prerogativa conceptus.* (*Epist. ad Canonicos Lugd. tom. 1. pag. 169.*) Sic etiam apertè mentem suam declarat: *Virgo originalem à parentibus maculam traxit.* (*Serm. 2. de Assumptione, tom. 1. pag. 999. n. 8.*)

Denique S. Thomas, *Virgo Beata*, inquit, *fuit in originali peccato concepta, propter quod scribit S. Bernardus conceptionem ipsius non esse celebrandam.* (*In 3. dist. 3. q. 1.*) Præterea sic ratiocinatur: *Si cum peccato originali concepta Virgo non fuisset, non indigeret per Christum redimi, & sic non esset Christus universalis hominum redemptor, quod derogat dignitati Christi, est ergo tenendum quoddam peccato originali concepta fuit; sed ab eo speciali quodam modo purgata fuit.* (*Compend. Theolog. cap. 224.*)

Quæres 3. quomodo ex iis Patrum testimoniis sese expedire conetur immaculatæ conceptionis defensores.

Resp. Duplicem modum excogitarunt, quo peccatum originale contrahi potest, nempe vel quoad actum, cum scilicet eo reverà inquinatur aliquis; vel quoad debitum, quando nempe privilegio speciali immunis à primigenia labe servatur, qui vi legis in omnes homines solito more nascituros constitutæ, peccatum originale contrahere deberet, Beata Virgo, inquit, non

contraxit quidem maculam originalem quoad actum; id est, eâ labe nunquam fuit inquinata: sed eam contraxit quoad debitum, sive concipi debuit cum peccato originali, nisi ab ea lege ipsam exemisset singulare Dei beneficium. Hinc facillè intelligi putant quomodo Maria fuerit cum ceteris à Christo redempta; quia scilicet in peccatum originale incurrisset, nisi ab illius culpæ contagio præveniens Dei gratia eam liberasset. Explicant etiam de contrahendi peccati debito, omnia Patrum testimonia quæ obijciunt ipsorum adversarii.

Sed, respondent alii, præfata distinctionis neque verba, neque sensum, sive in Scripturis, sive in Patrum scriptis reperiri, & mirum esse quod ante sæculum XIV, nullius oculis & menti occurrerit. Præterea, inquirunt, Patrum testimonia accommodari non potest eadem distinctio: disertis enim verbis significant Beatam Virginem in peccato verè conceptam fuisse; quod falsum prorsus erit, si peccatum originale non contraxerit quoad actum. Denique Augustinus supra laudatus, non dicit Mariam propter contrahendi peccati debitum mortuam esse, sed propter ipsum peccatum; quod non potest cum præfata distinctione conciliari.

PARAGRAPHUS II.

De argumentis quæ afferuntur à Theologis qui B. Virginem sine originali macula conceptam affirmant.

Quæres 1^o. Quanam Scripturam loca in hujus sententiæ gratiam afferant.

Resp. Ita præsertim a legant: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Adjuvabit eam Deus manè dilectulo.* (*Psal. 45. v. 5. & 6.*) *Sicut liliam inter spinas, sic anima mea inter filias.* (*Cantic. 2. 2.*) *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* (*Ibid. cap. 40. v. 7.*) Quæ omnia leguntur in Officio B. Virginis. Denique afferunt ange-

hanc salutationem: *Ave, gratia plena, benedicta tu in mulieribus.* (*Luc. 1. 28.*)

Respondent alii non satis idonea videri ejusmodi testimonia ad probandam Beatæ Virginis conceptionem immaculatam: 1^o. quia ad Beatam Virginem ea spectare non satis exploratum est; 2^o. quia etiam, inquit *Nicolaus l'Herminier*, Beatæ Mariæ totius Eccl. Eccl. consensu accommodarentur, ex his tamen certo non colligeretur ejus conceptionis à peccato originali immunitas: ut enim præfata loca sanctissimæ Virginis conveniant, satis est etiam in utero matris fuisse sanctificatam, varisque deinceps gratiæ & virtutum donis cumulatam, & cujuslibet peccati actualis, quandiu vixit, expertem; 3^o. quia SS. Patres & plerique Theologi, inquit *l'Herminier*, eadem vel similia passim encomia Beatæ Virgini tribuere non dubitarunt, quanvis eam in peccato originali conceptam existimarent. Tales sunt S. Bernardus (*Homil. 2. de laudi. Virg.*) S. Antoninus, (*Tom. 4. tit. 15. cap. 4. sed. 2.*) qui tamen sic affirmat: *Concepta & anima a Beata Virgo Maria, inventa est cum aliqua tenebra, scilicet peccati originalis contracti post animæ infusionem in corpus.* (*Pag. 293. Edit. Venet. an. 1581.*)

Quæres 2^o. quanam Patrum testimonia sibi vindicent immaculatæ conceptionis assertores.

Resp. 1^o. Sibi arripunt hæc Augustini verba: *Excepta sancta Virgine Maria de qua, propter honorem Dei, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo questionem.* (*Lib. de natura & gratia, cap. 36. n. 42.*)

Respondent alii ibi sermonem esse de peccatis actualibus, non verb de originali culpa, cui B. Virginem non semel subjicit S. Doctor. In eo quippè loco refellit Pelagium qui contendebat posse quosdam Justos in hac mortali vita, ad eam sanctitatis gradum pervenire, in quo vel peccati venialis

omnino sint expertes. *Si omnes illos Sanctos, inquit Augustinus, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possimus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisset responsuros iuramus? Nonne una voce clamassent? Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos decipiemus; & veritas in nobis non est.* (Ibid.) Ex iis prorsus manifestum est, inquirunt, S. Doctorem de peccatis actualibus verba facere.

Præterea S. Augustinus ibi solam Virginem ab eo peccato excipit, sine quo Pelagius quosdam iustos vixisse contendebat: atqui Pelagius de actuali tantum peccato locutus fuerat, dum ait quosdam iustos sine peccato vitam transegisse. Si enim de labe originali verba fecisset, non modo iustos, sed omnes etiam homines sine peccato vixisse dixisset, cum illud præceptum sit Pelagianæ hæresis caput, nullum prorsus hominem originali culpâ infici; ergo S. Augustinus eo in loco peccata tantum actualia à sancta Christi Matre excludit.

2º. Immaculatæ conceptionis patroni alterum proferunt Augustini locum, ubi ita disserit de Christo loquens: *Propterea nullus est hominum, præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum, præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* (Lib. 5. contra Julian. cap. 15. n. 57.) Unde sic argumentatur: Probat S. Doctor ideò Christum non habuisse peccatum originale, quia grandior factus nullam culpam actuali commisit: atqui pariter, juxta ipsius doctrinam, Beata Virgo nullam admisit culpam actuali; ergo peccatum originale non habuit.

Hujusmodi argumentum ita refellunt alii: Cum ait Augustinus Christum adhuc parvulum non habuisse peccatum, non loquitur de originali noxa, verum de concupiscentia ad peccatum alliciente quam apostolico more, & sibi maximè familiari peccatum vocat. Hanc interpretationem demonstrat

Augustini contra Julianum disputantis consilium. Dixerat enim Julianus non potuisse Christum nobis in exemplum virtutis esse, nisi rebellem concupiscentiam habuisset, qualem in omnibus hominibus admittebat Augustinus. Quam impietatem in eo capite ex instituto impugnans S. Doctor, in illum modum argumentatur: S. Petrus ait Christum, dum viveret, nullum fecisse peccatum; at verò si adhuc parvulus habuisset concupiscentiam quam Apostolus vocat peccatum, grandior factus actualia peccata commisisset; nullum tamen commisit; ergo in infantili ætate rebellem non habuit concupiscentiam; quod pariter de B. Virgine dici potest.

Præterea esto, inquirunt, voluerit S. Augustinus probare Christum in infantili ætate non habuisse culpam originale, quia grandior factus nullum admisit peccatum actuali; quid inde adversus doctrinam nostram sequeretur? nihil omnino: ultra enim confitemur B. Virginem ab originali peccato, cui in sua conceptione fuerat obnoxia, mundatam prius fuisse, quam nasceretur, illudque non habuisse in infantili ætate.

3º. In conceptionis immaculatæ præsidium affertur S. Hieronymus qui in Psalmum 78. hæc habet: *Nubem levem Mariam Sanctam accipere debemus, nullo semine humano prægravatam; nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce; unde infertur B. Virginem non fuisse culpæ originalis tenebris involutam.*

Hanc verò consecutionem negant alii, idque unum significari contendunt, nimirum B. Virginem semper castitatis virginitatisque laude ita coruscasse, ut nunquam fuerit in tenebris impuritatis. Suam mentem fati indicat S. Doctor, cum ait Mariam ideò semper in luce fuisse, quia *nullo semine humano prægravata fuit*, hic ergo locus perperam ad peccatum originale detorqueatur, quali hujus experte fuerit Sanctissima Dei Genitrix.

4^o. S. Thomam suas in partes pertahere nuntur, cujus hæc verba proferunt: *Beata Virgo à peccato originali & actuali immunis fuit.* (In 1. sentent. distinct. 44. quæst. 1. art. 3. ad 3.)

Respondent Thomistæ hæc verba esse immunis, non semel ab Angelico Doctore usurpari pro istis, liberari, mundari, quo sensu ab ipsis etiam Grammaticis adhiberi solent. De homine enim qui, postquam diu captivus fuit, tandem liberatur, optimè dici potest: *Iste est à captivitate immunis.* Quinimò S. ipse Thomas voce immunis utitur ad significandum hominem per baptismum ab originali peccato quo fuerat inquinatus, liberari & purgari. *Oportet, inquit, ut per actum naturæ infectio originalis in prolem transeat, quamvis per baptismum pater sit à peccato originali immunis;* (In 2. sentent. dist. 37. art. 2. ad 1.) objecta igitur S. Thomæ verba eo sensu interpretari licet, quod Beata Virgo fuerit ab originali peccato mundata. Genuinam esse hanc expositionem inde patet, quod S. Doctor plurimis in locis expressè declarat, Sanctam Virginem fuisse in originali peccato conceptam. Sic enim affirmat in eodem opere: *Virgo Beata fuit in originali peccato concepta.* (In 3. dist. 3. quæst. 1.)

Quæres 3^o. quænam præcipua sunt argumenta, quæ in gratiam immaculata conceptionis è ratione deprimi soleant.

Resp. En 1^a. ratio: Pium ac religiosum est, inquit hujus opinionis defensores, ita sentire de Sanctissima Virgine quam Deus ad illud honoris fastigium extulit, ut eam in filii sui matrem elegerit.

Sed, reponunt ipsorum adversarii, gloria B. Virginis quam Deus tot excellentibus prærogativis ornavit, humanis opinionibus & conjecturis non augetur; nostrum est dotes singulares ei præ ceteris omnibus creaturis divinitus concessas agnoscere religiosè venerari, ac tueri pro viribus, potius

quàm vera & indubitata ipsius privilegia incertorum admisione obnubilare, Virgini matri gratus esse non potest cultus, qui divina revelationi & perpetuæ Ecclesiæ Traditioni non sit consentaneus. Et certè, inquit, si vellet Deus B. Mariæ conceptionem veluti immaculatam à fidelibus teneri, numquid lineret nos inter humanarum opinionum conjecturas incertos fluctuare? nonne potius id aperitè revelasset? Cùm igitur ea de re nihil revelatum fuerit, sive in Scripturis, sive in Traditione, cur cognoscere velimus quod ignotum esse voluit divina sapientia; *Numquid Patribus doctiores aut devotiores sumus,* ait S. Bernardus periculose præsumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. (Epist. 174. n. 1.)

1^a. Ratio: Christi dignitas Deique Patris gloria videntur exigere, ut quæ filium Dei unigenitum conceptura erat & partura, nullo temporis instanti fuerit peccati & diaboli servituti subiecta.

Respondent Thomistæ in rebus ad Religionem pertinentibus parè admodum esse adhibendas rationes ex quâdam congruitate petitas, easque nullius esse roboris, nisi vel Scripturæ vel Traditionis præluceat autoritas quæ in præsentis quæstione deficit. Præterea si postulet Christi dignitas, ut ipsius Mater sua in conceptione fuerit peccati originalis experta, eam non potuisset Deus ab ista labe non facere immunem; alioqui suæ sapientiæ defuisset: atqui tamen fatentur adversarii potuisse Deum culpam originalem à B. Maria non propulsare. Denique ad Christi honorem satis est ut ipsius Mater sine ullo peccato fuerit, quo tempore illum concepit.

3^a. Ratio: Iidem Theologi Beatam Virginem sine peccato conceptam fuisse ex eo inferunt, quod ipsius conceptionis festivitas passim celebratur: numquid enim eam tolerasset Ecclesia, nisi persuasum habuisset S. Virginis conceptam ab originali macula fuisse prorsus immunem?

Respondent alii hoc argumento non multum se urgeri, quia Beatae Mariae conceptionis festivitas instituta fuit, vel ad honorandum tempus quo primum in utero matris sanctificata est, vel ad grates Deo persolvendas, quod in Sanctae Virginis conceptu nobis dedit primum redemptionis nostrae pignus. Qua in re duces sequuntur S. Thomam qui sic habet: *Nec tamen per hoc quod istud festum conceptionis celebratur, datur intelligi quod B. Virgo in sua conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis ejus potius quam conceptionis, in die conceptionis ipsius.* (3. part. q. 27. art. 2. ad. 3.)

Bellarminus, inquit, quamvis ex eorum Theologorum numero fuerit qui, ut ipse ait, *fide credunt B. Virginem sine peccato fuisse conceptam, sic loquitur: Dico secundum fundamentum hujus festi praecipuum, non esse conceptionem immaculatam, sed simpliciter conceptionem Matris Dei futurae. Qualis cumque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quod fuit conceptio Matris Dei, singulare gaudium affert mundo ejus memoria: tunc enim primum habuimus etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.* (Lib. 3. de cultu Sanct. tom. 1. cap. 16. pag. 2270. Edit. Ingolstadt. an. 1586.)

PARAGRAPHUS III

De Conciliorum & summorum Pontificum circa controversiam hanc decre. i.

Illae sunt praecipuae: 1^o. Concilium Basileense an. 5439, declarat sententiam quae affirmat B. Virginem sine peccato conceptam, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi, & Scripturae, ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam et amplectendam (Sess. 36. tom. 12. Concil. pag. 623.) Notandum tamen Synodum Basileensem in sess. 36. non habuisse Con-

cilii oecumenici auctoritatem: tunc enim magna Episcoporum pars adierat Eugenium IV qui aliud Concilium Florentiae celebrabat.

2^o. Sixtus IV, an. 1483, in Constitutione *Grave nimis*, sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae, vetat ne quis asserere audeat eos qui tenent *Dei Genitricem atque peccati originalis macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, aut esse haereticos.* Simili poenae eos subicit qui contrariam opinionem defendentibus haereseos notas incurrerent. Constitutionem hanc confirmat Synodus Tridentina (Sess. 5. ad calcem can. 5.)

3^o. Pius V, Constitutione *Supra speculam*, an. 1570, confirmatis decessorum suorum Constitutionibus, graviter eos perstringit qui, cum de B. Virginis conceptione sermo incidit, non minus pertinaciter pro alterutra parte contendunt, quam si de illis dogmatibus quaestio esset, quae corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem necessarium sit; Quibus, inquit, *illud Propheta videtur convenire: Dicunt, ait Dominus, cum ego non sim locutus. Deinde haec addit: Cum Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum magistra de ea re huc usque non desinierit, nemo absque temeritate alterius partis sententiam damnare potest.*

Alexander VII. an. 1661, Constitutionem edidit cui titulus est: *Innovatio Constitutionum & Decretorum in favorem sententiae affirmantis animum B. Mariae Virginis in sua creatione, fuisse ab originali peccato preservatam, editorum.* Prohibet tamen ne quis contrariam opinionem haereseos, aut peccati mortalis, aut impietatis insinuet. (R)

COROLLARIUM.

Ex praefatis decretis & constitutionibus sequitur, quaestionem hanc nondum esse ab ecclesia definitam. Hinc Clarissimus Bossuet saepe in Catechismo, huic interrogationi, unum scilicet definitum Ec-

clesia immaculatam fuisse Sanctissimæ Virginis conceptionem, sic respondet: *Non, le saint Siège a déclaré que la chose n'étoit point encore définie, & que ce n'étoit ni hérésie, ni péché mortel de ne le pas croire. Et in sacris suis concionibus sic habet: Plusieurs grands Personnages ne l'ont pas cru, & non-seulement l'Eglise les souffre dans ce sentiment, mais encore elle défend de les condamner. (Edit. in-12. tom. 2. pag. 147.)* Hinc proinde colligitur sententiam quæ immaculatam B. Virginis conceptionem defendit, ad fidem catholicam non pertinere; hinc laudatæ Summorum Pontificum Constitutiones verant ne hæreseos, aut peccati mortalis accusentur qui opinionem contrariam propugnant.

ARTICULUS VI.

De effectibus peccati originalis.

Varii recensentur peccati originalis effectus. Alii ad mortalem hanc vitam pertinent, suntque 1º. in anima justitiæ originalis privatio, concupiscentia, sive illa ad malum proclivitas cui nascimur obnoxii, & quæ, ut abundè ostendimus, non potest non esse naturæ, qualis à Deo condita fuit corruptela; ignorantia quæ in penam primi peccati suis tenebris genus humanum ita involvit, ut mens nequidem advertat quid boni sibi agendum sit, vel quid mali vitandum.

Hujus inscitiaæ luctuosum & insigne exemplum præbent tot barbaræ gentes, apud quas veri Dei cultus prorsus evanuit, & rarisissima quæque flagitia, vel res licitæ sunt, vel nugæ. Ex illa quæ mens obducitur caligine tot profluunt peccata, ut dicere non dubitet Augustinus peccatis de ignorantia necessitate venientibus, plenum esse genus humanum, (Lib. 1. operis imperf. cap. 105,

tom. 10. pag. 935.) Fieri igitur non potest ut fecunda illa tot delictorum parens ad primigeniam hominis naturam pertineat. Hinc Pelagianos sic urget Augustinus: *In illas ignorantiaæ densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima rationalis, non solum indocta, verum etiam indocilis jacet, quare aut quando, aut unde contrusa est? Si natura est hominis sic incipere, & non jam vitiosa est ista natura, cur non talis creatus est Adam? (Lib. 1. de peccat. merit. cap. 36. n. 66. tom. 10. pag. 37. & 38.)*

2º. Pro peccati originalis effectibus & pœnis ratione corporis haberi debent innumeræ quibus conflictamur miseræ, quarum immenta cohors efficit jugum grave super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae (Eccli. 40. 1.) Tales sunt fames, sitis, morbi, denique mors ipsa: *Deus enim creavit hominem inexterminabilem; invidid autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. (Sap. 2. v. 23. & 24.)* Eas miserias non potuisse naturæ humanæ, qualis à Deo fuit constituta, esse appendices potest Augustinum demonstravimus.

Alii sunt peccati originalis effectus & pœnæ quæ ad vitam æternam spectant, scilicet pœna damnæ quæ est vitæ æternæ privatio, sive ab intuitiva Dei visione exclusio, & pœna sensus quæ posita est in cruciatibus & tormentis quæ corpus & animam affligunt.

Quæres 1º. cur, delero per Baptismum originali peccato, remaneant ipsius effectus, nempe ignorantia, concupiscentia, aliæque mortalis hujus vitæ miseræ.

Resp. Primam hujus æconomiaæ causam esse supremam Dei voluntatem quæ decrevit, hominem lapsum non aliter ad perfectam salutem deducere. Plurima tamen Sancti patres enumerant commoda quæ inde in electos derivantur.

1^o. Sapientissimâ hâc Providentiâ edocemur, non propter hujus vitæ commoda, sed propter futuræ vitæ beatitudinem in Christo nos renasci & Christianos fieri: si enim statim post remissum originale peccatum, omnes illius effectus quos Theologi vocant *pœnalitates*, abolerentur, existimari facile posset, non aliam mercedem post vitam hanc justitiæ reservari: *Sed parvulos videmus*, inquit Augustinus, *post lavacrum regenerationis, diversorum malorum afflictione cruciari, ut intelligamus totum quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem venturorum honorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinere.* (Enchir. cap. 66. n. 17.)

2^o. Si Baptismus ab omnibus hujus vitæ miseriis statim liberaret, homines ob temporale illud beneficium, potius quàm propter æternæ hæreditatis spem, ad sacrum properarent lavacrum. *Per hoc nemo*, inquit idem Doctor, *propter illam vitam quæ post istum mortem beata futura est, ... ad Christi gratiam festinaret; sed propter renovationem mortis molestiam, delictis credere in Christum.* (Lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 31. n. 50. tom. 10. pag. 66.)

3^o. Iste peccati pœnæ Baptismo superstitēs admodum utiles sunt, ut ipso miseriarum quæ patimur sensu plenius agnoscamus, quàm grande sit originis peccatum, & simul quanta sit gratiæ diviæ virtus & necessitas. Inde enim maximè elucet omnipotens gratiæ Christi virtus, quod in tanta infirmitate constitutos, ab innumeris hujus vitæ periculis victores non efficiat. Si enim languor omnis statim sanaretur, boni facilitatem sibi ipsi homo vindicaret, suamque esse crederet, quod absque ullo labore periceret: at plagis faucibus, rantisque circumdatus periculis, divinam opem implorare cogitur, & summam gratiæ eum liberantis necessitatem & efficaciam agnoscere.

4^o. Optimè congruit ut homo qui per superbiam, perversamque

perversamque in seipso confidentiam cecidit, infirmitatis suæ semper admoneatur, nihilque habeat unde gloriari & superbire possit. Porro nihil hominem ad humilitatem sui que despicientiam efficacius revocat, quàm quotidianæ quibus obnoxius est miseriæ tum interiores, tum exteriores. Illarum enim conscius cum Propheta quisque clamare debet: *Ego vir videns pauperitatem meam.* (Thren. 3. 1.)

Quæres 2^o. quænam sit pœna infantium sine Baptismate morientium.

Resp. Pelagiani contendebant nullius peccati reos nasci parvulos, aliundè verò Deum non posse innocentes facere miseros: idcirco docebant infantes sine Baptismate mortuos, non ingressuros quidem regnum cælorum, juxta hanc Domini sententiam: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei;* (Joan. 3. 5.) sed tamen vitam æternam habituros; quasi verò aliud sit vita æterna, quàm Regnum cælorum? Hujusmodi infantibus locum assignabant, quem inter damnatos & beatos medium fingeant.

Catholicorum eâ de quæstione multiplex est placitum. 1^o. Sunt qui putent infantes de quibus agitur, privandos quidem esse visione Dei *intuitivâ*, sed nullum inde percepturos dolorem. 2^o. Alii sentiunt infantes illos ab *intuitivâ* Dei visione ita excludi, ut naturali quâdam beatitudine donentur, & post judicium extremum, super terram sine commoraturi, perfectam rerum naturalium cognitionem habituri, ab Angelis etiam & hominibus beatis identidem invisendi. Ita Catharinus, Pygheus & alii.

Si Molinæ fides adhibeatur, *Parvuli reprobatii...* post diem judicii, cum eorum animæ fuerint corporibus restitutæ, ab omnibus molestiis & arumnis quibus in hac mortali vita subjacemus supernatu-
Tom. VI. E e

raliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis & corporis immunem, ... quam ullus unquam mortalium duxerit. (Lib. concord. quæst. 3. art. 3. & 4. memb. 9.)

Longè ulterius progressus est Cardinalis Sfondratus cujus illa sunt verba: In hac parvulorum causa considerandum est, licet Deus ad cælestem gloriam eos non admiserit, alio multòque majori beneficio affectisse, quod illi ipsi longè cælo prætulissent, & nos quoque, si electio daretur, multò majoris pretii quam cælum duceremus: id verò beneficium fuit, quod fato præmaturo abreptos, innocentie suæ personalis securos reddidit; ... quid ergo conqueri de Deo possunt, ... si non quidem cælo, sed alio beneficio donavit, quod multò præstantius cælo est, quodque & ipsi & omnes sapientes cælo præferrent? (Modus prædestinat. dissolutus pag. 120.) Sfondratus secutus est Haradinus.

3^o. Multi Theologi opinantur hujusmodi parvulos è Regno cælorum & vita æterna exulatuos quidem esse, & inde gravissimum dolorem percepturos; sed poenâ sensûs, sive igne torquendos non esse: ita Bellarminus.

4^o. Demùm Augustiniani docent infantes, ante susceptum Baptismum morte occupatos, ignis poenâ sed mitissimâ, esse afficiendos. His prænotatis, sit

PROPOSITIO I.

Parvuli sine Baptismate mortui non fruuntur beatitudine naturali.

Probatur 1^o. Quia ab Hæresi Pelagianâ non satis recedunt qui beatitudinem naturalem infantibus peccato originali obstructis tam liberaliter concedunt. Non baptisatis parvulis, inquit Augustinus, nemo promittat inter damnationem Regnumque cælorum, quietis & felicitatem cujuslibet quasi medium

locum. Hoc enim iis etiam Hæresis Pelagiana promittit. (Lib. 1. de origine animæ, cap. 9. n. 11.) Novellos Hæreticos Pelagianos justissimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit autoritas, ex eo quòd ausi fuerint non baptisatis parvulis dare quietis & salutis locum, etiam præter Regnum cælorum. (Ibid. lib. 2. cap. 12. n. 17.)

2^o. Quia, ut ait S. Doctor, homines quandiu originali contagio inquinantur, sunt filii iræ, filii diaboli, immundi peccatores, impij. Numquid autem ferunt aures christianæ felicitate naturali donari filios iræ, filios diaboli, immundos peccatores, impios? Denique Pelagianos sic redarguit: Proinde respuendi sunt à corde christiano, qui putant idèò dictum multas esse mansiones, quia extra Regnum cælorum erit aliquid, ubi maneant beati innocentes, qui sine Baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in Regnum cælorum intrare non potuerunt. Hæc fides non est fides, quoniam non est vera & Catholica fides. (Tract. 67. in Joan. n. 3. tom. 3. part. 2. pag. 678. Edit. BB.) Ideirò Cardinalis de Noris quosdam Scholasticos sic perstringit: Si in Patrum voluminibus tantum studij & laboris posuissent, quantum Aristoteli explicando impendère, profectò Augustini sententiam non obduxissent, neque ... Pelagianorum opinionem, quoad naturalem illam puerorum beatitudinem attinet, hominum mentibus tam altè infixissent. (Vindic. August. cap. 3. sect. 5. pag. 44.)

3^o. Quia fides christiana non dubitat, inquit Augustinus, ... eos qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de diaboli potestate, & eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam parvulos filios redemptorum, sub ejusdem diaboli esse potestate captivos: (Lib. de nuptiis & concupisc. cap. 20. n. 22. tom. 10. pag. 291.) atque parvulos sub potestate diaboli constitutos, non modò non beatos, sed nonnisi valdè miseros fore quis negaverit? Si non eruitur à potestate tenebrarum,

sit idem Doctor, & illic romanet parvulus, quid miraris in igne aeterno cum diabolo futurum, qui in Regnum Dei intrare non sinitur? an quia Pelagiani nescio quem parvulis non baptisatis, præter Regnum Dei, quietis & vitæ aeternæ locum præparant, idcirco Christi erit falsa sententia: ... qui non crediderit, condemnabitur? (Lib. 3. operis imperf. cap. 199. pag. 1130.)

4°. Quia Concilium totius Africae Carthagine celebratum an. 418, sic pronuntiat: (Can. 3.) Si quis dixerit ideo dixisse Dominum: in domo patris mei mansiones multæ sunt, ut intelligatur quia in Regno cælorum erit aliquis locus medius, ubi beatè vivant parvuli qui sine Baptismo ex hac vita migraverunt, ... anathema sit: ... qui enim dextrâ caret, sinistram procul dubio incurret. Hic Canon extat in Appendice Tom. 10. oper. S. Augustini. pag. 106.

5°. Quia Synodus Florentina, sessione ultimâ definiit illorum animas qui in actuali mortali, vel solo originali peccato decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. (Tom. 13. Concil. pag. 515.) Cum pœna autem stare non potest beatitudo naturalis.

Hæc Synodi Florentinæ definitio desumpta fuit à Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. Uniusque illius Concilii auctoritate fretus D. Bossuet, de infantibus sine Baptismate mortuis sic pronuntiat: *Is sont dans l'enfer, dans la peine, dans la punition, dans la damnation, dans les tourmens perpétuels, . . . dans la gêne, . . . dans la mort éternelle: . . . cette doctrine est de la foi catholique, & la contraire hérétique. . . c'est un dogme de foi expressément défini & en mêmes termes par deux Conciles si authentiques. (Défense de la Tradit. & des SS. PP. liv. 5. chap. 2. pag. 169.)*

PROPOSITIO I I.

Idem infantes à visione Dei intuitiva exclusi verum inde concipiunt dolorem.

Prob. 1°. quia doctrinam hanc pertinere ad fidem catholicam expressè testatur Augustinus: *Christi Ecclesia, inquit, consuetur originale peccatum quo, sive soluto per Dei gratiam, sive per Dei iudicium non soluto, cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides novit. (Lib. de prædestin. Sanctior. cap. 12. n. 24. tom. 10. pag. 806.)* Itaque, teste Augustino, novit catholica fides parvulos qui originali peccato nondum soluti moriuntur, transire ex malis ad mala: atqui id falsum erit, si nullo doloris sensu afficiantur; ergo, &c.

Prob. 2°. quia peccati originalis fidem penitus evertit opinio contraria. Ideo quippè à suis autoribus inventa est, quia iniquum esse existimaverunt parvulos Baptismi exsortes pœnis addici & doloribus: atqui si parvulis abique Baptismate morientibus pœna iuste decerni nequeat, sequitur ipsis vel nullum, vel non nisi improprie dictum peccatum inhaerescere; siquidem peccatum & pœna duo sunt indivulsa; hæc igitur opinio culpæ originalis dogma prorsus labefactat.

Prob. 3°. quia absurdum est infantes qui sine Baptismate decederint, nullum dolorem ex eo percepturos, quod Regno cælorum & visione Dei intuitivâ semper exulabunt: *Perire à Regno Dei, inquit Augustinus, alienari à vita Dei, carere tam magnâ multitudinè dulcedinis Dei, . . . tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari, si illa sit aeterna. (Ench. cap. 112. n. 29. tom. 6. pag. 239.)*

Dices: Ideo parvuli nullum patientur animi dolorem, quia de intuitivâ Dei visione nihil prorsus

cognoscunt; hæc enim notitia per fidem tantum quæ semper carnerunt, obtineri potest.

Resp. difficultatem hanc nullius est momenti: inde enim sequeretur non parvulos tantum, sed etiam adultos infideles qui nihil unquam de Evangelio audierunt, ex amisâ beatitudinæ nullum dolorem esse passuros: neque enim illi fidem aliquando habuerunt, per quam unam, ut volunt adversarii, homo cognoscere potest visionem Dei *intuitivam* in qua sita est beatitudo.

Præterea infantes de quibus agitur, cognoscent felicitatem parvulorum qui post acceptum regenerationis Sacramentum mortui sunt; Christum enim audient eos sic alloquentem: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi (Matth. 25. 34.)*

PROPOSITIO III.

Sententia quæ infantes sine Baptismate mortuos, perpetuam ignis pœnam, sed mitissimam, pati affirmat, magis consentanea est Scripturæ & Patrum auctoritati.

Probatur 1^o. ex Scriptura cujus ea de re plurima sunt testimonia; sed præ ceteris insigne est quod legitur apud Marthæum (cap. 25.) ubi Christus Deus extremum & generale iudicium describens, nihil medium facit inter Regnum cælorum pro electis, & ignem æternum pro reprobis; inter oves & hædos; inter dextram & sinistram. Parvulos ergo sine Baptismate mortuos in alterutrâ parte collocari necesse est; atqui non in dextra, siquidem, fatentibus adversariis Regnum Dei non possidebunt; superest igitur ut futuri sint in sinistra, inter maledictos qui in ignem æternum abituri sunt.

Argumentum illud adversus Pelagianos sic urget Augustinus: *Venturus Dominus, inquit, & iudic-*

caturus de vivis & mortuis, duas partes facturus est, dextram & sinistram; ... nullus est reliquus medius locus in quo ponere queas infantes: ... qui non in dextra, procul dubio in igne æterno erit; qui non in Regno, procul dubio in igne æterno...
Ut doceret Dominus quid sit ignis æternus, tunc, inquit, abituri sunt in combustionem æternam. (Serm. 294. cap. 3. tom. 5. pag. 1184.)

Ultima hæc Augustini verba diligenter sunt ponderanda. Quod dixerat Christus, *ibunt in ignem æternum*, dixit S. Doctor, *abituri in combustionem æternam*: atqui vox *combustio*, ut per se patet, pœnam sensus indicat. Hinc videre est quàm futile sit nonnulorum responsum qui, ut præfatam Scripturæ & Augustini testimonium eludant, dicunt infantes qui sine Baptismate moriuntur, esse quidem in ignem æternum detrudendos, iusta Christi sententiam, sed ignis ardorem non experturos, quasi verò hæc Christi sententia: *ite, maledicti, in ignem æternum*, in eos generatim non pronuntietur qui à sinistris erunt; sicut igitur adulti reprobis non tantum erunt in supplicii loco, sed etiam igne torquebuntur, ita & parvuli qui in extremo iudicio à sinistris Christi iudicis reperti fuerint.

Prob. 2^o. Veterum auctoritate: 1^o. Ex iis quæ de Augustino retulimus, constat eum pro certo habuisse infantes sine Baptismo defunctos, æternam ignis pœnam esse toleraturos. Eandem doctrinam passim inculcat S. Doctor: *Quid miraris, inquit, futurum in igne æterno cum diabolo, qui in Dei Re num intrare non sinitur? (Lib. 3. oper. imperf. contra Julian. cap. 199. tom. 10. pag. 1130.)*

2^o. S. Fulgentius idem, tanquam fidei dogma, credendum proposuit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, ... parvulos qui ... sine Sacramento sancti Baptismatis ... de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio esse puniendos; quia, etsi propriæ actionis nullum peccatum habuerint, originalis tamen peccati damnationem traxerunt.*

(*Lib. de fide ad Petrum, cap. 27. edit. in-4^o. pag. 527.*) Eandem doctrinam discretè sic profertur : *Æternis ignibus arsurus sine Baptismate morientes, etiam parvuli qui nihil boni aut mali egerunt.* (*Lib. de veritate prædest. & grat. cap. 14. n. 31. edit. in-4^o. pag. 449.*)

3^o. S. Gregorius Magnus Perpetua tormenta percipiunt qui nihil ex propria voluntate peccaverunt, nempe infantes sine Baptismate mortui (*Lib. 9. moralium in Job, cap. 21. tom. 1. pag. 303.*) atqui tormenti nomine, cum de reprobis agitur, æterna ignis pena significari solet.

4^o. S. Alcinus Avitus Archiepiscopus Viennensis, in suo ad tororem Fuscinae poemate, (*Tom. 9. Biblioth. PP. pag. 622. col. 2. n. 190.*) de maribus infantium sine Baptismate morientium, ait :

... Tætes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantum genuerunt, membra parentes.

5^o. S. Maximus Taurinensis de efficacia Baptismatis agens, *Quæ est illa aqua, inquit, quæ dum per Baptismum infunditur, ... tartari restinguit ardorem ?* (*Tom. 6. Biblioth. PP. pag. 47.*) Tartari igitur ignibus obnoxius erit quisquis sacro fonte non fuerit expiatus.

6^o. S. Ildorus Hispalensis : *Parvulorum animæ, nisi percipiant Baptismatis Sacramentum, ... damnabuntur in ignem æternum.* (*Lib. 2. de differentiis spirit. cap. 26. pag. 298.*) Eandem veritatem sic testatur : *Pro solo reatu originali luunt in inferno nuper nati infantuli penas, si renovati per lavacrum non fuerint.* (*Lib. 1. sent. cap. 22. pag. 632.*)

7^o. Robertus Pullus Cardinalis : *Apud nos, sanctorum Patrum Traditione certum est, seu natis seu innatis, Baptismo tamen cassis, nihil sperandum nisi suæ applicium.* (*3. part. lib. sentent. cap. 3. pag. 98. col. 1.*)

8^o. Denique, ut alios omittam, doctissimus

Cardinalis de Noris, suam quæ S. Augustinum à nonnullorum calumniis vindicat, dissertationem sic absolvit : *Et quidem spero fore ut deinceps, ubi hæc nostra disputatio legitur, plures in Augustini partes transeant, vel saltem à censuris abstineant, neque S. Doctorem excessus instiment, in ea sententia tradenda (de parâ infantium sine Baptismate morientium) quam unanimi consensu Pontifices, Synodi, ac Patres docuerunt.* (*Vindio. August.*)

Prob. 3^o. Ratione. Peccatum originale plectitur in parvulis viventibus poenâ sensûs : infantes enim innumeris vexantur miseris quæ totidem sunt primigeniæ labis effectus & poenæ ; nihil verat igitur quominus in futuro sæculo, poenâ quoque sensibili afficiantur ; aut saltem vana prorsus est advertentiorum ratio quæ videlicet contendunt, idè nullam sensûs poenam expecturos in altera vita infantes, quia nulla sensuum delectatione peccarunt, & poenâ sensibilis debet illicitæ sensuum voluptati respondere.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Job voluisset in utero matris periisse, vel ubi primum in lucem editus fuit : (*Cap. 3.3.*) eamque rationem affert : *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem ;* (*Ibid. v. 13.*) ergo putavit Job parvulos ante rationis usum morientes, nullâ sensibili poenâ torqueri.

Resp. Neg. conseq. Quia ibi loquitur Job de quiete & immunitate ab ejus vitæ miseris : totus est enim in præfato capite, ut ostendat innumeras & gravissimas esse hujus vitæ ærumnas, eumque beatum esse qui miserabili hæc luce statim privatur. Nonne & nos, dum moritur aliquis infortunius miserisque jactatus, licet impius sit, nonne & nos dicere consuevimus : à poenis & calamitatibus suis tandem aliquando requiescet ? tunc enim hujus tantum vitæ conditionem, non futuræ recogitamus. Ita Job qui mentem suam sic exponit : *Ibi* (*in*

sepulcro) impii cessaverunt à tumultu, & ibi requieverunt fessi robore. (Ibid. v. 17.) Quietem igitur appellat mortem quâ omnes live parvuli, live adulti, hujus vitæ miseris eximuntur.

Præterea eandem difficultatem solvendam habent qui censent parvulos aliquam pœnam, aliquem dolorem passuros, quamvis eos ab ignis supplicio liberent.

Obj. 2^o. Ii soli in ignem æternum mittentur, qui opera misericordiæ neglexerunt, juxta terribilem hanc Christi sententiam: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum: esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.* (Math. 25. v. 41. & 42.) Atqui infantes opera misericordiæ negligere non potuerunt; ergo in ignem æternum non mittentur.

Resp. Neg. maj. Ex præfata enim Christi sententia pessime colligeretur, homines ex solis misericordiæ operibus quæ ibi commemorantur, judicandos esse, quia unum peccati genus pro reliquis hic positum est: alioqui vitam æternam consecutus esset qui pauperes alit, & misericordiæ opera exercet, quamvis libidinibus obscœnis deditus: quod absurdum est; objecta igitur Christi sententia ad eos restringi non debet, qui misericordiæ opera neglexerunt; ergo nihil inde colligi potest in gratiam parvulorum.

Obj. 3^o. S. Gregorius Nazianzenus disertè affirmat infantes sine Baptismate morientes, pœnâ sensus non mulctari, ut potè qui Sacramentum illud non neglexerunt, nec consequi potuerunt: *Nec celesti gloriâ, inquit; nec supplicii à justo judice afficientur, ut potè qui, licèt signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc pœnam passi potius fuerint, quàm fecerint.* (Or. 4. in sanctum Bapt. n. 23. tom. 1. pag. 708. edit. BB.) Aliquid simile docet Gregorius Nyssenus, nempe hujusmodi parvulos, in doloribus ac tristitia non esse. (Orat. 1.)

Resp. 1^o. In objecta verbo sic præfari eruditorum operum S. Gregorii editores: *Hæc non sic accipienda sunt, quasi censuerit Gregorius originalis peccati pœnas infantes non luere. Reverà infantes supplicii non afficientur quòd Baptismo caruerint, sicut nec adulti, ni desidia vel contemptu ad Baptismum non accesserint; siquidem defectus ille Baptismatis non eis crimini verti potest. Interea, licèt adulti non puniantur propter omissum Baptisma, pœnas tamen exolvent de peccatis quæ in vita perpetrarunt: sic & infantes natura filii iræ, & peccato originali obnoxii, merito plecentur, miserè à Deo in æternum repulsi, ut Gregorius docet. Homil. 39. in sancta lumina. n. 13. pag. 685. (Præfat. nov. edit. de Baptismo, pag. 60.)*

Resp. 2^o. objecto utriusque Doctoris textus non esse strictius urgendos. Si enim verborum cortici inhæreas, inde inferri posset infantes sine Baptismate defunctos, non sensus tantum pœna, sed quilibet aliâ immunes esse; quod tamen à doctrina Ecclesiæ abhorre probavimus. Quinimò Gregorius Nyssenus de adultis sine Baptismate mortis idem statuit, modò gravia quædam peccata non commiserint. *Neque honorantur, ait, neque puniuntur.* (Orat. in eos qui differunt Bapt. tom. 1. pag. 959. edit. Paris. an. 1615.) Quæ propter censet clarissimus Bossuet, non eam sanctus Doctoribus mentem fuisse, ut significarent ejusmodi parvulis nihil esse pœnæ, quòd à Regno cælorum excludantur; sed tantummodò eorum damnationem, ut potè omnium levissimam, pro nihilo parari, comparatè ad horribiles aliorum cruciatus, qui propriâ voluntate peccarunt. (Désensé de la Tradit. & des SS. PP. liv. 9. chap. 17. pag. 341.)

Resp. 3^o. cum Berti Gregorium tum Nazianzenum, tum Nyssenum, aliosque ante exortam hæresim Pelagianam, non tam fuisse in hac controversia versatos & exercitatos, quantum Augustinum & Africanos Patres, &c. (Lib. 17. de Theolog. discipl.

cap. 9. tom. 3. pag. 89.) Quapropter sicut in disputationibus de prædestinatione & gratia, ita & in præsentî quæstione post hæresim Pelagianam ventilata, Latini Græcis præferendi sunt. Haud immeritò respondere possumus, ait Nicolaus l'Herminier, quòd olim S. Augustinus Massiliensibus qui in negotio prædestinationis & reprobationis antiquiorum autoritatem objiciebant: *Quid opus est, inquit, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis exoriretur, non habuerunt necessitatem in hoc difficili ad solvendum quæstione versari! quòd procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur.* (Lib. de prædest. SS. cap. 14. n. 27. tom. 10. pag. 808.)

Obj. 4^o. S. Ambrosium qui de parvulis sine Baptismo decedentibus ita scribit: *Habeant tamen... pœnarum immunitatem: nescio an habeant Regni honorem.* (Lib. 1. de Abraham, cap. ult.)

Resp. Doctissimos Monachos Benedictinos (Tom. 1. pag. 351.) opiari in præfato capite nonnulla quæ Pelagianismum sapiunt, ab aliquo Hæretico fuisse intrusa; nec immeritò quidem illud suspicantur: nam supra affirmat S. Doctor parvulos non baptizatos excludi à Regno cœlesti; quomodo igitur postea scripsisset, *nescio an habeant Regni honorem?*

Præterea dici potest S. Ambrosium loqui per modum concessionis; siquidem ait, *habeant, non, verò habent.* Denique nimis probatè argumentum à S. Doctore depromptum. 1^o. Quia perspicuum est eum tam de adultis quàm de infantibus verba facere. Adductis quippè Christi verbis, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* hæc subjicit: *Utrique nullum excipit, non infanem, non aliquò præventum necessitate.* 2^o. Quia ex objecto loco colligeretur infantes nullam animi pœnam, nullum dolorem esse peresuros: huic enim sensum patiuntur hæc S. Doctoris verba: *Habeant pœnarum immunitatem.*

Obj. 5^o. S. Augustinus ad Hieronymum ita scribit: *Cum ad pœnas ventum est parvulorum, magis, mihi crede, coardior angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio;* (Epist. 166. cap. 6. n. 16. tom. 2. pag. 589.) ergo de pœnis parvulorum dubitavit Augustinus.

Resp. Dist. conseq. Dubitat de causa pœnarum in parvulis, in sententia Hieronymi de origine animæ, conc. dubitat utrum pœnas patiantur infantes, &c.

In ea nimirum Epistola Hieronymum consultit de origine animæ; ait, si dicantur animæ creati à Deo, ut docebat Hieronymus, se vix intelligere quomodo pœnas sine ulla causa mala patiantur infantes quorum animæ à Deo puræ exeunt. Sed diserte pronuntiat infantes pœnas esse in altera vita peresuros, sicut & in ista multis affliguntur: *Non solum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quòd necesse est trahantur, si de corpore exierint sine gratia Sacramento; sed eas ipsas quæ in hac vita, dolentibus nobis, versantur ante oculos.* (Ibid.)

Obj. 6^o. Summa Dei bonitati & justitiæ injuriosa est sententia, quæ affirmat pœnam sensus infligi parvulis qui nec propriâ voluntate, nec sensuum ministerio peccaverunt; ergo rescindenda est.

Resp. Neg. ant. Hac enim quæstio, sicut & alia bene multæ, v. g. de prædestinatione & reprobatione, peccatoque originali, ex fide, non autem ex humanis rationibus, definienda est. Cedamus & consentiamus, inquit Augustinus, autoritati sanctæ Scripturæ quæ nescit falli, nec fallere. (Lib. 1. de peccat. merit. cap. 22. n. 33.) Atqui fide competum est nihil bonitati & justitiæ divinæ injuriosum esse, in eo quòd infantes pœnâ sensus torqueantur, quàmvis nec propriâ voluntate, nec sensuum ministerio peccaverint. Nam 1^o. docent fides & experientia, infantes in hac vitâ pœnam sensus pati, mortem nempe & alias corporis

miserias quæ peccati originalis effectus simul & pœnæ sunt: ex iis enim adversus Pelagianos argumentum depromit Augustinus, ut primigeniâ noxâ vitiatam esse hominis naturam demonstret.

2^o. Docet etiam fides parvulos sine Baptismate morientes experturos pœnam *damni*, sive excludendos esse à Regno cœlesti, & visicne Dei *instituta* juxta hanc Christi sententiam: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: (Joan. 3. 5.) atqui æterna illa *damni pœna tam grandis est*, inquit Augustinus, *ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari* (Ench. cap. 112. tom. 6. pag. 239.) Sileat igitur humani ingenii temeritas, nec Deum crudelitatis accuset in iis quæ fide certa sunt.

Observatio.

Licet S. Thomas communem suæ ætatis Scholasticorum opinionem secutus, dixerit *peccato originali non deberi pœnam sensûs, sed solum pœnam damni*: (Quæst. 5. de malo art. 2.) at tamen, ut erat Augustini studiosissimus, ejus doctrinæ ubique sparsit semina. Docet, v. g. ob peccatum originale nasci unumquemque pœnæ & gehennæ obnoxium: *Eramus naturâ, id est, per originem naturæ, ut vitiosa est, filii iræ; id est, vindictæ, pœnæ & gehennæ.* (In Epist. ad Ephes. lect. 1. cap. 2.) Et Lib. 3. contra gentes, cap. 159. *Habet pro absurdo, inquit Sylvius, quod sint aliqui homines qui nec beatitudinem consequantur, nec pœnam à Deo patiuntur, quod juxta Scripturam (Matth. 25.) omnibus in divino judicio existentibus dicitur: Venite, possidete paratum vobis Regnum, vel discedite in ignem æternum.* (Tom. 2. oper. Sylvii, pag. 446. edit. Antwerp. an. 1667.)

Unde sic concludit idem Sylvius: *Si S. Thomas suam summam Theologicam absolvisset, non deest ratio existimandi eum in partem alteram fuisse decli-*

naturum. (Ibid.) Eadem est Laurentii Berti persuasio: *Multò magis, inquit, ad nos accessisset S. Thomas, si postremum contra Julianum opus datum ei esset perlegere, ubi sententia nostra traditur expressissimè.* (Lib. 13. de Theolog. discipl. tom. 3. cap. 9. pag. 91.)

CAPUT II.

De Peccato mortali & veniali.

Hic quatuor proponi solent quæstiones. Prima, utrum peccatum mortale & peccatum veniale ex natura sua differant; secunda, quâ ratione à se invicem discrepent; tertia, utrum ex plurimis peccatis venialibus coalescere possit unum mortale; quarta, an peccatum ex genere suo mortale fieri possit veniale. Quæ singula totidem in articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An Peccatum mortale & Peccatum veniale ex natura sua differant.

Calvinus docet omnia peccata esse ex natura sua mortalia. Sic enim Catholicos irridet: *Hic in æquum confugiunt inepta disjunctionis, peccata quædam venialia esse, quædam mortalia: ... nos autem peccati stipendium prenuntiavimus esse mortem, & animam quæ peccaverit morte dignam.* (Lib. 3. instit. cap. 4. n. 28.)

miserias quæ peccati originalis effectus simul & pœnæ sunt: ex iis enim adversus Pelagianos argumentum depromit Augustinus, ut primigeniâ noxâ vitiatam esse hominis naturam demonstret.

2^o. Docet etiam fides parvulos sine Baptismate morientes experturos pœnam *damni*, sive excludendos esse à Regno cœlesti, & visicne Dei *instituta* juxta hanc Christi sententiam: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: (Joan. 3. 5.) atqui æterna illa *damni pœna tam grandis est*, inquit Augustinus, *ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari* (Ench. cap. 112. tom. 6. pag. 239.) Sileat igitur humani ingenii temeritas, nec Deum crudelitatis accuset in iis quæ fide certa sunt.

Observatio.

Licet S. Thomas communem suæ ætatis Scholasticorum opinionem secutus, dixerit *peccato originali non deberi pœnam sensûs, sed solum pœnam damni*: (Quæst. 5. de malo art. 2.) at tamen, ut erat Augustini studiosissimus, ejus doctrinæ ubique sparsit semina. Docet, v. g. ob peccatum originale nasci unumquemque pœnæ & gehennæ obnoxium: *Eramus naturâ, id est, per originem naturæ, ut vitiosa est, filii iræ; id est, vindictæ, pœnæ & gehennæ*. (In Epist. ad Ephes. lect. 1. cap. 2.) Et Lib. 3. contra gentes, cap. 159. *Habet pro absurdo, inquit Sylvius, quod sint aliqui homines qui nec beatitudinem consequantur, nec pœnam à Deo patiuntur, quod juxta Scripturam (Matth. 25.) omnibus in divino judicio existentibus dicitur: Venite, possidete paratum vobis Regnum, vel discedite in ignem æternum*. (Tom. 2. oper. Sylvii, pag. 446. edit. Antwerp. an. 1667.)

Unde sic concludit idem Sylvius: *Si S. Thomas suam summam Theologicam absolvisset, non deest ratio existimandi eum in partem alteram fuisse decli-*

naturum. (Ibid.) Eadem est Laurentii Berti persuasio: *Multò magis, inquit, ad nos accessisset S. Thomas, si postremum contra Julianum opus datum ei esset perlegere, ubi sententia nostra traditur expressissimè*. (Lib. 13. de Theolog. discipl. tom. 3. cap. 9. pag. 91.)

CAPUT II.

De Peccato mortali & veniali.

Hic quatuor proponi solent quæstiones. Prima, utrum peccatum mortale & peccatum veniale ex natura sua differant; secunda, quâ ratione à se invicem discrepent; tertia, utrum ex plurimis peccatis venialibus coalescere possit unum mortale; quarta, an peccatum ex genere suo mortale fieri possit veniale. Quæ singula totidem in articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An Peccatum mortale & Peccatum veniale ex natura sua differant.

Calvinus docet omnia peccata esse ex natura sua mortalia. Sic enim Catholicos irridet: *Hic in æquum confugiunt inepta disjunctionis, peccata quædam venialia esse, quædam mortalia: ... nos autem peccati stipendium prenuntiavimus esse mortem, & animam quæ peccaverit morte dignam*. (Lib. 3. instit. cap. 4. n. 28.)

P R O P O S I T I O .

Admittenda sunt peccata quæ ex natura sua sint venialia.

Probatur ex Scripturis. Peccatum ex natura sua veniale illud est quod, nec iustitiâ exiit hominem, nec amicitiam Dei dissolvit: atqui multa sunt ejusmodi peccata, teste Scripturâ: *Non est homo iustus in terra qui non peccet.* (Eccle. 7. v. 21.) *Septies cadet iustus.* (Prov. 24. v. 16.) *In multis offendimus omnes,* ait S. Jacobus. (Cap. 3. v. 2.) *Si dixerimus, inquit S. Joannes, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* (1. Ep. cap. 1. v. 8.) Ex Scripturis itaque constat quædam esse peccata quotidiana, & singulis etiam iustis communia: atqui hujusmodi peccata nec iustitiam auferunt, nec amicitiam Dei dissolvunt, ut res ipsa clamat: ergo dari peccata quæ ex naturâ suâ sint venialia, demonstrant sacræ Litteræ.

Præterea in iisdem Scripturis quædam peccata comparantur rebus levissimis, quædam autem gravissimis: cujus comparationis fit illud exemplum: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* (Matth. 7. 3.) Atqui per festucam peccata ex se venialia, per trabem verbò peccata ex se mortalia designantur. Hinc præfatum Matthæi locum sic exponit S. Hieronymus: *De iis loquitur (Christus) qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt.* (Tom. 4. pag. 23.) Ibi per minora peccata intelligit S. Doctor venialia, liquidem ea mortalibus opponit; ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objicies 1^o. *Stipendia peccati mors,* inquit Apostolus. (Rom. 6. 23.) *Anima quæ peccaverit, ipsa*

moriatur, ait Deus apud Ezechielem; (Cap. 18. v. 20.) ergo, teste Scripturâ, peccatum quodlibet mortem animæ secum importat, ac proinde mortale est.

Resp. Neg. conseq. Utraque enim hæc Scripturæ sententia de omnibus peccatis minimè intelligenda est; 1^o. quidem cum ait Apostolus: *stipendia peccati mors;* non loquitur nisi de gravioribus nonnullis peccatis de quibus ante suam conversionem commissis erubescant Fideles, ad Religionem Christianam recens adducti, ut satis probant ista quæ præmittit verba: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* (Rom. 6. 21.) 2^o. Apud Ezechielem agitur de rapina, usura, homicidio, idololatria, &c. quæ ex natura sua sunt crimina gravissima, idcirco ibidem dicuntur detestanda.

Obj. 2^o. Sic docet Christus: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cælorum;* (Matth. 5. 19.) sed qui committit peccatum veniale, solvit unum ex mandatis minimis; ergo erit minimus, id est, nullus in Regno cælorum, ab eoque excludetur; & proinde nullum est peccatum quod ex natura sua non sit mortale.

Resp. Dist. maj. Qui solverit unum de mandatis istis minimis, juxta Phariseorum existimationem, conc. quæ reipsâ minima sunt, neg.

Scilicet, in eo capite Christus fallacem perstringit Phariseorum iustitiam; egregiè enim servare se Legem gloriabantur, non occidendo, non mœchando, non jurando per terribile Dei nomen. irasci verò, conviciari, concupiscere uxorem alienam, jurare per cælum, inimicos odio habere, tanquam leve aliquid existimabant. Id colligitur ex toto præfati capitis 5. contextu. Hæc autem quæ minima Pharisei arbitrabantur, quis ignorat reverà, esse gravia? Præterea in objecto loco non dicitur tantum, *qui solverit,* sed additur: & do-

cuert sic homines. Porro Legem divinam adulterare & corrumpere, etiam in minimis, & aliis falsam doctrinam proponere, quæ sacris Scripturarum oraculis adverteretur, crimen est gravissimum.

Obj. 3^o. Quodcumque peccatum est violatio primi & maximi mandati, quo tenemur Deum ex toto corde diligere; ergo peccatum quodcumque mortale est.

Resp. Dist. ant. Est violatio primi & maximi mandati, sed quæ potest esse levis, conc. quæ semper gravis est ac mortifera, neg.

Si enim culpa quælibet cum maximo diligendi Dei mandato graviter pugnet, iusti quorundam Deum offenderent, desinerent esse iusti: atqui illud absurdum est; alioqui nullus esset iustus, siquidem ex Apostolo, *in multis offendimus omnes*; ergo violatio primi & maximi mandati non semper gravis est ac mortalis. Ratio est, quia sicut rectus amor nunc vividus est ac vehemens, nunc autem remissus, nec semper justificat: ita perversus amor suos habet gradus, nec semper gratiam justificantem extinguit. Hinc illud Augustini: *Omnes enim offendimus; sed unus gravius, alius levius. Quanto quisque gravius leviusque peccaverit, tanto erit in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo & proximo minor.* (Epist. 167. n. 17. tom. 2. pag. 601.)

Obj. 4^o. Quodlibet bonum opus, etiam minimum, meretur vitam æternam juxta illud Christi: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* (Matth. 10. 42.) Ergo pariter peccatum vel minimum pœnam æternam meretur.

Resp. Neg. conseq. Quia Deus, ut potè summè bonus & misericors, ultra meritum remunerare potest; quatenus autem est summè iustus; non potest pœnam culpæ majorem infligere: sed inter

utramque servare debet proportionem; quod profectò non faceret, si pro culpa levissima pœnam decerneret sempiternam. Insuper opus quod in iusto exiguum primâ fronte videtur, reverà præstantissimum est, non quidem in se, sed ratione caritatis *habitualis* ex quâ proficiscitur; peccatum verò leve, cum non nisi ex parva cupiditate prodeat, non potest esse tantæ gravitatis, ut pœnam æternam mereatur.

ARTICULUS II.

Quânam potissimum ratione inter se differant Peccatum mortale & Peccatum veniale.

Circa quæstionem hanc varias in partes scinduntur Theologi.

1^o. Docet Scotus in eo differre peccatum mortale & veniale, quòd prius sit contra præceptum, posterius verò contra consilium. Sed refellitur hæc opinio ex eo quòd actus qui opponitur consilio, non idèò peccatum sit, etiam veniale; sive Legis: *Ubi enim non est Lex, nec prævaricatio.* (Rom. 4. 15.) Consilium autem vim Legis non habet. Præterea iusta eandem sententiam, nubere peccatum esset saltem veniale, post consilium ab Apostolo datum de servanda virginitate: nemo tamen dixerit nubere esse peccatum, sic testante Apostolo: *si nupserit virgo, non peccavit.*

2^o. Existimant alii cum S. Thoma peccatum mortale à veniali discrepare, quia mortale est contra Legem, sive præceptum; veniale autem præter Legem duntaxat. Sed facilè evertitur hæc opinio, quia peccatum quodcumque, etiam veniale & levissimum, est contra Legem, cum peccatum definiatur *transgressio Legis*, & præterea licitum sit quidquid nullâ Lege prohibetur; si ergo pec-

cata venialia non essent contra Legem, eo ipso licita forent.

3^o. Nonnulli volunt peccatum mortale & veniale, eo discriminari, quod alterum pœnæ æternæ, alterum verò temporali tantum hominem faciat obnoxium: sed ruit hæc sententia, quia pœnæ subeundæ obligatio est peccati effectus, non autem ratio *formalis* quâ peccatum constituat mortale aut veniale.

4^o. Alii tandem quibus suffragamur, discrimen peccati mortalis à veniali in eo potissimum reponunt, quod per mortale peccatum homo ita sese avertat à Deo, ut in creatura constituat finem suum simpliciter ultimum, qui scilicet omnibus animæ affectibus prævalent; per veniale autem peccatum homo ita creaturæ adhæreat, ut ad eam finem suum ultimum non transferat: sic enim animo comparatus est, ut creaturam desereret si illius amore Deum graviter offendi, ejusque amicitiam dissolvi intelligeret: hinc patet cur mortale peccatum caritatem ac proinde gratiam sanctificantem extinguat, non autem veniale. Caritas enim intima est animæ cum Deo conjunctio: hanc verò perimit aversio à Deo, tanquam sine ultimo, quam sibi adjunctam habet peccatum mortale, non autem veniale.

Quæres an facile sit pronuntiare utrum hoc vel illud peccatum mortale sit, an veniale.

Resp. Difficile ac periculosum est definire, utrum hic an ille actus sit peccatum mortale, an verò intra venialis culpæ limites consistat. *Quæ sint illa peccata*, inquit Augustinus, *quæ impediunt perventionem ad Regnum Dei, difficillimum invenire, definire periculosum.* (Lib. 21. de civit. Dei, cap. 27. n. 5.) Cujus difficultatis variae sunt causæ. Prima est quod mens circa mortalia magis cæcutiat, quàm circa quælibet alia. Secunda, quod voluntas peccato corrupta, non regulâ veritatis,

sed plerumque cupiditate rem metiatur. Tertia est quod peccata, licet gravissima, cum in consuetudinem abierint, aut nulla aut levia tantum existimentur.

Ea tamen de re statui possunt quaedam regulæ: 1^o. Utrum peccatum mortale sit, an veniale tantum, non ex humana ratione quæ corrupta est ac tenebris involuta definiendum est; verum ex Scriptura, quantum fieri potest, & Traditione: *Quæ sint levia, & quæ gravia peccata*, inquit Augustinus, *non humano, sed pensanda sunt iudicio divino.* (Enchir. cap. 78. n. 21.) 2^o. Quæ in Scripturis dicuntur è Regno cœlorum excludere, aut morte æternâ plecti, habenda sunt mortalia. 3^o. Quæ per justas Leges canonicas aut civiles gravi pœnâ multantur, non existimanda sunt venialia. 4^o. Quæ gravem Deo, vel proximo, vel ipsi peccati injuriam, aut grande damnum ex se inferunt, debent lethalia censeri.

ARTICULUS III.

Utrum ex multis Peccatis venialibus coalescere possit unum mortale.

Quæstionem hanc solvet sequens

PROPOSITIO.

Ex multis Peccatis venialibus fieri non potest unum mortale.

Prob. 1^o. Quia peccatum veniale ex natura sua differt à mortali, ut patet ex dictis: atqui unius rei natura non potest in alterius naturam mutari propter solam actus multiplicationem: nunquam, v. g. res spiritalis, quantumvis multiplicetur, corporis naturam induet, 2^o. Docent sacra Litteræ

justos, licet multoties venialiter peccent, non ideo è gratia justificante excidere: atqui id falsum erit, si ex multis venialibus coalescere possit unum peccatum mortale. 3^o. A Synodo Tridentina declaratum fuit, (*Seff. 14. cap. 5.*) hominem per venialia peccata suam non amittere justitiam, eademque hæc peccata posse citra culpam in confessione taceri: atqui neutrum esset generaliter verum, si ex plurimis venialibus peccatis aliquando conflaretur unum mortale; ergo, &c.

Dices 1^o. S. Augustinus sic monet: *Timenda sunt parva peccata quæ humana fragilitati..... crebra subrepunt: quæ collecta contra nos si fuerint, ita nos gravabunt & opprimunt, sicut unum aliquod grande peccatum.* Id S. Doctor comparatione confirmat: *Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, an paulatim subrepens aqua impleat navim atque submergat?* (*Epist. 265. n. 8. tom. 2. pag. 898.*)

Itaque juxta S. Augustinum multa peccata venialia idem efficiunt, & nos perinde opprimunt ac unum mortale; ergo putat S. Doctor ex multis venialibus fieri unum mortale peccatum; vel, quod eodem recidit, plurima venialia uni mortali paria esse.

Resp. Dist. ant. Perinde nos opprimunt ratione peccati mortalis quod vulgò neglecta venialia sequitur, conc. per se & ratione sui, neg.

Itaque præfatus Augustini locus eo sensu intelligendus est, quòd si venialia spernantur, & magno numero collecta sunt, certo nos opprimant; quatenus scilicet iis repetitis & neglectis succedere solent alia graviora & mortalia, juxta illam Scripturæ sententiam: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* (*Eccli. 19. 1.*) Ita Augustini verba Interpretatur S. Thomas: *Loquitur in illo sensu quòd multa venialia dispositivè causent mortalia.* (*1. 2. q. 88. art. 4. ad 1.*) *Dum enim homines negligentes despiciunt peccata sua quæ parva sunt,*

crepantibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina & cumulum faciunt. (*Serm. 22. n. 2. in append. tom. 6. oper. 5. Aug. pag. 45.*) Plurimæ guttæ in sentinam irrepentes ideo navem possunt obruere, quòd in unam molem simul physicè coeant; de peccatis autem venialibus nihil simile dici potest.

Dices 2^o. Famulus qui assensum quotidie domino suo furatur, singulis vicibus non nisi venialiter peccat, & tamen in peccatum mortale incurrit, cum ad notabilem pecuniæ summam pervenit; ergo multa venialia unum mortale constituere possunt.

Resp. Neg. conseq. Mortaliter quidem peccat famulus ille, non quòd venialium collectio sit uni peccato mortali æqualis; sed quia minuta repetitis vicibus subripiendo, tandem pervenit ad notabilem pecuniæ summam quæ ad mortale peccatum sufficit. Ratio est, quòd ultimum rei levis futurum, prout prioribus moraliter conjunctum, unam cum iis materiam efficiat.

ARTICULUS IV.

Utrum Peccatum ex genere suo mortale, possit fieri veniale, & vicissim.

Peccatum dici potest mortale aut veniale duplici modo, nimirum vel per se sive ex genere suo, vel per accidens.

Quæres 1^o. quòdnam peccatum sit mortale aut veniale ex genere suo.

Resp. 1^o. Peccatum mortale per se sive ex genere suo, est illud quod fieri potest mortale, licet alia non interveniat peccati species. Sic furtum est peccatum ex genere suo mortale quia, licet fur omnis non peccet lethaliter, potest tamen aliquis mortaliter peccare, intra furti spe-

ciem consistendo, ad peccatumque alterius rationis non declinando.

Resp. 2^o. Peccatum veniale ex genere suo illud est quod intra propriam speciem remanendo, & sine accessione peccati diversae rationis, nunquam erit mortale. Huiusmodi est mendacium jocofum; quamvis enim ex circumstantiis fieri possit mortale, ut, v. g. si ille qui joci causâ mentitur, inde excitandum grave scandalum prævideat; tunc tamen ideo solum sit mortale, quia ipsi jungitur altera peccati species, nempe scandalum.

Quæres 2^o. quale peccatum censeatur mortale aut veniale per accidens.

Resp. Peccatum mortale per accidens illud dicitur quod, licet ex se gravem Deo non inferat injuriam, eum tamen graviter offendit ratione adjuncta alicujus circumstantiæ, ut patet exemplo mendacii jocoli mox proposito.

Peccatum veniale per accidens est illud cujus malitia, licet ex objecto gravis esse possit, ob alicujus tamen circumstantiæ interventum levis est, ut si quis in iis circumstantiis mentiatur, in quibus videt, si verum dicat, inde grave malum & damnatum esse derivaturum.

Quæres 3^o. Quandonam peccatum ex genere suo mortale fieri possit veniale per accidens.

Resp. Id fieri posse duplicem ob causam: 1^o. Si non adierit plena deliberatio quæ requiritur ad mortale: huiusmodi sunt subiti quidam iræ motus qui mentem ita perturbant, ut tamen eos voluntas non statim comprimat. 2^o. Cùm illius materia est levis, ut patet in furto unius assis, & in detractione quæ ex se non potest grave damnum inferre proximo. A secunda hac regula excipiendi sunt actus qui, licet eorum materia sit levis, nihilominus atrocem divinæ majestati injuriam important; tale est perjurium, etiam de re levissima; talis est etiam simonia per quam res aliqua spiri-

ritualis,

ritualis, licet exigui videatur momenti, venditur aut emitur.

Quæres 4^o. quas ob causas peccatum ex genere suo veniale fieri possit mortale per accidens.

Resp. peccatum ex genere suo veniale fieri posse per accidens mortale 1^o. ob pravum affectum operantis; si, v. g. ita sit animo comparatus, ut id quod facit non omitteret, etiam si illud peccatum esse mortale cognosceret; tunc enim habet peccati mortalis affectum. 2^o. Propter finem mortaliter malum quem agens in suo opere, alioquin ex se veniali, sibi proponit; ut si quis eo sine verba jocosa proferat, ut mulierem ad crimen adulterii impellat: ratio est, quia media finis ad quem referuntur pravitatem induunt. 3^o. Ob grave scandalum quod agens ex peccato suo, quamvis in se levi, consecuturum prævidet aut prævidere debet; ut si quis alium leviter irrideat, prænosens eum ad gravem iram esse commovendum, quia causa prævisa sui effectus malitiam fortitur. 4^o. Propter contemptum Superioris cujus Lex violatur; ut quando aliquis præceptum, etiam de re non gravi, infringit in despectum Superioris: contemptus enim ille in ipsum Deum refunditur, cujus vires gerit Superior. 5^o. Tandem ob proximum mortaliter peccandi periculum, cui sese exponit aliquis rem ex se venialiter malam agendo: idcirco qui otiose colloquitur cum muliere, satis expertus inde sibi non semel contigisse ut lethaliter peccaverit, eo ipso convincitur velle, ac proinde committere peccatum mortale. Qui enim vult causam, vult etiam effectum quem prævidet, aut prævidere potuit ex ea causa secuturum.

Finis Tomi Sexti.

I N D E X

TOMI SEXTI.

TRACTATUS

De Legibus.

DISSERTATIO I.

De Lege æterna & naturali. 3

CAPUT I. Utrum existat Lex naturalis.	5
PROP. I. Bonum & malum morale ex natura sua differunt.	Ibid.
PROP. II. In omnium mentibus existit Lex naturalis.	7
Solvuntur objecta.	8
CAPUT II. Utrum Lex naturalis mutationem & dispensationem admittat.	11
PROP. Lex naturalis nullam mutationem, nullamque dispensationem admittit.	Ibid.
CAPUT III. Utrum Lex naturalis ita semper obliget, ut illius ignorantia à peccato nunquam excuset.	15
PROP. Juris naturalis ignorantia à peccato nunquam penitus excusat, quamvis illius gravitatem aliquando imminuat.	16
Solvuntur objecta.	25

DISSERTATIO II.

De Lege positiva.

SECTIO I. De Lege positiva divina.	Ibid.
CAPUT I. De Lege veteri, sive Mosaica.	32
ART. I. An Lex vetus bona fuerit, Deumque auctorem habuerit.	Ibid.
PROP. I. Lex vetus bona fuit.	Ibid.
PROP. II. Deus veteris Legis auctor est.	34
Solvuntur objecta.	Ibid.
ART. II. Quosnam obligaverit Lex vetus.	42
PROP. Præcepta Legis Mosaica ceremonialia & judicialia solos obligabant Judæos.	Ibid.
ART. III. Utrum abrogata fuerit Lex Mosaica, & quandoam desierit.	44
PROP. I. Lex Mosaica in iis quæ pertinent ad præcepta ceremonialia & judicialia, non erat perpetua duratura, sed aliquandò abroganda.	Ibid.
PROP. II. Lex Mosaica reverà est abrogata.	46
Solvuntur objecta.	47
PROP. III. Lex vetus non abrogata est ante Christi mortem.	48
Q. 1 ^o . Quo tempore abrogata fuerit Lex vetus.	
2 ^o . Utrum illicita fuerit ejus observatio, postquam obligare desit.	50 & seq.
CAPUT II. De Lege nova, sive Evangelica.	53
ART. I. De nomine & natura Legis novæ.	Ibid.
PROP. Lex nova describi potest: Lex à Christo data, ab Apostolis promulgata, conjunctam sibi habens gratiam, ad finem usque mundi duratura.	54
Solvuntur objecta.	56
ART. II. Quænam sint Legis veteris & Legis novæ discrimina.	58 & seq.
SECTIO II. De Lege positiva humana.	72
CAPUT I. Utrum Principes sæculares & Ecclesie	

- possint Leges condere, quæ conscientiam obligent.
Ibid.
- PROP. I. Principes seculares, etiam ethnici, possunt Leges condere quæ conscientiam obligent. 73
- PROP. II. Ecclesia potest Leges condere quæ vim obligandæ conscientiæ habeant. Ibid.
- Q. 1^o. Quis Leges Civiles, 2^o. quis Leges Ecclesiasticas ferre possit. 75 & seq.
- CAPUT II. De objecto, sive materia legis humanæ. 76
- PROP. I. Potestas civilis non potest de rebus merè spiritualibus Leges ferre. 77
- PROP. II. Propria Legum Canonicarum materia sunt res spirituales. 79
- CAPUT III. De subiecto Legis humanæ. Ibid. & seq.
- CAPUT IV. De Legum humanarum obligatione. 83 & seq.
- CAPUT V. De variis Legum humanarum speciebus 85
- ART. I. De Leg. scripta. Ibid.
- Q. 1^o. Quot partibus constet Juris Romani corpus. 2^o. Quomodo desinat Jus Canonicum, & quibus ex partibus coalescat. 86 & seq.
- ART. II. De Leg. non scripta, seu de consuetudine. 89 & seq.
- ART. III. De Lege favorabili, seu de privilegiis. 91 & seq.
- ART. IV. De Lege odiosa. 94 & seq.
- §. I. De Leg. penali. Ibid.
- §. II. De Lege Tributorum. 96 & seq.
- §. III. De Leg. irritante. 99 & seq.
- CAPUT IV. De Legum humanarum cessatione 100.
- ART. I. An, cessante sine Legis, Lex quoque ipsa destruat. Ibid.
- ART. I. De cessatione Legis humanæ per dispensationem. 102 & seq.
- ART. III. De cessatione Legis per interpretationem, derogationem & abrogationem. 106

TRACTATUS

De præcipuis & communioribus Ecclesiæ præceptis. 108

- CAPUT I. De audiendâ Missæ præcepto. 109 & seq.
- CAPUT II. De præcepto quo jubemur diem dominicam & festa colere. 118
- ART. I. De operibus quæ ad diem dominicam, festorumque cultum pertinent. 120
- PROP. Ad satisfaciendum præcepto de Dominica aliisque diebus festis celebrandis, non satis est Missam audire. Ibid.
- ART. II. De operibus à quibus per dies festos abstinendum est. 123
- §. I. De operibus servilibus quæ per dies festos feri prohibentur. 124
- Q. Quænam seorsim opera servilia prohibeantur. Ibid.
- §. II. De operibus quæ, licet servilia non sint, diebus tamen festis vetita sunt. 126 & seq.
- §. III. De causis quæ ab observatione præcepti opera servilia per dies festos prohibentis eximunt. 131 & seq.
- CAPUT III. De præcepto Ecclesiæ, quo certis diebus jejunium præscribitur. 135
- ART. I. Utrum jejunia instituire possit Ecclesia. 136
- PROP. Potuit Ecclesia instituire jejunia. Ibid.
- ART. II. De præcipuis Ecclesiæ jejuniis. 137
- Q. 1^o. Utrum antiqua sit jejunii quadragesimalis consuetudo. 2^o. Propter quas causas institutum fuerit. 3^o. Utrum antiquitas, & quas ob causas inducæ sint quatuor temporum jejunia. Ibid. & seq.
- ART. III. De conditionibus ad jejunium ecclesiasticum requisitis. 140

- §. I. De abstinentia à carnibus. Ibid.
 PROP. Ecclesia Catholica in jejuniis nunquam carnis usum admittit. 141
 Solyuntur objecta. 142
 §. II. De unica refectioe ad jejunium ecclesiasticum requisita. 147 & seq.
 §. III. De cœnula serotina quæ collatio vocitari solet. 150 & seq.
 ART. IV. De iis qui jejunii Lege obstringuntur. 153 & seq.
 ART. V. De iis qui violandi jejunii occasionem & locum præbent. 155 & seq.
 ART. VI. De causis à jejuniis Lege eximentibus. 156
 §. I. De iis qui propter impotentiam à jejunio liberi sunt. 157
 §. II. De labore qui à jejunio excusat. 158
 §. III. De pietatis operibus quæ à jejuniis Lege liberant. 159
 ART. VII. De jejunii utilitate. 161
 ART. VIII. Quænam observari debeant, ut jejunium utile sit, Deoque gratum. 162

TRACTATUS

De Jure & Justitia. 166

DISSERTATIO I.

De Justitia. Ibid.

Q. 1^o. Quotuplex sit justitia. 2^o. An justitia distributiva sit justitia strictè sumpta. 3^o. Quomodò appelletur peccatum ipsi oppositum. Ibid. & seq.

DISSERTATIO II.

De Jure. 170

CAPUT. I. De natura, divisione, subjecō & objecō dominii. 171

PROP. I. Peccatores & infideles sunt dominii capaces. 172

PROP. II. Parvuli & amentes sunt dominii capaces. 173

Q. An filii familias verum habeant in quædam bona dominium. Ibid.

CAPUT II. De variis acquirendi dominii modis. 175

ART. I. De acquisitione dominii per occupationem. Ibid.

ART. II. De acquisitione dominii per inventionem. 178

Q. 1^o. Ad quem pertineat thesaurus inventus. 2^o. Utrum rei nuper amissa inventor, in eam dominium acquirat. 3^o. Cujus sint bona derelicta. Ibid. & seq.

- ART. III. De acquisitione domini per prescriptionem. 180
- § I. De possessione & titulo ad prescribendum requisitis. Ibid & seq.
- § II. De bona fide ad prescribendum requisita. 183 & seq.
- § III. De tempore ad prescribendam requisita. 186
- § IV. De iis quæ prescribi nequeunt. 189
- § V. Utrum legitimus sit dominium prescriptione acquisitum. 190
- PROP. Prescriptio bonæ fidei verum & legitimus, etiam in foro conscientie, dominium parit. Ibid.
- Solvuntur objecta. 191

DISSERTATIO III.

De Restitutione. 193

- CAPUT I. De restitutione in genere. Ibid.
- ART. I. Utrum necessaria sit restitutio. 194
- PROP. Restitutio in re aut in voto necessaria est ad salutem. Ibid.
- ART. II. De circumstantiis restitutionis. 197
- § I. Quis, quid & quantum restituere teneatur. 198
- SECTIO I. Quid restituere debeat, qui rem alienam bonâ fide possidet. Ibid & seq.
- SECTIO II. De possessore malæ & dubiæ fidei. 205 & seq.
- SECTIO III. De iis qui ad damnum alterius ex aliqua parte contulerunt. 208
- De jubente. Ibid.
- De consulente. 209 & seq.
- De consentiente. 211
- De palpone, adulatore. 212
- De receptante. Ibid.
- De participante. 213
- De muto, non obstante, non manifestante. 214
- § II. Cui facienda sit restitutio. 215 & seq.

- § III. Quomodo, quando, quove ordine sit restituendum. 220
- SECTIO I. De ordine qui in restitutione inter damniferos servari debet. 222 & seq.
- SECTIO II. De ordine qui servari debet erga creditores quibus restituendum est. 226 & seq.
- § IV. Quo in loco, cujusve impensis & periculo restituendum sit. 231 & seq.
- § V. De causis à restitutione excusantibus. 234 & seq.
- CAPUT II. De restitutione in specie. 240
- ART. I. De restitutione ob damnum bonis corporis illatum. Ibid.
- § I. Quid restitui debeat propter homicidium & mutilationem. 241
- § II. Quid restituendum sit propter stuprum & adulterium. 244 & seq.
- ART. II. De restitutione famæ & honoris. 248 & seq.
- ART. III. De restitutione ob damnum bonis fortunæ illatum. 153 & seq.

DISSERTATIO IV.

De Contractibus. 260

- SECTIO I. De contractibus in genere. Ibid.
- CAPUT I. De natura, præcipuisque contractus divisionibus, & de iis qui possunt valide contrahere. 261
- CAPUT II. De consensu ad contrahendum requisito. 264
- ART. I. An consensus ex errore vel dolo datus, ad contractum sufficit. Ibid.
- PROP. I. Error & dolo circa rei substantiam irritum faciunt contractum. 265
- PROP. II. Error aut dolo circa qualitatem rei,

- qui dicitur incidens, irritum non facit contractum. Ibid.
- PROP. III. Error vel dolus circa accidentia qui dedit causam contractui, eum non facit irritum. 266
- ART. II. An valeant contractus ex metu facti. Ibid.
- PROP. I. Metus gravis, etiam injuste incussus, irritos non facit contractus, modo rationis usum non adimat. 267
- PROP. II. Contractus ex vi metuque gravi & injusto facti, licet validi, rescindi possunt & debent. 268
- CAPUT III. De obligatione quam pariunt contractus. 269 & seq.
- PROP. Contractus sine debita & essentiali juris formula confectus, ne ipso quidem conscientia foro obligat. 270
- SECTIO II. De variis seorsim contractibus. 273
- CAPUT I. De mutuo. Ibid.
- CAPUT II. De usura. 275
- ART. I. Quid & quotuplex sit usura. 276
- PROP. Usura recte definitur lucrum quodcumque exactum vel speratum vi mutui. 277
- ART. II. Utrum & quo jure vetita sit usura. 281
- PROP. I. Usura quaecumque Jure divino prohibita est. Ibid.
- PROP. II. Usura qualibet Jure ecclesiastico vetita est. 283
- PROP. III. Usura Jure gallico interdicta est. 285
- PROP. IV. Usura Jure naturali vetita est. 286
- Solvuntur objecta. 289
- ART. III. Quibus ex titulis liceat aliquid supra sortem exigere. 299
- §. I. Utrum ob sortis amittendae periculum liceat aliquid supra sortem exigere. 300
- PROP. Non licet sub periculi cujuscumque praetextu aliquid praeter sortem exigere. 301
- §. II. An liceat aliquid praeter sortem accipere ob lucrum cessans & damnum emergens. 303
- PROP. Mutuans aliquid praeter sortem exigere licite

- potest, tum propter damnum emergens, tum propter lucrum cessans. Ibid.
- Q. 1^o. Quanam requirantur conditiones, ut aliquid praeter sortem exigi possit ob damnum emergens. 2^o. Quanam sint necessariae, ut lucrum cessans justa sit causa aliquid ultra sortem accipiendi. 3^o. An possit mutuans in sortem non computare fructus pignoris, quod ipsi pro cautione pecuniae datum fuit. 4^o. Utrum possit mutuans pacisci, ut si accipiens, praefixo, tempore, suam ob culpam non restituat, tunc aliquid praeter sortem in penam morae solvat, etiam lucro non cessante, nec damno emergente. 5^o. An creditor queat in foro conscientiae percipere usuram, gallice interets, per sententiam Judicis sibi assignatas, ubi nullum ex dilata solutione damnum passus fuit. 304 & seq.
- CAPUT III. De contractu societatis. 308 & seq.
- CAPUT IV. De triplici contractu. 310
- PROP. Triplex contractus illicitus est, usuramque involvit. 311
- Q. An licitus sit contractus societatis cum sortis cautione, si lucrum non vendatur; vel cum venditione lucri sine sortis cautione. 313
- CAPUT V. De Cambio, gallice Change. 316
- PROP. I. Cambium siccum & temporale illicitum est. 317
- PROP. II. Cambium verum licitum est. 318
- CAPUT VI. De censibus, sive redditibus annuis. 319
- PROP. Census consignativus tum realis, tum personalis, licitus est. 320
- Q. Quanam sint in Gallia census constituendi conditiones. 321
- CAPUT VII. De venditione & emptione. 322
- ART. I. De natura, materia & pretio venditionis. 323 & seq.
- ART. II. An teneatur venditor rei suae vicia manifestare. 328

- ART. III. De venditione cum pacto facta. 330
 PROP. I. Venditio cum pacto redimendi, in solius venditoris gratiam facta, licita est, modò ab ea removeantur iniustitia & usura. 331
 PROP. II. Contractus venditionis cum pacto redimendi, in gratiam solius emptoris factus, reprobatur debet quia usuram sapit. 332
 Q. 1^o. Quis sit contractus quem Hispani vocant Mohatra, & utrum sit licitus. 2^o. Qualis sit retractus gentilitius, gallicè retrait lignager. Ibid. & seq.
 ART. IV. De venditione, cujus differtur solutio, de anticipata solutione, & chirographorum emptione. 334 & seq.
 ART. V. De venditione quæ fit per proxenetas, & de monopolio. 336
 CAPUT VIII. De locatione, conductione, deposito & commodato. 339 & seq.
 CAPUT IX. De fidejussione, cautione, pignore & hypotheca. 342
 CAPUT X. De ludo & sponstone. 344 & seq.
 CAPUT XI. De promissione gratuita. 349 & seq.
 CAPUT XII. De donatione. 351 & seq.
 CAPUT XIII. De ultimis voluntatibus. 354 & seq.

TRACTATUS

De Virtutibus. 358

DISSERTATIO I.

- De Virtute generatim. Ibid
 Q. 1^o. Quomodo definiatur virtus. Ibid.
 Q. 2^o. Quotuplici sensu accipi queat virtutis nomen. 359
 PROP. Nulla est vera virtus, quæ ex dilectione Dei saltem inchoatè non prodeat. 360
 Solvuntur objecta. 368

DISSERTATIO II.

- De virtutibus moralibus. 369
 CAPUT I. De prudentia. 370
 Q. Quænam vitia sint prudentiæ opposita. 371
 CAPUT II. De temperantia. 372
 CAPUT III. De fortitudine. 373
 Q. 1^o. An se ipsum occidere sit actus veræ fortitudinis. 2^o. An duellum sit actus fortitudinis. 374 & seq.

DISSERTATIO III.

- De Virtutibus Theologicis. 377
 CAPUT I. De fide. 378

- ART. I. De natura & divisione fidei. *ibid.*
 ART. II. Quid requiratur ad fidem christianam. 381
 PROP. Fides christiana semper adjunctum habet aliquod amoris Dei propter se initium. *ibid.*
 Solvantur objecta. 385
 ART. III. De subiecto fidei. 388
 ART. IV. Utrum à Christo & Apostolorum temporibus, fidei nova quaedam accessio facta fuerit, & quanam sint fidei nostræ symbola. 390
 PROP. Fides nullam suscepit accretionem quoad substantiam, sive per novas quasdam revelationes, sed tantummodo per ampliorem articulorum jam reuelatorum expositionem. *ibid.*
 Q. 1^o. Quid significet vox Symbolum. 2^o. Quotuplex sit. 3^o. An Symbolum Apostolorum ab ipsis conditum fuerit. 391 & seq.
 PROP. Symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis conditum rectissime creditur. 393
 Solvantur objecta. *ibid.*
 ART. V. De necessitate fidei. 395
 §. I. De necessitate actus interni fidei. *ibid.*
 SECTIO I. Quanam sit interioris actus fidei necessitas, & utrum quovis tempore in Christum mediatorem credere oportuerit. 396
 PROP. I. Interior fidei actus ad salutem necessarius est omnibus adultis necessitate tum mediæ, tum præcepti. 397
 PROP. II. Post Adami lapsum nemo prorsus iustitiam & salutem consequi unquam potuit, nec potest nisi per fidem in Christum mediatorem, ipsiusque gratiam. 398
 Solvantur objecta. 401
 SECTIO II. Variæ proponuntur quæstiones ad se lei necessitatem pertinentes. 406 & seq.
 §. II. De externo fidei actu. 411
 PROP. I. Tenemur aliquando fidem exterius profiteri. 412
 Q. 1^o. Quandonam teneamur fidem exterius con-

- fiteri. 2^o. An liceat tyrannum fugere, ne fidem confiteri cogamur. 3^o. An Pastoribus liceat, saviente persecutione, fugere. *ibid.* & seq.
 PROP. II. Nunquam licet fidem exterius negare sive ex animo, sive ex simulatione. 414
 ART. IV. De vitii fidei oppositis. 418 & seq.
 CAPUT II. De spe theologica. 420
 ART. I. De natura, divisione, objecto & subiecto spei. *ibid.*
 Q. I. Quanam sint spei theologice definitio & divisio 2^o. Quid spei objectum constituat. 3^o. Quanam sint circa spei subiectum præsertim observanda. *ibid.* & seq.
 ART. II. De certitudine fidei. 422
 Q. 1^o. Quo sensu certa sit nostra futura beatitudinis spes. 2^o. Quanam spem nostram erigere valeant. *ibid.* & seq.
 ART. III. De necessitate spei. 425
 Q. Quibus necessaria sit spes. *ibid.*
 PROP. Fictitius est status in quo mens tam pure Deum diligit, ut mercedis desiderio non moveatur, & in quo imperfectum sit actus spei elicere. 426
 Solvantur objecta. 428
 ART. IV. De effectibus spei, & vitii ipsi oppositis. 430
 CAPUT III. De caritate. 433
 ART. I. De natura & divisione caritatis. *ibid.*
 ART. II. De præcepto caritatis erga Deum. 434
 PROP. I. Extat caritatis erga Deum præceptum speciale, ab aliis præceptis distinctum. *ibid.*
 Solvantur objecta. 435
 PROP. II. Actus caritatis necessitate mediæ ad salutem requiritur in omnibus ratione utentibus. 436
 PROP. III. Sæpè elicendi sunt caritatis actus. 437
 Q. 1^o. Qualis esse debeat gradus amoris Deo debiti. 2^o. Utrum in hac mortali vita perfectè im-

- plere possimus diligendi Dei præceptum. 3^o.
An debeamus pro viribus ad maiorem caritatem eniri, efficereque ut in nobis magis ac magis augeatur. 438 & seq.
- ART. III. De præcepto caritatis erga proximum. 441
- PROP. Tenemur proximum interno benevolentie affectu diligere. 442
- Q. 1^o. Quænam requirantur conditiones, ut legitima sit proximi dilectio. 2^o. An proximi diligendi mandatum ad inimicos pertineat. 3^o. Quid à nobis exigat illud præceptum. *ibid.* & seq.
- ART. IV. De ordine caritatis. 446
- Regulæ. 1. 2. 3. 4. 5. *ibid.* & seq.
- ART. V. De officiis caritatis. 451
- §. I. De elemosyna. *ibid.*
- PROP. I. Datur præceptum elemosynæ faciendæ, & quidem sub peccato mortali. 452
- PROP. II. Pauperibus in extrema necessitate positis subveniendum est ex bonis vitæ superfluis, licet ad statum decentiam necessariis. 453
- PROP. III. Pauperibus gravi necessitate laborantibus opitulandum est, etiam cum aliquo proprii status detrimento. *ibid.*
- PROP. IV. Pauperi communem necessitatem patienti subveniendum est ex illis quæ vitæ & statui superflua sunt. 454
- Q. 1^o. Quid statui necessarium censeri debeat. 2^o. Quid de illis sentiendum sit, qui nihil superflui sibi esse contendunt, quia parcimoniam adhibent, ut novam bonorum accessionem sine modo acquirant. 3^o. An homini liceat superfluis parcere ut altiorum ad statum perveniat. 4^o. Quinam prætextus allegari soleant, ut faciendæ elemosynæ præceptum eludatur, & quid de his sentiendum. 5^o. Quibus ex bonis eroganda sit elemosyna. 6^o. Qui possint eam dare. 7^o. Quibus faciendæ sit, 8^o. Quinam sint fructus elec-

- mosynæ. 9^o. Quænam illius conditiones. 455 & seq.
- §. II. De correptione fraterna. 463
- PROP. I. De correptione fraterna extat præceptum. *ibid.*
- PROP. II. Fraternalis correptionis præceptum in omnes, sed maxime in Superiores cadit. 464
- PROP. III. Non solum æquales ab æqualibus, sed etiam Superiores ab inferioribus corripiendi sunt. 465
- Q. 1^o. Quando nam obliget præceptum correptionis fraternalis. 2^o. Quodnam peccatum sit illius materia. 3^o. Quis sit adhibendæ correptionis modus. *ibid.* & seq.
- ART. VI. De peccatis caritati oppositis. 468
- §. I. De odio Dei & proximi, ac schismate. *ibid.*
- §. II. De scandalo. 469

TRACTATUS

De virtute Religionis. 476

DISSERTATIO I.

De Actibus internis Religionis. 477

- Q. 1^o. Quid devotionis nomine intelligendum sit. 2^o. Quomodo definiatur oratio, 3^o. Quotuplex sit. *ibid.* & seq.
- CAPUT I. De necessitate orationis. 479
- PROP. Orotio iure divino necessaria est. *ibid.*
- Schol un de hujus præcepti ratione. 480
- CAPUT II. De orationis conditionibus. 482 & seq.
- CAPUT III. Pro quibus orandum sit. 489

- CAPUT IV. *Quid orandum sit.* 490
 CAPUT V. *De oratione Dominica.* 492
 CAPUT VI. *De horis canonicis.* 498
 ART. I. *Quinam teneantur Horas canonicas recitare.* 499 & seq.
 ART. II. *De causis quæ ab officii recitandi Lege eximunt.* 501
 ART. III. *Utrum, & quid restituere teneantur, qui officii recitationem, citra causam legitimam, omiserunt.* 502 & seq.
 ART. IV. *Quæ formâ recitandum sit Officium divinum.* 505 & seq.
 ART. V. *Quo tempore privatim recitandum sit Officium.* 506
 ART. VI. *Quis ordo, & quæ devotio in recitandis Horis adhiberi debeant.* 508 & seq.

DISSERTATIO II.

De Externis Religionis actibus. 511

- CAPUT I. *De juramento.* Ibid.
 ART. I. *De natura, nomine & divisione juramenti.* ibid & seq.
 ART. II. *An licitus sit juramenti usus.* 515
 PROP. *Licitus est juramenti usus.* ibid.
 ART. III. *De conditionibus ad licitè jurandum requisitis.* 518
 §. I. *De veritate in juramento requisita.* ibid. & seq.
 §. II. *De judicio ad juramentum requisito.* 522
 §. III. *De justitia ad rectè licitèque jurandum necessaria.* 524
 ART. IV. *De obligatione quam inducit juramentum promissorium, & de causis propter quas ea cessat.* 525
 ART. V. *De juramenti peitione.* 529 & seq.
 CAPUT II. *De voto* 531

- ARR. I. *De natura, divisione, & honestate voti.* 532 & seq.
 ART. II. *De obligatione quam inducit votum.* 535 & seq.
 ART. III. *De variis modis quibus cessat voti obligatio.* 538
 §. I. *An cessante causâ, vel mutatâ materiâ, cesset voti obligatio.* ibid.
 §. II. *De votorum commutatione.* 539 & seq.
 §. III. *De voti cessatione per dispensationem.* 542 & seq.
 §. IV. *De voti irrotatione.* 544
 SECTIO I. *De potestate quam habeant Superiores Regulares vota subditorum faciendi irrita.* 545
 SECTIO II. *De parentum vel tutorum potestate in vota filiorum.* 546 & seq.
 SECTIO III. *Utrum maritus, uxoris, & vicissim uxor, mariti vota facere possit irrita.* 547 & seq.

DISSERTATIO III.

De vitiis Religioni oppositis. 549

- CAPUT I. *De superstitione.* ibid.
 ART. I. *De cultu indebito, & idololatria.* ibid.
 ART. II. *De divinatione.* 551 & seq.
 ART. III. *De vana observantia.* 555
 CAPUT II. *De blasphemia.* 558
 CAPUT III. *De tentatione Dei.* 560
 CAPUT IV. *De sacrilegio.* 561

TRACTATUS

De Peccatis. 564

DISSERTATIO I.

<i>De peccato in genere.</i>	ibid.
CAPUT I. De natura peccati.	565
PROP. Ratio formalis peccati sita est in mera privatione rectitudinis debitorum.	566
Solvuntur objecta.	568
CAPUT II. De causis peccati.	570 & seq.
PROP. Deus non est causa peccati.	573
Solvuntur objecta.	574
CAPUT III. De peccatorum distinctione.	578
ART. I. De specifica peccatorum distinctione.	ibid.
PROP. I. Peccatorum specifica distinctio non repetenda est ex oppositione notabiliter majori cum Lege.	ibid.
PROP. II. Non desumanda est à præceptorum distinctione.	579
PROP. III. Repetenda est ab oppositione specificè diversa cum Lege.	ibid.
ART. II. De peccatorum distinctione numerica.	580
REG. I. Distinctio peccatorum numerica repetenda est à distinctis objectis circa quæ versantur.	581
REG. II. Repetitur etiam à morali actuum interruptione.	ibid.
CAPUT IV. De peccatorum connexionè & inæqualitate.	582
CAPUT V. De effectibus peccati.	584
ART. I. De macula animæ à peccato inducã.	585

ART. II. De reatu pænæ, & ipsa pænâ peccati.	587
PROP. Æternæ sunt damnatorum pænæ.	ibid.
Solvuntur objecta.	589

DISSERTATIO II.

De peccatis in specie. 592

CAPUT I. De peccato originali.	593
ART. I. De peccati originalis existentia.	ibid.
PROP. Existit Peccatum originale.	594
ARG. I. Ex Scriptura sacra.	ibid.
Solvuntur objecta ex Scripturis.	596
ARG. II. Ex Patribus qui ante Pelagianam hæresim scripserunt.	600
Solvuntur objecta ex Patribus.	601
ARG. III. Ex præscriptione.	603
ARG. IV. Ex miseris quibus homo nascitur obnoxius.	610
ARG. V. Ex ingenta homini concupiscentia.	615
Solvuntur objecta.	617
ART. II. Utrum Adami peccatum unicuique proprium sit & inhærens.	620
PROP. Peccatum originale unicuique est proprium & inhærens.	621
Solvuntur objecta.	622
ART III. De natura peccati originalis.	627
ART. IV. Quomodo peccatum Adami in posteros ejus transmittatur.	631
ART. V. De subiecto peccati originalis.	634
§. I. De argumentis quibus nituntur Theologi qui B. Virginem sine originali peccato conceptam fuisse negant.	635
§. II. De argumentis quæ afferuntur à Theologis qui B. Virginem sine originali macula conceptam affirmant.	638

- §. III. De Conciliorum & Summorum Pontificum
circa controversiam hanc decretis. 644
- COROLLARIUM. 645
- ART. IV. De effectibus peccati originalis. 646
- Q. I. Cur, deleto per Baptismum originali peccato, remaneant ipsius effectus. 647
- Q. II. Quænam sit pœna infantium, sine Baptismate morientium. 649
- PROP. I. Parvuli sine Baptismate mortui non fruuntur beatitudine naturali. 650
- PROP. II. Idem infantes à visione Dei intuitiva exclusi, verum inde concipiunt dolorem. 653
- PROP. III. Sententia quæ infantes sine Baptismate mortuos, perpetuam ignis pœnam, sed mitissimam, pati affirmat, magis consentanea est Scripturæ & Patrum auctoritati. 654
- Solvuntur objecta. 657
- CAPUT. II. De peccato mortali & veniali. 663
- ART. I. An peccatum mortale & peccatum veniale ex natura sua differant. ibid.
- PROP. Admittenda sunt peccata quæ ex natura sua sint venialia. 664
- Solvuntur objecta. ibid.
- ART. II. Quænam potissimum ratione inter se differant peccatum mortale & peccatum veniale. 667
- ART. III. Utrum ex multis peccatis venialibus coalescere possit unum mortale. 669
- PROP. Ex multis peccatis venialibus fieri non potest unum mortale. ibid.
- ART. IV. Utrum peccatum ex genere suo mortale, fieri possit veniale, & vicissim. 671



UAN

DAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

16 # 2 4 # 8